


hierin (2) zwei Tafeln.

Ex
libris
Viri Venerabilis
GOTTL. ERN. SCHMID
Sacror. Antist. Berol.
Regiae Bibliothecae
Dono
aut
minus commendabilium exemplorum
Permutationi
oblatis
MDCCCIII.

Palatino
...zkorien &c.
...ro Monte Cr...
...584. 10 ...



ANALECTA
MENSÆ REGINALIS
SEU
HISTORIA
IMAGINIS ODIGITRIÆ
DIVÆ VIRGINIS
CLAROMONTANÆ
MARIÆ
A
DIVO LVCA EVANGELISTA
In Cupressina Domûs Nazaræ
MENSA
depictæ,
Origine, Magnalijs, Miraculis, Gratijs
Admirabilis & Amabilis,
Ex Vetustis Græcis & Latinis, tum ex Recentioribus Authoribus, & ex Notarijs Apostolicis Conventûs Clari Montis Czestochoviensis accuratè collecta.
In XII. Partitiones distributa, & in Lucem publicam data.

Per Fr. AMBROSIVM NIESZPORKOWITZ, Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ Profess.

Anno Domini M. DC LXXXI.

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ:



SERENISSIMO & INVICTISSIMO

JOANNI III.

DEI Gratiâ

REGI POLONIÆ,

Magno Duci Lithvaniæ, Rußiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Severiæ, Czerniechoviæq;.

DOMINO CLEMENTISSIMO.

VITAM, ET FELICITATEM.



ADhuc eo tempore, quo TE Chotimensibus Laureis recens coronatum, ante solennitatem felicißimæ Coronationis, Rupellam Nostram ingredientem, vniversalibus Religionis meæ votis, in extemporanea triumphalis Arcûs molitione salutavi; MARIÆ Magnalium, & Gratiarum Analectes, cum hoc TIBI debi-

debito, destinatoq; munere, ad Te collimabam; atq; cùm ob temporum difficultatem dilatum offerre maturiùs non est concessum, nunc tandem Honori Serenissimæ Maiestatis Tvæ reverenter dedico, Serenissime, ac Invictissime REX. Ipsum Operis argumentum, quod è Reginali Mariæ Mensa, partitis in Orbem constat Gratiarum obsonijs, complexum, sinumq; Serenissimæ Tvæ Maiestatis ambiebat; quia, cùm Te, Poloniæ Regina Maria, Regnatricemq; Domum Tvam, Regni sui Heredem esse voluit, suæ quoq; Reginalis Mensæ Delicias secum Tibi communes fecit. Antehac Humana in carne Devm, Divinamq; cum Nutritio, & Sponso Virgine, Matrem, accumbentem, in Domo Nazaræa alebat, nunc Principes, & Bellatores Convivas amat: quos ubi suis delicijs impleverit, ad Victorias, & Triumphos initiat. Sat apertam hujus proponit Imaginem, ex Prophetæ vaticinantis Oraculo, Mensa Principibus posita, ad quam expletis, classicum intonat Vates: *Surgite Principes, arripite* Clypevm! quasi si Martem spirare, bellacique pectus agitari spiritu, ad hanc Mensam Convivis necessum esset. Venit in recordationem tempus illud Serenissime REX, quo, hujus Marianæ Mensæ, Hospes Conviva, frequentiùs cœlestibus fruebaris delicijs: Regijs muneribus Hospitali

Mariæ,

Mariæ, quæ hìc utpote *Nutrix Divinitatis*, Clientum supplicum devotionem alit, *Datq; Epulis accumbere Divûm*, gratitudinem testatus, ad Mensam, non tam flammis, quàm Zelo Mariani cultûs, amoreq; calentem accendens Lampadem, viam ad religionem, alijs Principibus, populisq; Numa Sarmaticus, præmonstrasti: indeq; Divinioris Fortitudinis impletus Numine, arripuisti Gentilem Clypevm, quo ruentem ad Christianæ Reipublicæ cladem, armatum cornibus Orientem retudisti, factus Nobis, Patriæ, Ecclesiæ, universæq; Christianitati Salutare Præsidium. Appendit inter suæ Domûs Armamenta, Regalis thesauri Decus Illustrissimum, Salomon auro fulgentes Clypeos, qui Domui præberent munimentum & ornamentum: in his quis non videat Augustissimæ Tvæ Domûs Ideam? Quemadmodum enim Salomon *Pacificus* Redemptorem Nostrum, qui Vatis oraculo *Princeps Pacis* appellatur, designat, ità, ex communi Doctorum sensu, Regalis Domûs Vniversalem Ecclesiam. Habet hìc illa pretiosa ex Serenissimis Regum, & Illustrissimis Principum Familijs, Ornamenta Stemmatum, verùm ex Augusta Domo Tva Munimenta desumit, quæ integritatem, salutemq; Christianitatis tuentur. Propugnavit illam Augustus Parens Tvvs, olim contra Tyran-

)2(nos

nos Orientis, in Chotimensibus campis Gentilem levans CLYPEVM, utq; in sæculorum conscientiam gloriosè partas Victorias, & Triumphos, quibus TVIS prolusit Laureis, protenderet, sicut in acie victorem gladium, ità in pagina uindicem, & ità quidem in hostem pugnando, strinxit calamum. Cognoverat ille augure cælo, Sapientibus auspicatissimũ TVVM Horoscopum explorantibus, quod futurus esses AVT REX, AVT PRIMVS â REGE, seu (ut alius in patentibus Cœli tabulis præsagam Patriæ felicitatem legebat) AVT REX, AVT PATRIÆ VINDEX: ideo cùm hostili sangvine in Martis arena rubuit, trabeas TIBI, Regnatriciq; Domui TVÆ hoc ostro tinxit. Exolverunt Cæli, superiq; fidem suam, TE REGEM, TE PATRIÆ VINDICEM; à Ducali pluribus victorijs coronata Clava, ad Imperij Clavum, per calcata Orientalium Tyrannorum paludamenta provehendo; ne fatorum infidelitatem quereremur, quòd Poloniam despexissent, si in TE, iacentibus & desperatis Patriæ rebus, non prospexissent. Pertinebat exinde hanc MENSAM, cum ODIGITRIA Imagine, à Divino Apelle LVCA EVANGELISTA, depicta, sat rudi in pagina circumscriptam calamo, TVORVM Palatiorum inferri adytis; ut quæ olim apud Orientis Imperatores in AVREÆ FORTVNÆ locum succedens, Maiestate, & thaumaturga Virtute sua implendo Conclavia, Principes beaverat, Serenissimæ Maiestatis TVÆ penetralibus illata, atq; intimo TVI Sacratissimi Cordis excepta sinu, TE, ad ulteriores Victoriarũ, Triumphorum, ac Felicitatum omnium successus, Fortunatissimum suis faceret auspicijs. Cum hac FORTVNARVM omnium Clementissima FORTVNA idem Serenissimæ Maiestati TVÆ imprecamur, quod veteres, FORTVNÆ simulacrum suis offerendo Principibus usurpabant: DENT SVPERI VITAM, NOS FORTVNAM. Hanc Diviniorem FORTVNAM offerimus, lingvis & cordibus in unum affectum, unamq; vocem coalescentibus, omnes Serenissimæ Maiestati TVÆ FORTVNAM, VITAMQ; gratulando. Et, quidni omnes TIBI vitam precentur, atq; debeant, qui in Orbis nostri Animam, Cor, & Spiritum transijsti? Matrem hîc VIÆ, VERITATIS, & VITÆ habes MARIAM; quam TIBI in Gentilis CLYPEI TVI Campum, ad Felicitates Ducem, ad Consilia Præsidem, ad Bella Adiutricem, ad Vitam Tutanam, ad quoscunq; gloriosos successus Auspicem, ad omnia propitiam Adstitem, sociamq; offerimus. Atq; ideo, Crede Princeps, cùm Podhàecenses, Narolienses, Niemirovienses, Komarinenses, Kałusienses, Sarmatiæ Mavors persequebaris, & præcipitabas Victorias, Ducem, Adstitem, Comitemq; TIBI præstò fuisse hanc FORTVNAM. Terebas pudefacta

 ad

ad ſudum gloriæ TVÆ, in fertilibus Laurearum TVARVM Chotimenſibus campis, pallentia Lunæ Ottomannicæ cornua: illa ſubiecit, cui poſt contritum Principis tenebrarum caput, victrices Luna allambit plantas. Vno TVO obiecto pectore Rumeliam, Anatoliam, Epyrum, & alia Turciæ Sceptris ſubiecta Regna, in Patriæ, totiuſq; Chriſtianitatis confuſionem, & ruinam expedita, excepiſti, ſtitiſti, retudiſti; illa Vmbone ſuo protexit idem pectus TVVM Divino quodam agitatum Numine, ex quo Vita, Saluſq; Patriæ debebat promanare: Illa *Super Lanceam*, *& ſuper* SCVTVM *Potentis pugnabat pro* TE, quem Regni ſui Felicitati, Noſtræq; ſaluti, ſalutare Numen, & Averruncum prædeſtinavit, vt olim attributo Cunctatori Fabio Nomine, IMPERII SCVTVM dicereris. Quamobrem ſingularem DEI circa ſe providentiam prædicans Polonia, decantet cum Victore Coronato Pſalte: *Dediſti mihi* CLYPEVM *ſalutis* TVÆ, *& manſvetudo* TVA *multiplicavit, me*. Et verò, ſi Angliæ Regibus, qui ab ARTVS Familia ſuam ducebant progeniem, poſt obtentam auſpicijs invocatæ MARIÆ victoriam, in Gentilium ſtemmatum Decus, ejuſdem Divinæ Matris Effigies aſſumpta, non minùs Illuſtriſsimum, quàm Feliciſsimum, facta eſt Ornamentũ, & Munimentum; non dubito, quòd

quòd & TE Sereniſsime REX, qui, cum Angliæ Regibus commune DEFENSORIS FIDEI Nomen, præclaris, erga Patriam, Sedem Apoſtolicam, aliaq; Fide florentiſsima Regna, meritis es conſecutus, hîc depictam pennâ, in Gentilis CLYPEI campum, & Solij conſortium, admittes Divinæ Matris Effigiem: itaq; inſignitum, ſonantibus gloriæ TVÆ buccinis, levabis contra Ottomannam Iericho (Lunam ſuo ſignat etymo) CLYPEVM TVVM Chriſtianus IOSVE! & in ruina Orientalium Spartacorum, thaumaturga virtute TVA, Illa innovabis prodigia, quibus olim, deditum cultui Mariano Byzantium, quingentis annis propugnabatur. Redibunt ad TE ordine ſuo, olim plauſibus Orientis celebratæ, ſub hoc ODIGITRIÆ Imaginis ſimulacro, Imperatorum Chriſtianorum victoriæ, & Orbem Noſtrum, univerſamq; Chriſtianitatem pacis fructibus implebunt; TE gloriæ æternũ virente Lauru coronabunt. Vt ergo ex victorioſis Sereniſsimæ Maieſtatis TVÆ ſucceſsibus, bene ominatæ ſpes, Sereniſsimæ Maieſtatis TVÆ felicitate coronentur, ad huius ODIGITRIÆ Imaginis Aram, quotquot in Monte Claro Paulinæ Religionis Alumni degimus, DEVM, ejuſq; Matrem, iugibus votis imploramus. Pande capaciſsimum affectûs Regij ſinum, & hoc Fortunarum TVARVM Auſpicium, reverenter Honori

nori

nori Tvo dedicatum accipe, eà benevolentiâ, quam Tibi erga Sacra, Sacrorumq; cultum congenitam fecerunt Superi. Prostant Illustrissima Tva, erga Locum sacrum, religionis monumenta, quæ palam testantur, quo affectu, electum, dilectumq; Reginæ Cœli Montem Clarum complectaris, eodem & nos in supplicationibus, pro Tva Serenissime REX, Domusq; Tvæ, incolumitate longæva, excubantes, Honori Tvo deditissimos & Fidelissimos Clientes, & Exoratores, fove. Quod, cùm à Regia Serenissimæ Maiestatis Tvæ Gratia (quam gratiosissimum Tvi Nominis Augusti fert etymum) exorat, Vota sua Serenissimæ Maiestati Tvæ obstringit.

Serenissimæ Maiestatis Tvæ.

Honori, & Fidelitati

Devinctissimum

Cœnobium Clari Montis Czestochoviensis, Frũ: Ordiñ: S. Pavli Primi Eremitæ.

F A.


Imago B. V. MARIÆ á S. Luca depicta in Regno Poloniæ miraculis clarissima.

Annis tercentum Solyma; per secula quinque
Byzantina habitans Hospes in Urbe fui.
Russia quingentis olim in Betz me abdidit annis,
Ter centum Clari me iuga montis habent.



MAGNÆ & ALMÆ
Inter Mortales
HOSPITÆ & SOSPITÆ,
Serenissimæ,
Absq; labis primigeniæ deliquio,

POLORUM, & POLONORUM

REGINÆ

VIRGINI & MATRI DEI,

MARIÆ,

HOSPITALI

Cælorum, ac terrarum Oeconomæ

Quæ

In thaumaturga suæ Domûs Nazaræ

MENSA

A Divinitate ad Humanitatem compositæ meritas, paratasq;

Mortalibus immortales Delicias,

Solis Mensas, in Apolline, Cœnas, aut balsamo fluentia Neronis Sigmata

Honore, Impendijs, Odore, superantes explicat;

Cælestium Epulonum

LAZARVS MICAS ESVRIENS

aut,

quæ cadunt

de MENSA tantæ Dominæ,

Post Marianos Convivas

sub MENSA

CATELLVS COLLIGENS,

Hæc Analecta Mensæ Reginalis,

In humilis obsequij tributum perenne,

Dedicat, Consecrat,

A. N.

FACVLTAS

Perillustris ac Reverendissimi Domini,

LOCI ORDINARII.

ANALECTA MENSÆ REGINALIS, *id est* HISTORIAM DIVÆ VIRGINIS THAVMATVRGÆ CLAROMONTANÆ, *conscriptam cultè, & eruditè à R. P.* AMBROSIO NIESZPORKOWITZ, *Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ Presbytero, & in Claromontana Basilica Pœnitentiario Apostolico: per meos verò demandatos seriò, ac sedulò lectam, & Magnalia DEI in Theotoco loquentem, dignam luce publica iudico, & ut in eam ocyus prodeat, ex animo permitto, ad augendum in animis Orthodoxorum, cultum erga Augustissimam Cœlitum Reginam, in Vertice Clari Montis Częstochoviensis quotidianis Miraculis gloriosè admodum clarescentem. In cujus rei fidem manu mea me subscribo.*

NICOLAVS OBORSKI,
Episcopus Laodicensis, Suffraganeus, & Administrator Episcopatûs Cracoviensis.

FACULTAS
Admodum R. P. PROVINCIALIS,

Fr: TOBIAS CZECHOWICZ, Ordinis S. PAULI Primi Eremitæ, Sac. Th: Doctor, per vtramq; Poloniam & Silesiam Prior PROVINCIALIS.

CUm *HISTORIA DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ*, sub titulo *ANALECTA MENSÆ REGINALIS*, Per R. P. Fr. AMBROSIUM NIESZPORKOWITZ, Ordinis Nostri Professum, & in Claro Monte Częstochoviensi Confessarium Apostolicum, accuratè collecta, cum sedula discussione conscripta, & à Nostris Theologis perlecta, examinata, & digna luce publica approbata sit: factâ Nobis potestate à Reverendissimo in CHRISTO PATRE Fr: AUGUSTINO BENKOVITH, Ordinis Nostri PRIORE GENERALI, præfata Historia ut ad solatium amantium Cultûs Mariani, prælo mandari possit, facultatem (si illis ad quos Censura Ordinaria spectat visum fuerit) impertimur. In quorum fidem has Nostri Officij Sigillo munitas ac manu propriâ subscriptas dedimus. In Claro Monte Częstochoviensi, Die 8. Mensis Septembris, Anno Dñi. 1680.

Fr. TOBIAS CZECHOWICZ,
qui supra mpp:

Censura Theologorum Ordinis S. PAULI Primi Eremitæ Conventûs Clari Montis Częstochoviensis.

N*Os infra Theologi, ex Commissione Adm: Rndi Patris* PROVINCIALIS *Opus hoc, cui titulus* ANALECTA MENSÆ REGINALIS, *seu* HISTORIA IMAGINIS DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ. *Per Rndum Patrem Fr.* AMBROSIUM NIESZPORKOWITZ, *Ordinis Nostri Professum, & in Claro Monte Częstochoviensi Confessarium Apostolicum, accuratè collectum, & diligentissimè conscriptum, sedulò examinavimus. nihilq; in eo fidei Catholicæ, veritati, morumq; probitati dissonum deprehendimus: quin potius præclaram Scriptoris eruditionem, & summum ac singulare studium, ad cultum & devotionem erga Matrem Admirabilem & Amabilem, in animis fidelium excitandam comperimus. Quapropter dignissimum iudicavimus, ut communi Ecclesiæ bono prælo decoretur, luciquè publicæ (si ijs ad quos pertinet visum fuerit) demandetur. Datum in Claro Monte Częstochoviensi. Anno 1680. 4. Septemb:*

Fr. RAPHAËL MICHALSKI, Prov: Definitor Clari Montis Częstochov: Prior, mpp:

Fr. NICOLAUS ŁUBNICZ. Supprior Clari Montis Częstoch: mpp:

Fr. ADAMUS GRACZYNSKI, Prædicator Clari Montis Ordin: mpp:



Ad amicum Lectorem.

S*Usceptum hunc, ad promovendum Marianum in Clientibus cultum, aliqualem in scribenda ex sanctæ Obedientiæ placito Imaginis Nostræ Claromontanæ* HISTORIA *laborem, à Principibus Viris expetitum sæpius, & expectatum, propono. Hic Te scire velim amice Lector, quòd Breviarium tantummodo, seu Compendium datur. Conscripseram Volumen majus ejusdem Historiæ, liberaliori stylo, ad sæculi moderni tersissimum genium accommodato, penes Veritatem, Sententiarum, & eruditionum, elegantiam, & nitorem adhibendo; quod cùm Illustrissimus ac Reverendissimus D.* LOCI ORDINARIUS ANDREAS TRZEBICKI *Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, in hoc loco ampliandi cultûs Divini, ac Mariani Zelosissimus Fautor, & Promotor, ad suam censuram, & examen accepisset, atq; ad anni medium propè, revoluisset; omnia acerrimo ac limatissimo suo iudicio probans, & approbans, solam fusius excurrentem scribendi methodum correxit, mandans totum Opus intra cancellos brevitatis contrahi, compingiq;, ut ità, in editione præsentis Historiæ, parcioribus ob*

com.

communem temporum calamitatem sumptibus consuleret, & Marianis Clientibus, ad quorum manus faciliùs minutum opus posset pervenire. Parui Zelosissimi Promotoris mandato. Multa hîc complexus, multa ex Originali expungendo, iterum, atq; iterum totum ad calcem opusculum scripsi. Non omnia ad votum. Remotiùs absens, alteri lucubrationi impensam operam, cùm adnavo, fidelem in prælo censorem oculum, qui errores expungeret, habere non potui. Parces & mihi, & erroribus. Salva est Veritas, à prudentissimis Viris, qui Actis Marianis præerant, exacto judicio probata. Sufficiet mihi sat gravis pœna (si tamen mea culpa meruit) legentis fastidium: aut si minùs rebus divinis & mihi amicus es, conteptus. Si autem hic stylus, & methodus, esse tibi ad salivam non potest, erit ad palatum confido, quia Mensæ Reginalis *delicias complectitur, quæ nemini pepererunt fastidium, nisi qui suam amans famem ad Divina sensum perdidit. Quia Omnibus Marianis Clientibus servire volo; brevi, & Patrio stylo (si ità placitum Deo fuerit)* Historiæ *præsentis cursum, succinctiùs tamen, in lucem publicam dabo. Fruere & Vale.*

ANA-

ANALECTA MENSÆ REGINALIS *SEU* HISTORIA *IMAGINIS DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ* MARIÆ

PROOEMIUM

Referuntur Authores, qui aliquando de hac scripserunt Imagine.

§. I. QVamvis ad supponendum Historiæ præsentis fundamentum, sola à Majoribus accepta, & nemine contradicente ad nostrã ætatem deducta traditio sufficeret; attamen ut majorem, & à Literarum monumentis suæ veritatis firmitatem haberet, Illustrium Scriptorum Authoritatem præfigendam putavi, qui de hac aliquãdo scripserunt Imagine, & ad eam patrata miracula recensuerunt. *Traditio de S. Imagine à Maioribus*

§. II. TRecentis annis in Ierusalem Hospes in hac Imagine MARIA, quæ ante Divæ Helenæ adventum, in Zebedæa Domo Partheniæ congregationi beneficia præstiterit, quomodo sub tempus Excidij Ierosolymitani conservata fuerit, licèt in literis nihil acceperint notitiæ sæcula subsequentia, verisimile tamen est, adnotata ibidem fuisse nonnulla memorabilia, quæ Originem, & Conservationem ejus, tum pleraq; vetustatem, & dignitatem ejus concernentia, complectebantur, eaq; simul cum Imagine Sacra, ab Helena Augusta Constantini Matre, Ierosolymâ Constantinopolim delata: sed per tot ætatum, locorũq; intervalla cùm perierint, nuda tantùm ad Græcos, Latinosq; Scriptores, successio traditionis cum Imagine pervenit. *S. Imago in Ierusalem 300. annis.*

§. III. POstquam Constantinopolim translata, Imperatorum amoribus dignata, privatos Principum, & publicos Senatûs, Populiq; Byzantini honores sibi impensos liberalibus gratijs, & stupendis prodigijs rependebat, tum Græcorum, tum Latinorum scriptorum, ut patet ex Literis GREGORII XII. Pontif: Max: ad Germa- *S. Imago Cõstantinopoli 500. annis*

ſum Patriarcham Conſtantinopolitanum (ex quibus nonnulla infra citabũtur) calamis celebrari cœpit. Qui res Imperij, & Eccle: Græcorũ, præcipuè Byzantij ſcripſerunt, hujus meminerunt Imaginis, inter quos principem obtinet locum Nicephorus Calixtus Xantopulus, Hiſtoricus inter Græcos, & Latinos authoritatis acceptiſſimæ. Curopalates de Officio Aulæ Conſtantinianæ; Cantacuzenus Libro 1. cap: 39. Quanquam & Conſtantinopoli deſcriptam hujus Imaginis Originem fuiſſe, & ab Imperatore Conſtantinopoleos Nicephoro, Carolo Magno cum Imagine donatam, apertè doceat Nicolaus Lanckoronſki: *Primùm obtinuit* (Carolus à Nicephoro) *Venerabilem ac decoram Imaginem Beatæ* MARIÆ, *de pictura Sancti Lucæ, cum ſufficienti deſcriptione Originis ejus &c* Facilè ſuſpicari quis poſſet, non ſolùm Originem, at illa quoq; prodigia, quæ ad hanc, & per hanc Imaginem Omnipotentis Dei dextera, per quinq; ſæculorum decurſum (quingentis enim annis Conſtantinopoli ſervabatur Imago) ad ſuam, ſuæq; Matris gloriam, patravit, adnotata fuiſſe; eademq; cum Imaginis Origine Imperatori Carolo donata.

Nicolaus Lanckorõski

§ IV. QVas in Arce Belzenſi, in qua annis itidem quingentis Sacra Imago ſub cuſtodia Sacerdotum Græci ritûs delituit, Roxolanus accepit gratias; aut quæ vidit prodigia, apud barbaram adhuc, & incultam literis gentem, ſcripta non habentur. Illa tantùm ad publicam notitiam perveniens Victoria, per hanc Imaginem in Arce Belzenſi de Tartaris obtenta, & continua per annos trecentos traditione hucuſq; lingvis hominum celebratur, olim in hoc Monte à Noſtris Patribus, ex relatione ipſius *Vladiſlai* Ducis Oppolienſis, & Fundatoris Noſtri, excepta, & literis commendata eſt in Archivo Conventûs Claromontani, quod poſtea, ſicut & alia illuſtriora miracula, ſub tempus Huſſianæ populationis, interijt.

In Arce Belzenſi Imago 500. annis.

§ V. VBi miraculosè in Claro Monte ſtationem cœlitùs præordinatam fixit, vario idiõate; Latino, Italico, Polonico, Germanico, Ruthenico, varij ejus Originẽ, & gratias ſcripſerunt. *Petrus* de *Rozprza* Cracovienſis Academiæ Alumnus, Originem ejus, gratias, & cõplura ſcripſit Latino ſtylo magnalia, Anno Domini 1524. quæ Illuſtriſſimo D. *Andreæ Krycki* Epiſcopo Præmyslenſi, dedicavit. Hæc ſe ex antiquiſſimo codice tranſumpſiſſe fatetur; cumq; Sokalenſis Imaginis Originem, & prodigioſam viſûs reſtitutionem *Iacobo Węzyk* ante Noſtram Imaginem in Claro Monte memorat; ſuam quoq; pleniorẽ notitiam refert ad idiomatis Ruthenici librum.

Petrus de Rozprza.

§ VI.

§ VI. NIcolaus Lanckoronſki Vir tum natalium decore, tum in Deum, Divinamq; Matrem religione Illuſtriſſimus, à Sereniſſimo Poloniæ Rege SIGISMVNDO AVGVSTO in Græciam Legat⁹, ut populariũ varias de huj⁹ Imaginis Origine opiniones, quæ nuda, & incerta narratione circũferebatur, tolleret, Conſtãtinopoli ab annoſis ritûs Græci Sacerdotibus circa hanc Imaginem notitiam ſe accepiſſe ſcribit, quã cum Origine ſimul, & Magnalijs, Ieroſolymis, Conſtantinopoli, in Ruſſia, demum in Polonia patratis, in membrana, cum inſertis rerum geſtarum Imaginibus, quæ & hodie in theſauro Domûs Marianæ ſervatur, eidem Sereniſſimo Regi SIGISMVNDO Primo dedicavit.

Nicolaus Lanckorõski

§ VII. ET, A. R. D. *Gregorius Samboritanus* Roxolanus, in Academia Cracovienſi Sacrarum Literarum Profeſſor, ad S. Annam, poſtea ad S Florianum Canonicus, culta Poëſi Sacræ Imaginis Magnalia cecinit. Religionem ſuam, erga S. R. Eccleſiam, Orthodoxamq; Fidem declarare volens, & Honoris Mariani Zelum A. R. D. *Hieronymus Powodowſki*, Libellum edidit Divæ Claromontanæ Magnalia referentem, contra quendam Hæreticum Mariani cultûs impugnatorem.

Gregorius Samborit.

Hieron: Powodowski.

§ VIII. ABrahamus Bzovius ex Illuſtriſſima Divi Dominici Familia SS. Theologiæ Magiſter tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum ad Annum 1383. ſub Numero XX. complura ad hanc Sacram Imaginẽ patrata refert thaumata, inſinuata ejus Origine. Scribendæ Hiſtoriæ huius Imaginis intentionem palam fecit, concludendo ſeriem Exemplorum: *Plura alia miranda Divæ Virginis Claromontanæ patrocinio in favorem mortalium patrata opera, votivæ tabellæ, & donaria innumerabilia ejuſdem Baſilicæ auguſtiſſimæ, & toto Regno Poloniæ celeberrimæ, oblata teſtantur, quæ fors aliquando calamum meum fatigabunt.* Atque ut ſincerum affectum erga MARIAM in hac Imagine admirabilem, & amabilem, teſtaretur, ejus cum ſtigmatibus exemplar in operum ſuorum fronte præfixit, ſubiecta inſcriptione: *Imago B. V. M. Czeſtochovienſis à S. LVCA Evangeliſta Hieroſolymis depicta, in Polonia multis Miraculis claret.*

Abrahamus Bzovius.

Tomo 15. Annal: ad Annum 1383.

§ IX. MArtinus Cromerus de Rebus Polonorum libro 21. fol: 298. direptionem Monaſterij Częſtochovienſis, & Sacræ Imaginis violationem deſcribit. Superiori Libro, ejuſdem Operis 15 Sereniſſimi Poloniæ Regis affectum erga Montem Clarum, ob Sacræ Imaginis reverentiam memorat, cùm ejus immunitatem, confuſa domeſticis tumultibus Poloniâ, procurat: *Monaſteria, Czeſtochovienſe* (inquit Cromer⁹) *& Vielunenſe ſuburbanum, haud multò ante à Vladiſlao Duce condita,*

Cromerus.

dita, unà cum poſſeſſionibus ſuis, edicto pij Regis intacta ab hujus belli clade manſere.

Matthias Miechovien:

§. X. MAtthias à Miechovia in ſuo opere Libro 4. cap: 36. Imaginis ex Ruſſia in Montem Clarum tranſlationem deſcribit. Perilluſtris & A.R.D. *Ioannes Dlugoſſus* Canonicus Cracovienſis, Iuventutis Divi Poloniæ Principis CASIMIRI, Moderator Noſter in Conventu Rupellano Caſimiriæ ad Cracoviam Fundator, & Rerum Polonarum Scriptor inſignis, Libro 11. ſuæ Hiſtoriæ nonnulla hujus Imaginis memorabilia refert, Item *Herburt* Libro 14. cap: 10. *Gvagninus* in Sarmatia Europæa. Ad illuſtriorem de hac Imagine notitiam, honoremq́; illius præcipuè dum eſſet Conſtantinopoli, plurimùm facit authoritas *Iulij Cæſaris Bullengeri*, in Academia Piſana Theologiæ Doctoris, de Imperatore Romano Lib: 2. cap: 28.

Ioannes Dlugoſſus. *Herburt.* *Gvagninus.* *Iulius Caſ: Buleng:*

Stanislaus Kobierzycki

§. XI. ILluſtriſſimus D. *Stanislaus* à Kobierzycko *Kobierzycki* Palatinus Pomeraniæ, dum Obſidionis Claromontanæ ſeriem ſublimiori ſtylo deſcriberet, appoſitè operi ſuo Hiſtoriam Sacræ Imaginis inſeruit. Perilluſtris & Adm: R. D. *Simon Starowolſki* Canonicus Cracovienſis, in Oratione ſua, quam in Laudes Divæ Claromontanæ fuſiùs excurrentem, ſub titulo DIVA VIRGO CLAROMONTANA, in lucem publicam edidit, Originem & complura Magnalia, ac memorabilia percenſet; cui operi conjunxit ſuos in culta Pòëſi, Hiſtoriam Imaginis complectente, affectus M. *Ioannes Cynerſki Rachtamovius* in Academia Cracovienſi Regius Eloquentiæ Profeſſor. *Vincentius Belluacenſis*, & *Ioannes* de *Carthagena* nonnulla ad hanc Imaginem patrata in ſuis ſcriptis referunt miracula.

Simon Starowolski. *Ioannes Cynerski.*

Iacobus Laurus Roman.

§. XII. ROmani opere chlacographico in regali folio ad publicam dederunt notitiam, Hiſtoriam, & Magnalia hujus Imaginis. Anno 1600 Sereniſſimo Poloniæ, & Sveciæ Regi SIGISMVNDO III. hanc Imaginem ſculptam ad menſuram regalis folij, circũquaq; innumeris Sanctorum, ac Beatorum Regni Poloniæ, & Sveciæ, Patronorum Imaginibus ſtipatam dedicavit Romæ *Iacobus Laurus* Romanus Hiſtoriam in compendium collectam Sacræ Imagini ſubaravit:

EXEMPLAR IMAGINIS B. V. MARIÆ à S. LVCA DEPICTÆ, *Ab Helena Auguſta Hieroſolymis Conſtantinopolim tranſlatæ, quam Nicephorus Imperator Carolo Magno, is autem Leoni Ruſſiæ Principi dedit. Tandem Ruſſiâ in Provinciam Poloniæ redactâ, Vladislaus Oppolienſis Dux, Anno 1382. eam in*

Montem Clarum Czeſtochova dictum, tranſtulit. Cicatrices autem faciei ab Huſſitis, & Tartaris inflictæ, nullis unquam obduci coloribus potuerunt. Multa hujus Virginis interventu miracula eduntur, inter alia 7. mortui ſunt ad vitam revocati, multi energumeni liberati, cæci, moribundi, naufragantes, captivi, varijſq; morbis affecti, Divinam opem ſenſerunt, & in dies multi varia divinitus auxilia experiuntur.

Cum Privilegio Summi Pontificis, & Superiorum authoritate Anno Iubilæi M. DC. Romæ.

Poſt Præfationem Dedicatoriam Sereniſſimo Regi, ad limbum Imaginis Nomen ſubiecit chalcographus:

Author R. P. Martinus Baronius *Iaroſlavienſis Polonus, Sacri Ordinis B. IOANNIS DEI Luſitani, Congregationis Bonorum Fratrum curantium infirmos edidit.*

Idem Iacobus Laurus

§ XIII. ANno poſtmodum Vigeſimo ſexto, aliud operis ejuſdem exemplar ab eodem editum eſt. Imago Sacra medium occupat, cujus latera minores, Poloniæ. Ordiniſq; Protoeremitici Patronorum, Imagines ſtipant: circumcirca gratiarum, & miraculorum, pariter chalcographico opere expreſſæ quadraginta duæ (quæ in hoc opere ſparſim dantur) ideæ. Sub ipſa Imagine Italicè totus Hiſtoriæ curſus ſtrictim exaratus, inferiùs ad ipſum Imaginis limbum, Latino idiomate relatus (quem in ſuo Throno Deiparæ citat Spinellus, tum Noſter Pater *Andreas Goldonowſki*) legitur, cum addito: *Romæ cum Privilegio Summi Pontificis, Superiorum permiſſu.* Inter utramq; enarrationẽ Hiſtoriæ, locum occupat Monaſterium Claromontanum formæ circulari inſertum, cui circumſcribitur:

Eccleſia, & Monaſterium S. MARIÆ Czeſtochovienſis, Ex gratia SSmi D.D. VRBANI VIII. Pont: Max: gaudet Pœnitentiaria S. Domûs Lauretanæ.

Dedicatio Imaginis Principi Coſmo de Torres Cardinali.

Et quia perſpectum habuit Author affectum erga Imaginem Odigitriam, Montemq; Clarum, Illuſtriſſi: Principis COSMI de TORRES S.R.E. Cardinalis, Regni Poloniæ Protectoris, opus tam illuſtre ſub ejus Nomine, & Inſignibus in lucem publicam dedit. Dedicatoriam Prophaſim quæ Sacræ imminet Imagini, quia Illuſtriſſimi Principis erga Locum, affectûs teſtimonium, dat futuris ætatibus, & exemplum, in ſuo curſu pono:

Illuſtriſſimo Principi COSMO *de* TORRES, *S.R.E. Cardinali, Regni Poloniæ Protectori Ampliſſimo, & D. V. Czeſtockovienſis gloriæ ſtudioſiſſimo.*

SAcratam Cœlorum Reginæ effigiem, Divi Lucæ manu elaboratam, unicum Septemtrionis decus, quam meæ imitata eſt artis induſtria, Tuæ, Illuſtriſſime Princeps, offero Celſitudini. Munus profectò tanta amplitudine non indignum, digniſſimum verò humanitate Tua, quâ grata Tibi redduntur ea, quæ Regnum Poloniæ cariſſima ſe habere gloriatur, quod equidem quanta benevolentia complectaris (primum etenim purpureos honores Tuos aſpexit, gratulatumq; eſt) Gentis Polonæ Protectoris, Defenſoriſq; tituli atteſtantur. Accipe igitur benigno vultu cœleſte hoc donum, ac in eo Tuæ in Deiparam Pietatis teſtimonium, & meæ erga Celſitudinem Tuam perpetuæ obſervantiæ agnoſce monumentum; Turres verò Tuæ, quarum præſidio, & Arrha, Virginis SS. Czeſtochovia, & univerſa lætatur Sarmatia, fortunæ quoq; meæ perpetuam præbeant ſtationem.

Humillimus, & obſequentiſſimus ſervus
IACOBVS LAVRVS, D.D.

Caniſius Gratſerus Spinellus. Balinghem Gupenberg:

§. XIV. SCriptores è *Societate* IESV plures in ſuis lucubrationibus hujus Sacræ Imaginis tum magnalium, meminerunt; ſpecialiter *Caniſius, Gratſerus, Spinellus*, in Throno Deiparæ. *Balinghem* in Ephemeride Mariana. *Gvilielmus Gupenberg* in ſuo Atlante Mariano, ubi referendo Imaginum variarum, quæ per totum orbem ob miraculorum gloriam coluntur, Centurias duodecim, hæc, noſtræ Imaginis orditus Hiſtoriam, præliminaria ponit: *Quidquid totus Orbis Imaginum Deiparæ habeat, unam credere oportet Poloniam habere, cui ipſa Virgo ſpiraculum vitæ inſpiraverit, & non animam dederit &c.* Noviſſimè gratâ & erudita Poëſi, in ſua REGINA POLONIÆ R.P. *Michaël Kraſuſki* parte V. per totum, ſpecialia noſtræ Imaginis percenſet Magnalia, præcipuè ſub tempus Obſidionis Claromontanæ facta, tum in caſtris hoſtibus, & alibi; tum intra ipſa ſepta Montis Virginei.

Michaël Kraſuski.

Scriptores ex noſtro Ordine. Andreas Zimicius,

§. XV. NOn remiſſior fuit in promovendo cultu Mariano & Noſtrorum calamus. P. *Andreas Zimicius* vernaculo idiomate quamvis nonnihil ſuccinctiùs, Originem Imaginis, & totius Hiſto-

riæ

P R O OE M I V M.

riæ curſum texuit, ſub Titulo. SKARBNICA KOŚCIOŁA IASNEY GORY CZĘSTOCHOWSKIEGO, Anno 16 8 quam Illuſtriſſimo Principi *Ioanni in Oſtrog*, Comiti in Tarnow, Caſtellano Cracovienſi inſcripſit. P. *Nicolaus Wilkowiecko*: P. *Andreas Goldonowſki*, idiomate patrio, ſub Titulo SVMMARYVSZ HISTORYEY, &c. demum fuſiùs Latinè Hiſtoriam hujus Imaginis proſecutus eſt Anno 1642. quæ fuit noviſſima præſentis Hiſtoriæ in lucem publicam editio, quam ab A.R.D. *Iacobo Vſtienſi*, S. Theologiæ & I.V. Doctore ac Profeſſore, ad S. FLORIANVM Cuſtode, Almæ Academiæ Crac: Generali Rectore, & per Diœceſim Cracovienſem Ordinario librorum Cenſore, Anno eodem die 16 Maij approbatam, Sereniſſimæ Reginæ Poloniæ CÆCILIÆ RENATÆ, Auguſtæ Sereniſſimi Poloniæ Regis VLADISLAI IV. Coniugi, Singulari hujus loci Patronæ & Protectrici dedicavit.

Nicolaus VVilkoVViecko. Andreas Goldonovvski.

Andreas Kordecki. Andreas Eggerer.

§. XVI. NOn minùs liberali ſtylo eandem Hiſtoriam, aut pleraq; ex illa Scriptis ſuis inſeruerunt & Patres alij. A.R.P. *Auguſtinus Kordecki* Provincialis Poloniæ in ſuæ GIGANTOMACHIÆ, ad Sereniſſimum Poloniæ Regem IOANNEM CASIMIRVM, proloquium, in compendium coactam, aſſumit hujus Imaginis Hiſtoriam. P. *Andreas Eggerer* in ſuo FRAGMINE PANIS, ſeu de Rebus Ordinis Noſtri Cœnobiticis, ad Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDVM I. eandem recenſet Hiſtoriam, nonnulla ex eadem ſuis minoribus Opuſculis, tum Hiſtoriæ Divæ KHEMETENSIS MARIÆ, in Conventûs Noſtri Rhemetenſis Eccleſia Miraculis celeberrimæ, tum in ſuo Stellario. P. *Dionyſius Zobzynſki* in Libello cui Titulus: TRIVMPHVS MARIÆ, in quo triumphalem Sacræ Imaginis ex Maiori Baſilica in Sacellum Tranſlationem fusè proſequitur, tum in alio Opuſculo, ſub titulo DOMICILIVM ÆTERNATVRÆ GLORIÆ, &c. Illuſtriſſimo Sacelli Mariani Fundatori *Matthiæ Zubinſki* Archiepiſcopo Gneznenſi Legato Nato Regni Primati, Primoq; Principi, dedicato, meminit ſparſim magnalium hujus Imaginis. P. *Girſkircher* in Hiſtoria B.V.M. Tallenſi; ubi in Eccleſia Ordinis Noſtri Magnæ Auſtriæ, ac Germaniæ Veneratione colitur Statua Matris DEI, nonnulla Noſtræ Imaginis thaumata inſinuat. Poſtremò P. *Ioannes Wanowiczy*, in Alma Vrbe Roma Ordinis Noſtri Procurator Generalis, ſub Clementiſſimis Auſpicijs SSmi D. N. CLEMENTIS X. Pont: Max: Romanis Hiſtoriam hujus Imaginis in Lucem dedit. Germanico verò idiomati donarunt eandem Noſtri in Vngariæ Regno Patres, obſecuti piorum deſiderijs, qui in dies creſcente miraculis per Europam ex hoc

Dionyſius Zobzynski. Girskircher. Ioannes VVanoVViczy.

Monte-

Monte gloria MARIÆ, in Odigitria Imagine celeberrimæ, Originem ejus, & quæcunq; memorabilia circa illam haberi potuerunt, noscere exoptantes.

Anonymi. §. XVII PLures legi, qui literis suis, laboréq; Divæ Virgini MARIÆ propensam in ejus honorem, voluntatem testari cupientes, tum Latino, tum vernaculo idiomate, tum versibus Historiam Imaginis Odigitriæ scripserunt, viros tum in sæculari dignitate, tum in nostra Religione præcipuos. Illos tantùm refero, qui publica authoritate in lucem sua dederunt opera, quæ dum plurium teri possunt manibus, faciliùs ut puto ex eorum fida, & legitimè probata, quàm ex nuda mea relatione, Historiæ præsentis veritas, & authoritas poterit conciliari. Constat multorum publicis, privatisq; votis expetitam Sacræ huius Imaginis notitiam. Et quia varios varius delectat stylus, nonnulli pijs illorum desiderijs parere, placeréq; cupientes, variâ methodo succinctam seriem Historiæ privatim scripserunt. Ante complures annos, ut peregrinorum votis in hoc loco satisfieret, Nostri Patres, vernaculo idiomate cursum præsentis Historiæ typis dederunt, cujus exemplaria parietibus Basilicæ Claromontanæ affixa adhuc hodie leguntur. Extra Patriæ limites, à quibusdam Societatis IESV Patribus, eleganti Pôësi conscribi. Magnalia Divæ Nostræ, non ita pridem accepi. Ego nunc generalibus omnium votis parendo, præsentem Historiam propono.



ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS, SEV

HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO PRIMA.

Sacræ hujus DIVÆ *Imaginis, Originem revelat.*

Hic patet secundùm D. Ignatium Martyrem.

CVNCTIS DESIDERABILIS MARIA.

MARIA *Delicijs affluens*, quæ secundùm D. Bonaventuram in Litanijs appellatur, *Deliciarum Dei Dapifera*, suam orbi iejuno Mensam proponit, in cujus prodigijs, & gratijs, mortales, prælibando delicias, ad non mortalem dulcedinem invitarentur, noscerentque à MARIA, & per MARIAM, dari desideriorum illicia; quæ (ut Christus Sponsæ suæ Seraphicæ Catharinæ Senensi, referente Ludovico Blosio in Monili Spirituali, revelavit) *Est à Deo electa, parata, & posita, tanquam esca dulcissima, ad capiendos homines; & præcipuè animas peccatorum.* D. Bonav. Blosius.

CAPVT I.

Pingendæ Sacræ Imaginis occasionem proponit.

1. NOndum terris erepta Divina Mater, tantum sui desiderium Sanctitatis famâ, & quâdam, Imaginem Dei referentis pulchritudinis, æstimatione, in animis implantavit fidelium, ut plurimi suæ beatitatis partem non postremam putaverint, videre illam,

Ierosolymā multi veniunt visuri MARIAM.

D. Ignat. M.

D. Bonavēt.

Dion: Carth.

& alloqui; quapropter nonnulli è remotioribus mundi partibus Ierosolymam descendebant, ut suis votis fruerentur, quos inter Divus Martyr Ignatius, cœleste pulchritudinis miraculum contemplari cupiens in Virgine Deipara Divum Ioannem qui Matrem Dei post cruentam in Golgotha filij cædem *accepit in sua*, sic literis compellat: *Si licitum est mihi apud Te, ad Ierosolymæ partes volo descendere & videre Sanctos qui ibi sunt, præcipuè* MARIAM IESV, *quam dicunt universis admirandam, cunctis Desiderabilem, quem enim non delectet eam videre & alloqui quæ verum Deum peperit, si sit nostræ fidei, & religionis amicus?* Hinc æstimans humana desideria Doctor Seraphicus, *Mariam Mundo Desiderabilem* in Litanijs suis dicit. Ad visendæ, videndæque Virginis vota, D. Dionysij Areopagitæ respexit Dionysius Carthusianus in 1. Sentent. Distinct: 16 quæst: 2. scribens: *In opusculo quod de laudibus Electissimæ Mariæ edidimus, è scripturis fide dignis retuli & probavi, quòd D. Dionysius quadam vice terram Sanctam intravit, & Ioannem accessit Apostolum rogans: ut eum ad Sanctissimæ Virginis Christiferæ præsentiam & conspectum, introducere dignaretur.* Gloriatur se potitum votis D. Dionysius, dum ad suum, Gentiúmque Doctorem D. Paulum scribit Epistolam, tum in Sixti Senensis Bibliotheca, tum in alijs authoribus citatam; placet illam referre, quia liquidiùs patebit, quàm Desiderabilis fuerit MARIA.

Servus, & novissimus unctus Dionysius, Electissimo vasi Cœlico, Paulo, Præceptori, & Principi S.

Literæ D. Dionysij Areopagitæ ad D. Paulum.

Incomparabilis Mariæ pulchritudo describitur.

2. *NOn credidi, confiteor coram Deo, Princeps mi maxime, extra Deum summum, & optimum esse, haberi etiam, neque ab hominibus posse percipi, quam ego oculis non tantùm mentis, sed & corporis vidi, perspexi, atque proprijs oculis intuitus sum, Deiformem, atque supra omnes cælicos Spiritûs Sanctissimam Matrem Christi IESV Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, ex Clementia Salvatoris, & gloria Maiestatis, Deiformis Virginis Matris (ostendit, addendum arbitror.) Quoniam cùm à Ioanne vertice Evangelij, & Prophetarum, qui in corpore habitans, quasi sol fulget in cælo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis tantus me immensus Divinus splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiavit interiùs, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec Spiritus possit totius, ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit Spiritus meus, tantæ gloriæ maiestate oppressus. Testor, qui erat in Virgine, Deum, si tua Divina mente concepta non me docuissent, hanc verum Deum, esse credidissem, quoniam nulla videri posset gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò felicissimus, degustavi. Gratias ago summo atque Optimo Deo, Divinæque Virgini, & Eminentissimo Apostolo Ioanni, & tibi Ecclesiæ vertici, atque Principi triumphanti, qui mihi talia clarissimè, & clementissimè, præstitistis. Vale.*

Itaque occasio hujus Imaginis, coloribus exprimendæ, Desiderium fuit, quo præsentem vel in coloribus Divinam Matrem habere fideles exoptabant.

CAPVT II.

Habitantes in Domo Zebedæa Virgines à D. Luca Imaginis Picturam exorant, & impetrant.

Canisius. Imaginum B.V.M. pingendarum causa.

3. ET ipsam Divinæ Matris Imaginem fidelibus fuisse desiderabilem, ostendit Canisius Libro 5. cap: 22. *Cùm igitur multorum incensus esset animus, ut Domini, ac Dei sui in Cælo Regnantis Matrem coram viderent, & videntes jure suspicerent, atque revererentur, nec omnes tamen undique ad eam proficisci, suoque desiderio satisfacere possent, prudens ac pium consilium inventum est, ut Mariæ vultum saltem in tabella depictum exciperent, hócque perenne monumentum tum præsentes, tum absentes, ad suum solatium retinerent, alijque alijs invicem communicarent.*

Idiota.

D. Lucas exoratus à Virginibus pingit hanc Imaginem.

4. HÆc una fuit centum & viginti Virginum, quæ in Domo D. Ioannis Evangelistæ, cum Deipara Angelicam vitam ducebant, principalis cura, Magistræ suæ, quæ aliquando cœlo reddenda erat: Imaginem Deiparæ vicariam habere. Eo itaque tempore, quo D. Lucas comes individuus D. Pauli Ierosolymam adijt, ubi commendatione Divi Pauli, in Ioannis Evangelistæ primùm, postmodum in Mariæ familiaritatem est insinuatus, Dictatrice Virgine scripsit Evangelium, prout meminit Idiota Lib: Contempl: cap: 3. Divam Matrem affatus: *O Beatissima Virgo* MARIA *Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum, unde & B. Lucas, cui inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur Evangelij seriem à te* MARIA *didicisse*

Sixtus Senens.

didicisse traditur; ubi, ut prodit Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ Lib. 2. Litera L. & Imaginem Deiparæ coloribus expressit; *Lucas post scriptam à se Christi Salvatoris vitam, etiam Imaginem ipsius, ac Matris ejusdem, penicillo, & coloribus pinxit*; exoratus à Virginibus, quarum in Domo D. Ioannis Convictor erat, prout vetustiores hujus Historiæ scriptores tradiderunt.

Quot B.V.M Imagines D. Lucas pinxerit?

Iustinus Miechovien.

Canisius.

Imaginum à D. Luca pictarum unde pluralitas?

5. PLures tum Salvatoris nostri, tum Deiparæ ex SS. Apostolorum Petri & Pauli coloribus animavit Iconas Divinus Apelles Lucas. Primatum, secundùm originis locum, tempúsque perpensum accuratiùs, nostræ Imagini tribuere tenemur. Quatuordecim omnino, ab ejus artifice manu profectas refert Iustinus Miechoviensis, in Litanias Deiparæ Discursu 210 quarum plerasque se vidisse scribit, diversarúmque gentium refert homagia, quibus coluntur. Consurgit hîc Iconomastix Illyricus, dicítque, non omnes D. Lucæ titulo debere censeri Imagines, at refellitur à Canisio Lib: 5. de Maria Deipara, cap. 22 ubi plùs æquo, convitiatori concedit inquiens: *Atque ut maximè concedamus unam Imaginem duntaxat à D. Luca confectam esse, de qua tam multi testantur, nullusque pius ambigit, tamen & aliæ Virginis Icones, licet alienâ manu factæ fuissent, Lucæ nomine commendari potuerunt, quoniam cùm primæ inter vetustissimas ad Lucæ archetypum essent expressæ, non immeritò, quocunq; demum pervenerint, nomen gratiosius à primo authore illo Luca retinuisse videantur.* quod in sola Polonia patebit, cùm dabo plures Imagines infra, ab hac Odigitria desumptas, quæ non vulgaribus inclaruerunt Miraculis.

Imaginis hujus vetusta subscriptio.

6. STabilit veritatem acceptissima, cui hactenus neminem aut verbo aut scripto contravenientem accepimus, Imaginum ab ejus exemplari desumptarum subscriptio, à centum & amplius, annis usurpata: *Diva Virgo Clari Montis Czestochoviensis, à Sancto Luca depicta, in Regno Poloniæ Miraculis clarissima.*

CAPUT III.

In Mensa Nazaræa Domûs vivente adhuc Deiparâ, pictam esse Imaginem ostenditur.

Hæc Imago in Mensa ex Cupresso facta, picta est.

7. TAbula quæ Superbenedictæ Virginis maiestatem coloribus animatam sustinet, ex Cupresso est, usuali Palæstinæ regionibus ligno. Mensam fuisse cum nonnullis signis proportio, & authoritas vetustissimæ traditionis probat. E Nazareth in Ierusalem allatam ex annosis ritûs Græci Sacerdotibus comperit Nicolaus Lanckoronski, dum sub Sigismundo Augusto Poloniæ Rege Legatione Constantinopolim defunctus, totum id scripto in membrana prodidit, quò quid de hac Imagine, quæ annis quingentis hospitabatur Constantinopoli, per fidam relationem accepit, ubi hæc leguntur: *Verè Beata est hæc tabula virtutibus mirandis coruscans, quæ peculiari usui Virginis Mariæ est consecrata, ex pijs ejus lacrymis delibata.*

E Nazareth Domum D. Ioannis V. M suam deportat supelectilem.

Quisnam hujus Mensæ artifex?

Epiphan Hæres. 78.

Iustinus Martyr.

Christus fabrilem Officinam exercet.

8. CRedendum enim est, quòd Diva Mater, cùm in Divi Ioannis possessionem è Nazareth commigravit, cum alia supellectili, & Mensam hanc Ierosolymam deportavit, ab artificis opera commendatissimam, quam fortasse Filius ipse manibus suis, quibus *fabricatus est auroram & Solem*, fabre fecit. Certum enim est quod Ioseph Ierosolymâ reversus in Nazareth, cùm duodenni IESV, non multo post vita excesserit, eo tempore, quo firmior ætas pueri, fabrilibus exercitijs habebatur idonea. Hæc est mens D. Epiphanij Hæresi 78. *Sed neque post reditum ab Ægypto idem Ioseph multis annis vixit &c. Duodecimo anno, ascendentibus illis ab Ierozolyma, quæsitus est* IESUS, *quando non reperiebatur in itinere, prout habet Evangelium secundùm Lucam &c. Post hos annos moritur Ioseph.* Post decessum ergo Nutritij, fabrilem Salvator exercebat officinam, forsitan & artifex hujus Mensæ, quod Iustinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem Iudæum memorat, Libro de veritate Religion. Christianæ: *Cùm fabri lignarij filius haberetur, in formis videlicet, sicut Scripturæ annuntiaverant; apparens faber, atque adeo & ipse putaretur esse: fabrilia namque, cùm in hominibus esset faciebat opera.*

ChristusFaber.

Marci 6.

Mensam Domus Lauretanæ habet Czestochovia.

9. COnsonat Evangelica Historia. Sequuntur, audiuntq; sapientiæ cœlestis arcana Pharisæi, & alij Contribules, à IESV, atque optimè gnari, non in literarum Palæstra, at in Officina fabrili versatum, adolescentiæ tempore, stupentes quærunt, Marci 6. *Nonne hic est faber filius* MARIÆ? inter cujus opera hæc Mensa numerari posset. Quod si Iosephum Sponsum, Custodémque Virginis, authorem, artificemque sacræ hujus tabulæ dicerem, & sic satis commendarem opus, quod per tot ætatum vices, locorumque, in Poloniam commigrasse, probat abundè Lauretanæ Domûs Authoritas, cùm enim de Sacra Marianæ Domûs Supellectili diligens examen aliquando haberetur, in Syllabo hoc affixum olim legebatur oculis omnium usurpatum: *Mensam autem Virginis habet Czestochovia in Polonia.*

Nicephorus. Adhuc vivente B.V.M. hæc Imago depicta est.

10 PErmultis præsentis Historiæ Scriptoribus placuit sententia Epiphanij, ex quo Nicephorus libro 15 cap. 14. sensum recitat, quòd VERBI *Matris Imaginem Divus Lucas Apostolus ipse suis manibus depinxit, illâ adhuc viuente, & tabulám ipsam vidente, gratiamque adeo illi formæ suæ immittente.* Non favet opinioni adversæ, Sanctissimæ Virginis humilitas, & modestia, quam considerantes nonnulli, post triumphalem illius in Cœlos Assumptionem, depictam asseverant; sed æstimanda potiùs ejus dignatio, quâ factum, ut à Virginibus exorata sui vultûs in Mensa depingendi faceret copiam, imitata Filium, qui Edessæ Regis, Abagari desiderijs favens, præter adminiculum artis pictoriæ, Deifici sui vultûs expressit maiestatem donumque misit, ut habet Damascenus Orthodoxæ Fidei lib. 4 cap 17 *Cùm Abagarus Edessæ Rex eo nomine, pictorem misisset, ut Domini Imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex vultu ipsius manantem consequi potuisset, Dominum ipsum Divinæ suæ, ac vivificæ faciei pallium admovisse, imaginemque suam ei impressisse,* sicque illud ad Abagarum, ut ipsius desiderio satisfaceret misisse. Compari dignatione Divina Mater, non invidit orbi in sua Imagine profutura solatia, quando

Damascenus. Christus Abagaro sui vultus Imaginem mittit.

--- Circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiusque accedere jussit

Metam. 2.

D. Lucas B.V.M. perfamiliaris.

Divum Evangelistam, qui Sanctissimæ Virgini, non simpliciter *familiaris*, sed *perfamiliaris* authoritate scriptorum fuisse perhibetur, admisit, permisitque, ut sui vultus majestatem, quâ cœlum tempestatesque serenat, se præsente in tabula efformaret.

CAPVT IV.

Excidij Ierosolymitani tempore, Sacra Imago quomodo sit conservata.

Sub temp⁹ Excidij Ierosolymit: conservatur Sacra Imago. Eusebius.

11. SVb tempus excidij Ierosolymitani, quomodo hæc Imago conservata sit, certò definiri non potest. Scio Divi Iacobi Apostoli Pontificalem Cathedram, fidelium curâ subductam periculo, servatamque, primæ obsidionis tempore, à Syriæ Præside, Cæstio factæ, Anno salutis 68, biennio ante vastitatem generalem sub Tito, & Vespasiano, quam ad ætatis suæ tempora integram perdurâsse, scribit Eusebius Lib: 7. Hist: cap: 14. cum hac, opinari licet, extra Ierosolymæ regionem, ingruente periculo, positam Imaginem; nec peccat in aliorum pia placita; qui conservationem sacræ tabulæ in Dei providentiam transfundit.

12. Fue-

Divi Ioannis Domus Iudæis formidabilis.

Andreas Goldonowski, Andreas Zimicius, Nicolaus VVilkowiecko. Simon Starowolski.

12. FVerunt nonnulli, qui Domum illam, in qua Sacræ Virgines, Salvatoris nostri, Divæque Matris Reliquiarum custodes, coram hac Imagine Divinis continuò laudibus vacabant, putabant semper aspectibus Iudæorum fuisse formidabilem, quòd ab ea fulminis, aut fulguris instar lux promicans, oculorum aciem reverberando, accessum arceret. solis pervium fidelibus, cujus meminerunt hujus Sacræ Imaginis Magnalium Scriptores nostri P. Andreas Gołdonowski, P. Andreas Zimicius, & P. Nicolaus Wilkowiecko. Nonnulli haud postremæ authoritatis, invisibilem prorsus fuisse, cum Imagine, illoque Cætu Virginum, Domum, asseverant: inter quos numeratur Perillustris & Adm: Reverend: Dominus Simon Starowolski Canonicus Cracovien: in sua Divâ Claromontana, singularis Magnalium hujus Imaginis Præco.

Modus cõservationis incertus.

Iosephus.

12 QVamvis nullum nobis apertum constet, aut humanum, aut Divinum, Imaginis periculo subtractæ consilium, tamen certum est, quòd, qui potest omnia, Deus, varijs modis, sibique soli notis, indemnitati Sacræ Imaginis potuit prospicere. Et hoc ipsum Dei Parentis exemplar, stitisset rabiosum hostis furorem, si oculos tyrannorum incurrisset. Partem honoris habuisset cum illa Mensa, quam auro ponderoso gravem, è Salomonis Templo sublatam, cum aureo candelabro, alijsque ingentis pretij spolijs, à Iosepho Lib: 7 cap: 4. de Bello Iudaico recensitis, inter triumphales pompas in Vrbem Romam triumphatores intulerunt: sed noluit Crucifixi Mater, eâ tempestate in simulacro suo triumphare, usque dum Crux in salutare signum populorum, Imperatricis Helenæ manibus erecta, compareret.



ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS SEU HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO II.

Sacræ Imaginis tempus, loca, Memorabilia quæq; continet, ab eius transmigrationis tempore de Vrbe Ierusalem, vsque ad translationem in Montem Clarum.

Hic apparet.

ADMIRABILIS MARIA.

QVæcunque in parte sequenti circa sacram Imaginem facta considerabuntur, omnia admirabilia sunt. Dabunt veritati calculum, quæ in sequentibus texantur, magnalia. Nunc ad illius per Helenam Inventionem, & Ierosolymâ Constantinopolim transmissionem, cæteráque huc spectantia, calamum transfero.

CAPVT I.

Helena Ierosolymis ad sacræ Imaginis notitiam pervenit.

Quo tempore Helena Ierosolymam profecta est.
Nicephorus.

1. H*Elena, ipso Synodi coactæ anno, in somnis oraculo admonita, precationis ergo, locorumq; sacrorum cognoscendorum gratiâ Ierosolymam petierat, neque se ea in re, vel itineris laborem, vel senectutis molestiam remorari est passa,* inquit Nicephorus Lib: 8. cap: 29. & hoc Anno Salutis 326. post funestam Sanctæ Civitatis depopulationem Anno 286, Imperij filij sui Anno 21. Venit in Domum Sacris Virginibus Ierosolymis

habitatam, *nonnulli dixére Iudæo homine ex paterna quadam traditione regionem indicante, &c. reverâ autem, ut equidem puto, Deo signis quibusdam, & visionibus nocturnis ostendente, cùm enim Deo visum esset res Divinas, & occultas in lucem proferre, minimè opus fuit humanis indicijs ait idem Nicephorus.* Quòd certus domûs proditæ modus non ponatur, authoritas ex Nicephoro desumpta obstare videtur, qui eam Domum Iudæis prorsus incognitam, ac invisibilem asseverat.

Quomodo Helena ad Domum D. Ioannis deducta fuerit.
Idem Ibidem.

2. QVocunque tandem modo ventum est ad notitiam sedis illius, quam suâ maiestate Magna in Imagine Hospes Maria impleverat, *Accedit* (Nicolaum Lanckoronski recito) *ad Sanctam Domum Beata Helena sincerâ devotione, ut pote Christianissima, & cum magna reverentia excipitur, sciscitantique sibi de Matre Christi, secreta mysteria solatiosè enarrantes, Beatam Mariam post Passionem sui Filij in hac domo omnibus diebus, vsque ad felicem in cælum transitum habitâsse, gaudiumq; maximum de apparitione filij sui gloriosa, post Resurrectionem excepisse, & catera plura dulcissima conferebant secreta.* Quapropter Augusta suspicata prudenter nonnullas hic Divinæ Matris exuvias latere, impensioribus humanitatis officijs colere cœpit Partheniam congregationem, testatur Ruffinus Lib: 1. cap. 8. *Reliquit hoc Ierosolymis indicium etiam religiosi animi Regina Venerabilis, Virgines, quas ibi reperit Deo sacratas, invitâsse ad Prandium, & tantâ eas devotione curâsse dicitur, vt indignum crederet, si famularum uteretur Officijs, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis, ac Mater Imperij, Famularum Christi se famulam reputaret.* Idem refert & Theodorus libr: 1. cap: 8. Socrates lib: 1. cap: 13. in fine, & Sozomenus lib: 2. cap: 1.

B Helenæ cum Virginibus colloquia familiaria.
Nicol: Lanc:
Ruffinus.
B. Helena, quæ obsequi à Virginibus præstiterit.
Theodorus.
Socrates.
Sozomenus.

3. SIc Helena captivatis Partheniæ congregationis affectibus, intellexit nonnullas hîc de vestibus Matris Dei reliquias conservari, quas inter ultro præsentant Sacram hanc Imaginem, opus Divi Lucæ Evangelistæ, cujus desiderio Augustã teneri advertentes, gratificandæ humanitatis occasionem nactæ, hanc Imaginem in munus offerunt, cum adnotata origine, & prodigijs illius, ut ex vetusta Græcorum Patrum traditione memorat, Lanckorońſki. Atque ideo, nè tempus gestorum ordinem, aut inverteret, aut aboleret penitus, cùm per Christianum orbem opere, aut pictorio, aut chalcographico Divæ Claromontanæ exprimuntur Imagines, origo, translatio, Divæ Helenæ per Virgines Imaginis traditio, ad limbum Sacræ Imaginis efformantur, quo palàm fiat, illam à Divo Luca in Mensa Domûs Na-

B. Helenæ Virg: offerunt hanc Imaginem.
Mos pingendæ hujus Imaginis.

zaræ depictam, Helenæ à sanctis sororibus immediatè traditam, & ab eadem, Constantino Ierosolymâ transmissam.

CAPVT II.

Sacræ Imaginis Translationem de Ierusalem Constantinopolim prosequitur.

B. Helena hanc Imaginem Ierosolyma Cõstantinopolim filio mittit.

Nicephorus.

4. QVamvis constans sit complurium Scriptorum sensus, hanc Imaginem ab Helena Constantino Filio Missam Ierosolymâ, nonnulli tamen dubium eliciunt ex Nicephoro Libro 14. cap: 2. circa finem, qui ab Eudoxia Pulcheriæ missam asserere videtur: *Templum, quod viæ Ducum cognomine clarum est* (erexit Pulcheria) *in quo Divinam illius* (Matris Dei) *Imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula depictam reliquit, sacrumq; pensum, & Servatoris ipsius fascias, perinde, atque thesaurum, quem ad eam Eudoxia Augusta, cùm Ierosolymâ profecta est, misit, servandas curavit.* Venerabilis est authoritas Nicephori viri inter Principes Græciæ Scriptores non postremi, minimè tamen obstat, ne Constantino ab Helena transmissa hæc Imago credatur, cùm illud, quod de Thesauro misso Constantinopolim ab Eudoxia loquitur, non includat Imaginem primo loco positam, sed de penso tantùm, & fascijs accipiendum est, quæ veluti thesaurum Pulcheriæ misit Eudoxia, longè ante præexistente in Aula Regum Bizantinorum Imagine. Hunc genuinum sensum, mentémque Nicephori advertet, qui legerit Baronium, sub hac divisione, hunc Nicephori textum explicantem, tomo 5. sub Anno 439. num: 4. ubi ait, quòd Iuvenalis Ierosolymorum Episcopus per multa Sacrarum Reliquiarum dona contulit Eudoxiæ, inter quæ Fasciæ Salvatoris nostri memorantur, eundémque Nicephori locum recitans, nullam Imaginis ante (ut dixi) Constantinopoli præexistentis facit mentionem, licet easdem Pulcheriæ transmissas fateatur.

Baronius.

Quo tempore hanc Imaginem Helena filio miserit.

Cicero.

5. EO itaque tempore Mater Helena Sacram hanc Ierosolymâ Filio misit Imaginem, quo Byzantium Vrbem, quam Cicero in Oratione de Consularibus Provincijs *Liberam, Romanis fidelissimam*, Herodianus Libro 5. aliarum omnium Vrbium in Thracia felicissimam, viribus, & opibus florentissimam prædicat, sed à Vespasiano libertatibus privatam, à Pescennio Nigro Tyranno occupatam, à Severo in vici formam redactam, ad fastum, speciémque superbam Romæ reducebat, cúmque iam Novæ Romæ, seu Constantinopoleos

nata-

natalium secundus annus volveretur, de Nomine, Tutelaribusque Patronis Vrbi deligendis cogitabat. Qui Romam veterem Sylvestro, Summo in terris Christi Vicario donavit, occasione sumpta ex Imagine ab Augusta Matre missa, Novam Romam Matri DEI desponsare voluit. eam in Imagine, veluti inexpugnabili Clypeo, Præsidem Vrbi, Tutanam, Patronamq; constituendo, coacta ad ejus dedicationem plurimorum Episcoporum Synodo. Ejus festivitatis meminit Nicephorus lib: 8 cap: 26. *Igitur Encania, & Consecrationis festum diem celebrans, incruento Sacrificio operantur, precibus, votisq; Vrbem abundè prosequuntur, & firmans, eandemq; Dei Genitrici dedicant.* Quo factum, ut deinceps Constantinopolis *Civitas Virginis* diceretur, uti videre est apud Theophanem, & Theodoretum, qui lib: 5 cap: 33. eam appellat VRBEM MARIÆ. Ex utroque, puto, habet Canisius libro 5. cap: 23. *Vrbem illam universam, quæ Orbis miraculum & Regna Vrbium à quibusdam dicitur, Dei, & Domini nostri Matri Mariæ sub Alexandro Episcopo dedicavit: unde Constantinopolitani Mariam sibi Patronam postea semper habuêre, illamq; suæ Patriæ propitiam, & beneficam esse re ipsâ senserunt.*

Constantinopolis Vrbs Mariæ unde?

CAPVT III.

Honores huic sacræ Imagini ab Imperatoribus Byzantinis præstiti.

6. ILle principalis Honor nostræ obtigit Imagini apud Imperatores Constantinopolitanos, in AUREÆ FORTUNÆ locum successio, quam olim in Cæsarum Aulis cultam scribit Svetonius. Testem recito Iulium Cæsarem Bullengerum, in Academia Pisana Doctorem, de Imperat: Roman: Lib: 2. cap: 28. *Christiani Imperatores pro Fortunæ simulacro Beatæ MARIÆ Virginis Imaginem Ducem coluerunt θεομήτρα ὁδηγητρίαν.* Exemplum fuit Christianorum Principum norma Constantinus, qui sublatis Fortunæ profanæ simulacris, deletisque salutari lavacro cum lepra gentilium erroribus, Imaginem à Matre Helena missam, *Odigitriam* appellatam (uti mox infra patebit) in conclavi suo collocavit; cujus meminit & Simon Starowolski in sua Diva Claromontana: *Sacra Imago in Capella Palatij Byzantini cum alijs reliquijs à Constantino Magno reposita, in veneratione fuit apud Græcos Imperatores, ad tēpora usq; Caroli Magni.*

In Aureæ Fortunæ locum successit Imago.

Starovolski.

7. AD momentum honoris tanti accessit, quòd pristinos affectus Imperatorum imitata Pulcheria Augusta, Basilicam

Imagini Basilicā erigit Pulcheria.

 illi in

illi in *Via Ducum* erexit, ut non ſola deinceps Imperatorum Conclavia, ſed univerſus Senatus, Populusque Byzantinus clementiſſimis ejus aſpectibus, & ſolatijs frueretur. Cùm autem privatam, publicamq; religionem Divina Mater ampliſſimis beneficijs rependeret, pia Senatûs gratitudo cultum ampliavit, quo firmata, propagataq; devotio, DEUM Divamq; Matrem ad ulteriores Vrbi favores conciliavit, quos percẽſet ſtrictim Caniſi⁹ l. 15. c. 22. *Summo in pretio à Græcis habita ſemper fuit* (Imago) *præſertim cùm frequens accederet miraculorum gloria, per quam DEVS in Maria colenda, religionem ſibi gratam eſſe monſtravit*. Huc adegit Conſtantinus ambitioſi Syrgiani faſtum, ut læſæ Majeſtatis reus non alibi offenſæ veniam precaretur, impetraretque, quàm ad hanc Imaginem. Hoc exemplo patefactum eſt orbi, nullam illis florentiſſimis religione temporibus, fieri injuriam Imperatoribus, atque nullum illis honorem præſtari potuiſſe, qui in Divam ODIGITRIAM, ob communem regnorum, & fortunarum cum ea communicationem, non refunderetur.

Caniſius libro 15. c. 22.

Ad hanc Imaginẽ Syrgian⁹ veniã precatur à Conſtãtino.

8. ILluſtriores temporum curſu; cultus habuit Imago Odigitria ex publico Senatûs decreto; illo præcipuè tempore, quo MARIÆ Præſidis ope triumphatis hoſtibus, pax iterum, atque iterum fuit reſtituta. Sæpe humeris Procerum eminens, inter exultantis populi plauſum, ſubvecta, in curru triumphali ſtatuebatur, triumphabatq; deducta per adornatas Vrbis plateas, Imperatore, ac Principibus ponè currum ſequentibus. Prædicavit, amavitque adeo feſtivos in triumphis ſacræ Imagini exhibitos honores Senator Polonus Staniſlaus Kobierzycki Palatinus Pomeraniæ in ſua Diva Claromontana memoratos. Imitatus eſt antecedentium Imperatorum religionem Emmanuel Comnenus, pares Virgini, quam Caniſius Lib: 5. cap: 22 Imperatorum *Invictam Adjutricem, & inſuperabilem Commilitonem* appellat, quamvis non in hoc Simulacro, quod jam in Ruſſia colebatur, in alio tamen ſimili, triumphos inſtaurando.

Imago in curru triumphali deducta.

Staniſlaus Kobierzycki

Caniſius.

CAPVT IV.

Nonnulla Memorabilia Byzantij.

9. A Civium Conſtantinopolitanorum luce, miraculorũ lucem orditur MARIA. Duo noti cæcitatis calamitate Cives, nullum vitæ ſuæ ſolem viderunt. Vidit illos MARIA: & quia videre miſerum neminẽ poteſt, & non miſereri; cæcos in ſuũ conſpectum, illis apparens, ad Imperatoris Conclave deduxit, ibique luminis optati gratiam, *Illuminatrix, & illuminata MARIA* impertivit. Ex hac prodigioſa viſûs reſtitutione, & in conſpectũ ſuum deductione, ODIGITRIÆ nomen, ſeu *Deductricis*, ſeu *Ducis* Imaginis, appellationẽ accepit, & habet uſque hodie apud hiſtoricos.

Odigitriæ Imaginis nomen unde.

10. CLementiſſimum agnovit Virginis oculum Conſtantinopoleos populus. Cùm enim Cæſarum ſecutus exẽpla, causâ devotionis, Ædem ejus honori ſacram, frequentior impleret, quavis feria ſexta ſub veſperam, inviſibili virtute, nullo manus admovente, flammeum ab Imagine recedebat; ſicque totam ſubſequentis Sabbathi noctem, diemque veluti ſol novus, ac nova exoriens Phœbe, colluſtrando; uſque ad veſperam, omniũ aſpectibus patebat, donec iterum, adducta virtutis inviſibilis officio cortina velaretur. Hæc D. Anſelmus in Act: Conſtantinop: Durandus, & alij. In cujus rei memoriam, per tria ſæcula in hoc loco, ſolius Sacerdotis manu aut reducebatur ab hac Imagine cortina, aut adducta eadem claudebatur. Nunc argentea tabula, quam Illuſtres, ac Magnifici DD. Działynſcij Matthias & Paulus Anno 1675, nomine Illuſtriſſimi Parentis ſui Sigiſmundi Działynski, Palatini Breſtenſis obtulerunt, clauditur. Hic Sanctiſſimi Progenitores MARIÆ, Ioachim & Anna, in repando eminentẽ Lilio ſtipant Virginẽ ſacratiſſimam; ſubiecti pedib⁹ vernaculo idiomate verſus, ſupplicẽ Familiã DEO ejusq; Matri cõmendant: ſupernè hoc latinè exaratum eſt:

Imago nemine manum admovente miraculosè revelabatur

Scandite mortales Clari alta cacumina Montis,
Hîc vobis cunctis facta MARIA ſalus!

11. QVoties hoſtis ad Vrbis expugnationem ruebat, toties ad hanc Imaginem recurſum eſt. Per mœniorum ambitum circumlata, victoriam apertis prodigijs tribuebat. Patet ex Epiſt: Gregorij II. ad German: Conſtantinop: Epiſcopum: *Propugnatricis illius Sanctæ, & omnium Chriſtianorum Domina miranda facta, quæ in ſe declarata ſunt, per quæ tu quoque inter hoſtes ſervatus es, non ſunt reticẽda: illi enim cùm inſaniâ multa tumultuarentur, tantùm invenerunt in ſe adverſitatis hoſtiliũ, quantùm eorum cauſa injuſtitia habuit. Neque hoc tamen mirandũ eſt: nam ſi Bethulia per manus Iudith Iſráelitis ſervata eſt, cujus opus Holefernis erat ſublatio, & per ea tempora ob id ſalus Iſráeliũ vocata eſt; quomodo non oportebat & Tuam Sanctitatem, huiuſmodi Pugnatrice utentem, hoſtibus Civitatis prævalere, ipſamq; victoriã coronare.*

Per mœniã Vrbis circũlata dat victorias.

12. PRopugnatricis Divina Mater ſuſcepit munus, quòd cujusvis hebdomadæ feria tertia, per circuitum deportabatur.

Quavis feria tertia

per Vrbem circumlata.

Quoties contra hoſtem ſublevata fuit, toties, ut refert Ammianus Lib: 31. *Subrauca, & lugubre ſtrepentia* monſtra ciebantur, quorum alia labris pallidis ex vulneribus hoſtiū cruorē ſugebant, alia claſſes tēpeſtatibus miſcebant, alia nocte ſerenū diem involvebant. Vrbis obſervare mœnia viſi ſunt inſvetæ magnitudinis Viri, qui armis horrificū ſplendorē fulgurabant; viſæ in mœnibus ad arcendos impetus hoſtiles infuſæ copiæ, audita tonitrua. Antecedebāt ſucceſſus victorioſos rigida Vrbis univerſæ jejunia; pijs vacabant omnes operibus, demum ſolita, & in deſperatis caſibus frequenter uſurpata ſupplicatione Mariam appellabant unâ voce: *Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberaſti, libera nos modò de inimicis Filij Tui, & in mari merge illos!* Ad votum omnia ſuccedebant. victorias quamvis ipſi DEO primariò, citatus Gregorius II. attribuat, agnoſcit, & propitium Numen Virginis præſens ad Imaginem Odigitriam, cùm inquit: *Bellum erat cum impijs, in quo licet non apertè, inſignem tamen belli Socium habuiſti Dominū noſtrū IESVM Chriſtum: deinde etiā ſanctā, omniū Dominæ, caſtæ DEI Matris Imaginem, cuius faciē divites populi ſupplicant.*

Ad eius ſublevationem hoſtes monſtris exagitantur.

Quomodo invocata ſuccurrebat.

Gregor: III. Epiſt: ad German: Epiſc: Conſtātinopol.

In variis periculis Vrbē tuetur.

13. INternas quoque peſtis Arrianæ molitiones hîc ſuppreſſit, ac penitus extinxit MARIA. Gajanas hæreſis Arrianæ fautor, ſanguinis Chriſtiani cruentus helluo, cùm templa Chriſtianorū Arrianis aperiendi, & Conſulū capita non impetrat ab Arcadio, armorum apparatū clam Vrbi ſubtraxit, palatiorū incēdia attentavit, trucidavit portarū vigiles, negatos Arrianis favores Civitatis excidio, & imperij ruina ulturus. Adfuit præſens in hac Imagine MARIÆ Numen, quod vim Arriani furoris retunderet; nam (Sozomenus lib: 8. cap: 4. ait:) *Videre ſibi viſi ſunt multitudinem armatorum vaſtis corporibus formidabilium*, qui ſacrilegos conatus à cœptis machinationibus deterruerunt.

Sozomenus.

Caniſius.

Ad huius Imaginis incuitum, furens Andronicus manſueſcit.

14. SEnior Andronicus, huic Imagini ſalutem, vitamq; debet. Rem è Gregora deſumptam, ſic refert Caniſius l. 5. c. 22. *Cùm junior Andronicus, ut erat mirè ambitioſus, nocte per inſidias Conſtantinopolim occupaſſet, in magnos angores Avum ſuum, qui Senior Andronicus dicebatur, inſperatâ vrbis occupatione, injecit; qui Avus cùm adventantiū hoſtium tumultum, & clamorem præter omnem expectationem, nocte ſenſiſſet, de lecto proſilijt perturbatiſſimus, præſertim quòd nec duces, nec milites ad defenſionem parati adeſſent, ac ipſe humana ope deſtitutū ſe prorſus cerneret. Habebat autem in Palatio ſecum Deiparæ Imaginem, ad quam in tanto diſcrimine ſibi confugiendum putavit, ut optatam ac neceſſariam opem per Mariæ patrocinium Divinitùs*

vinitùs

vinitus impetraret. Itaque coram ipſa hac Imagine tum humi proſtratus, magnâque fiducia uſus, ardenter cum lacrymis obteſtari pergit, ne Virgo Mater periclitantem ſe deſerat, néque ſicariorum enſibus miſerum obijci ſinat. Nec vana fuit obteſtatio, ſed ſubitam opem Virgo attulit, ut omni metu ac periculo Senior Andronicus liberaretur, ſuúmque Nepotem contra ſpem omnem valde humanum experiretur. Is licèt novâ victoria elatus eſſet, attamen cùmprimum in Palatium ingrederetur, religione commotus, quoniam venerabilem Dei Genitricis Imaginem præſentem adeſſe cognovit, hanc inprimis veneraturus acceſſit. &c. Odigitriam fuiſſe authores teſtantur, quamvis Gvilielmus Guppenberg: in Atlante Mariano in Centuria 8. confundat hanc Odigitriam cum Andronici Imperatoris Imagine ſub numero DCCLIV. Semper itaque in Imagine præſto Maria propugnabat Conſtantinopolim quingentis Annis, quantis deinceps miſceretur tumultibus, poſt ejus in Ruſſiam colonias, in hoſtium poteſtatem redacta, latè legendum proponunt Orientis Hiſtoriæ.

Gvilelmus Guppēberg:

CAPVT V.

Iconomachiæ tempore Conſtantinopoli Sacra Imago mirabiliter conſervatur.

14. CLades Iconomacha à Iudæis ad Saracenos transfugis habet exordium, ab hac Imagine occaſionem. Tot Saracenorum Conſtantinopoli ſæpius imminentium ſtrages ad eam referebantur, quòd in ſupplicationibus circumlata per mænia, fulminum inſtar hoſtes retundebat. In ipſa Vrbe exortum hoc incendium per Leonem Iſauricum, cuj ex magicis prænotionibus, aut veriùs ex impoſturis, imperij diuturnitatem appromittebant Iudæi, futurúmque fore ſpondebant, ſi demolitis Imaginibus, cultum, & memoriam illarum aboleret. Hæc ex Theophane. Quàm indignis exinde modis tollebantur imagines, Eccleſiæ Græcæ Menologia loqvuntur. Aliæ ſecuribus findebantur, aliæ in favillam ignibus redactæ, aliæ cœno fœdatæ, aliæ ferro in parietibus eradebantur. Ex utroq; ſexu Zelo armatos defenſores habuit erga Sacras Imagines conſtans devotio. Plurimi, quorum magna pars fuit imbellis fœminarum turba, ſangvine ſuo incendium illud ſopire ac extingvere conati, decoris in Eccleſia Græca & Latina Martyrum Triumphis coronantur. In tam lata, & in Septuaginta annos protracta, ſub tribus Leonibus, infernalium monſtrorum catulis, ſacrorum ac profanorum confuſione Imago Odigitria inviolabilis perſeveravit.

Iconomachiæ origo.

Theophanes.

15. Ser-

Imaginis conservatæ certus modus in clade Iconomacha ignoratur.

15. SErvatæ hîc Imaginis, cui tribuenda laus, ignotum, nec enim aliquam ſuper hoc notitiam ſuppeditavit nobis traditio veterum. Suſpicarer deberi Divo Germano Conſtantinopoleos Epiſcopo, quem permultæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Reliquiæ ſuum conſervatorem recognoſcunt. Et hæc opinio perplacuit nonnullis, quod in Palatijs Imperatorũ Hoſpes imago, incorruptum in illa ſacrarum Imaginum clade, cultum habuerit occultum, à filiabus ſcelerati Leonis. Anthuſas appello Copronimi filias, quarum Senior cùm debitos honores Imaginibus præſtaret, à Patre (ut loquitur Menologium Græcum) *dirè percuſſa*, ab earundem cultu prohiberi non potuit; aut certè in Irenes Auguſtæ Curas referenda conſervatio; aut demum, ſi humanæ induſtriæ nihil concedemus, Imaginis conſervatio debebit ad providentiam Dei pertinere.

Baronius Anno 775.

CAPVT VI.

Sacram Imaginem Conſtantinopoli Carolus Magnus in munus accipit, Leoni deinde Ruſsiæ Principi donat, quam ille in Arce Belzenſi in Ruſſia collocat.

16. QVo tempore per ſummam injuriam Irenes Auguſtæ throno Imperiali pulſæ, Conſtantinopoleos imperium Nicephorus uſurpavit, Carolus Magnus poſt repreſſos Saracenorum, terram Sanctam occupare adnitentium, conatus, cum Leone Ruſſiæ Principe, quem inter alios Principes ad belli ſocietatem advocavit, victriciam Gallias arma referebat. Proceſſit illi Nicephorus obviam exorans, ut per Græciam, Dalmatiamque profectus, Conſtantinopolim reviſeret, quod arbitrantur, alij factum ideo, ut fraudibus circumventum è medio tolleret, ne Irenes, quam ad connubialia fœdera non ità pridem Carolus Magnus expetebat, injuriam, vindicibus armis ulciſceretur; alij, ut muneribus, & humanitate victoris benevolentiam captaret. Non abnuit Carolus, humaniter exceptus Conſtantinopoli, multis à Nicephoro affectûs imperialis officij colitur, demum aperta totius Orientis gaza, ad eligendum quidquid placeret, invitatur.

Carolus victor Saracenorũ Conſtantinopolim reviſit, cum Leone Principe Ruſſiæ.

Nicolaus Lanckoron:

17. NEceſſum eſt hîc Lanckoronium recitare, ut Caroli Magni religio fiat apertior. *Fruſtra* (inquit ille) *ratus eſt exhibere theſauros auri, & argenti tantùm, ſed deſideratiſſima & omni veneratione di-*

gna

gna antiquitatum & Originis Chriſtianæ monumenta, Sacras videlicet Reliquias Chriſti & Matris ejus Benedictæ, obtulit Nicephorus &c. Benevolentiam & favorem Beati Caroli anhelans, Divinâ pietate occultius diſponente aperuit eidem theſauros Sacrarum reliquiarum in Sacello Imperiali repoſitarum liberaliter offerens quidquid vellet, ex eis ſibi vendicaret. Et primùm obtinuit Venerabilem, ac decoram Imaginem Beatæ Mariæ, de pictura Sancti Lucæ cum ſufficienti deſcriptione Originis ejus, linteamina de ſepulchro Domini, Camiſiam B. Virginis, in qua erat in illa feliciſſima hora, quando Dominum peperit, duos cingulos in Monſtrantijs duabus B. MARIÆ, *& Chriſti, quos B. Virgo proprijs manibus fecerat, panniculum cincturæ Domini in Cruce, Coronam Spineam Domini non integram, Lanceam Domini, non modicam partem Sanctæ Crucis, linteamen ſangvinolentum, quod ſubſtratum fuit capiti Ioannis Baptiſtæ decollandi in carcere.* Addit memoratus Author has omnes reliquias ſe vidiſſe in Aquiſgranenſi Eccleſia (excepta Imagine) in qua requieſcit Beati Caroli Corpus integrum.

Ex Imperatorum Orientalium Theſauro hanc Imaginem Carolus accipit.

18. REvertebatur eo tempore cum Carolo Ruſſiæ Princeps Leo, ob vitæ, morumque integritatem, tum ob virtutis bellicæ gloriam illi dilectus, cujus conſvetudine cùm diutius oblectari Carolus deſiderat, Ruſſiæ Legati, nunciantes Provinciam prædaticijs Tartarorum armis populari, feſtinatam ſui Principis præſentiam requirunt, quæ illorum pernicitatem, & audaciam coërceret. Victus ergo ſuæ gentis neceſſitatibus, & amoribus, apparat expeditionem. Curæ fuit Carolo virtutem Principis Leonis, in humiliandis Saracenis victricem, ornare muneribꝰ, quapropter nè minùs gratus, ac liberalis videretur, quidquid inter ſupellectilem regiam placeret, eligendi facultatem propoſuit. Oblata hac optime, indoluit Carolus ſe ad arbitrium Leonis liberalem fuiſſe, cùm unius Imaginis Conſtantinopoli à Nicephoro ſublatæ, deſiderio teneri Leonem intellexit; incipit recuſare velle, ſed validiores, ad expugnandum repugnantis animum, admovet modos, dum (ut habet ex Græcorum vetuſta traditione Lanckoronski,) ad Regios pedes prociduus, promiſſum optionis iure donum exorat. Quid per ambages voluatur votorum exitus? quam Imaginem viſam primò Conſtantinopoli amavit, in Gallijs deſideravit, & coluit, demum diſceſſurus in Ruſſiam impetravit.

Legatiõ ad Leonem Ruſſiæ Principem.

Leo Princeps Ruſſiæ à Carolo M. hãc obtinet Imaginem.

19. TAnti pignoris poſſeſſione ditior Leo, anticam Imaginis partem puro auro in laminam diducto, in ſertis ſeptuaginta tribus magni pretij lapidibus, poſticam verò tabulæ faciem, thecâ argenteâ clauſit, ſicque decoratam Imaginem in Quadriga, circumſtipan-

Leo inter triumphales pompas Imaginem in Ruſſiam d...

ſtipan-

ducit & in Arce Belzē-si collocat. Gvagninus in Sarmat: Europ:

stipantibus undique armatorum copijs, ad speciem triumphi, ut in Exemplari Lanckoronij coloribus expressam Ecclesia Claromontana servat, in Arcem Belzensem, quàm teste Gvagnino in Sarmatia Europæa, *nequaquam Tartarica Sagitta attigit*, deduxit, eo tempore, quo Roxolani fidei dogmatibus imbuti, tanta præside se dignos effecerunt, ubi sacerdotum ritûs Græci custodiæ tradita, solius Russiæ devotione colebatur. Quibus beneficijs Diva Mater se propitiam Russiæ ostendit, per annos quingentos productum tempus, apud incultam literis gentem, veluti Letheus oblivionis vortex abligurivit, nullam præter solam Imaginem hic relinquens gestorum memoriam.

CAPVT VII.

Sacra Imago ex Russia in Poloniam translata Fratribus Eremitis Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ in Custodiam traditur.

Post 500. Annos Sacra Imago ex Russia quomodo in Poloniam venerit.

20. SVb Casimiro Magno sæpius indulgentiâ libertatis insolescês Russia, subiectionem detrectabat rebellis suis Principibus, donec Vladislaus Oppoliensium Dux, à Ludovico Vngariæ, & Poloniæ Rege sibi iure langvinis conjunctissimo, Russiæ in Poloniæ ditionem redactæ, hæres, ac Dominus, Poloniæ verò Gubernator constitueretur. Cùm authoritate Regia susceptus à Polonis honorificè Vladislaus, & Russiam Poloniæ conterminam, rebellionibus contra se tumultuantem ingreditur, munitiones, quæ liberum prohibebant ingressum, expugnat, quas inter Belzensem dum invisit, hanc Imaginem pristinis honoribus, & veneratione destitutam invenit. Et quia à Primo originis tempore, nihil ei tam proprium, quàm animos, & affectus Principum in amorem trahere, & Vladislaus ad primum ejus aspectum, suos illi devovit affectus. Pacatâ non nihil in Russiæ visceribus rebellione, aliquali pacis otio, sat perbrevi tot laborum fructu, sub hoc Orientalium victoriarum tropæo fruebatur, priscos Virgini Deiparæ honores restituere cogitando, quos amplissimos fuisse Constantinopoli, tum fida majorum traditio, tum in vetustissimis scriptis ponè Sacram Imaginem relictis, notitia comprobarat.

Tartari vastantes Russ-

21. INterea Volhiniam, confinémque Russiam inundantes Tartari, totam igni, ferróque latè usque ad Belzensem Arcem populantes,

tes, à Vladislao munitionis deditionem extorquebant repetitis impressionibus. Inopinatis assultibus Princeps consternatus, à Diva Matre, ante hanc Imaginem procumbens, exorat auxilium, dúmque vota supplex prosequitur, sagitta pernix involat conclave, guttur Virginis, & hodie cicatricem, quæ nullis coloribus obduci potuit, referente Imagine, transverberavit. Sensit & Vladislaus cordis vulnus ab Imaginis læsæ vulnere derivatum, iustâque indignatione motus Divam appellat: *Ecquid Diva tuam injuriam non vindicas?* hinc illico teterrima nubes agmina Scitharum circumclusit, ex quo horribili tenebrarum syrmate seu egrediebantur, seu nitebantur egredi formidanda mollis giganteæ monstra, quæ armis trucique vultu horrentia Tartarorum terga premere, minacissimo armorum splendore fulgurare, granibúsque missilibus in sacrilegos fulminare visa fuerunt. Iam portentosa subsidij militaris acie perterriti, perque campestria palantes, alij inter se vindicibus armis mutuo sævire, alij fuga dubiâ saluti consulere, alij rigefacti dum non patet effugium loco hærere, donec Vladislaus paucis præsidiarijs stipatus, ex Arce proruens, partem dissiparet, partem in vincula conijceret gloriosus læsi honoris Mariani ultor.

siam obsident Vladislaum.

Imago læditur sagitta.

Plaga pestilens sacrilegos punit.

Vladislaus impetrat Imaginis translationem.

22. AD gestæ itaque rei testimonium, victor Vladislaus, in Vngariam Ludovico Regi, nonnullos è Tartaris, vinculis adstrictos, per Legatos mittit, qui suscepti laboris in defensione pretium, inventam in Arce Belzensi Imaginem expeterent, reduces à Rege Legati, Vladislao, cui universam Russiæ provinciam dederat, & Imaginis asportandæ facultatem declarant, in qua sibi novum obtigisse regnum visus, submotam ex Arce Belzensi, ac in Ducatum Oppoliensem destinatam secum deducit. Felix, ac facilis erat cursus itineris usque ad Montem Clarum, à Castro Olsztyn duabus leucis dissitum. Cogitabat interim in itineris procursu Vladislaus, quibus tantam Hospitem, sospitámque suam exciperet honoribus in Oppoliensi Ducatu, sed anceps, suique dubius animus debuit erudiri miraculo, nutúsque Mariæ & rarum sibi locum deligentis expectari. In Montis ergo Clari vertice, veluti adnata solo cum equis hæsit quadriga, quæ Sacram Imaginem supportabat, necdum observantes arcana Divæ Matris placita, machinas currui movendo admoliuntur, nihilominus constanter uni affixus loco perseveravit. Suspicatus, quod erat, Deum Divamque hunc locum Imaginis habitationi delegisse, supplex supernæ voluntatis

Dum Imago Oppolium destinata ducitur miraculose in Claro Monte subsistit.

interpretationem, & confirmationem Princeps exorat, adest in alta somni quiete Legatus cœli, nuntiat Vladislao hunc suæ habitationi locum elegisse Reginam Cœli. Paruit monitori cælesti pius Clientis animus, quæ mandabantur exequendo.

Vladislaus Fratribus Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Sacram Imaginem tradit ad custodiã.

23 PRincipalis superabat cura Vladislao, dignum tanta maiestate, ad custodiam, cultúmque, famulatum advocare. Florebat in Regno Vngariæ approbata non ita pridem, à Sede Apostolica sub titulo Sancti Pauli Thebæi Eremitarum Principis (quem Orthodoxa Ecclesia *Eremitarum Magistrum, & Authorem* nuncupat) Congregatio, & sanè gloriosis incrementis, de qua manuscripta Ordinis testantur, sæpius è Fratrum sepulchris non suo tempore lilia, rosasque germinasse, quæ frequentia miracula dum supremo Ordinis moderatori, aliisque Cænobiorum præsidibus nuntiarentur, & post fata servandæ humilitatis obligatione adstringentes, obedientiæ professæ cultores mortuos, ad non propalanda Sanctitatis & meritorum indicia agebant illa Sanctitatis germina pedibus proculcando, ac proferendo. Fusius Ordinis hujus Elogiá prosequitur in sua Archontologia Colmica Ludovicus Gotofredus. Hæc per anticipationem. Non latebant adeo illustria novellæ Congregationis ornamenta Vladislaum, quapropter huic pusillo gregi, ab Eremo Pannonia, vocato, Regnum hoc (Sacræ Imaginis custodiam) & Deo, & Matri Dei & Vladislao Principi dare complacuit, qui eodem Anno supra Millesimum Trecentesimum Octuagesimo Secundo, hanc Thaumaturgam tabulam, per sæcula tredecim & amplius, sub Imperatorum, Regum, Principúmque cura, servatam, Nostrorum Patrum fidei, ac religioni commendans, Basilicam tantæ Patronæ & Cænobium, prout angustiæ temporis ferebant à fundamentis erexit.



ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS.

SEV

HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO III.

Montem Clarum, Ecclesiam, Sacram imaginem, cultum quo à Regibus, Principibus, diversisque statibus, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, honoratur, describit.

Hic eminet

IN SION MARIA.



QVia ex hoc Monte vigili semper oculo MARIA, communes Regni, particularésque populorum necessitates, prospectat, meritò *Sionis* nomine quod *speculationem* significat, appellari potest. Hunc sibi collem in Speculam delegit, in qua gratiarum claritate præfulgens, novámque fundans Pharum, omnes ad Asylum, portúmque salutis, ac solatiorum provocat, quotquot hoc amaritudinis mare navigantes periclitantur. Aut si mavis Arcam hic esse MARIAM, cujus erigendæ sedi non defuit novus David Vladislaus. Expertus est illam esse ceu publicum quoddam Divinæ propitiationis refugium; ejus præsidio, & auxilio, percelebrem de Scythis victoriam reportando. Gratulemur Monti Claro, in quo habitare Divæ placitum: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia Magna in medio tui* Sancta MARIA! *Isaia 12.*

CAPVT I.

Montis Clari, & Monasterij descriptio.

1. HAbitabilem antehac Montem Clarum fuisse, docet supra memorati Vladislai Ducis Oppoliensis, Vielunensis, Cuiaviensis, Dobrinensis &c. Diploma, Anno 1382. 11. Mensis Iunij confectum, cui cessio inseritur, quam A. R. D. Henricus, ad Ecclesiam Beatæ Virginis MARIÆ in *Magna Czestochowa* (hunc, olim in hoc Monte vetus Ecclesia titulum habuit) Præpositus, R. P. Georgio Ordinis Nostri tunc temporis supra Budam ad S. Laurentium Priori, fecit.

Vetus Ecclesia Parochialis in Claro Mõte.

Templo, & Monasterio loci natura petram solidam substravit. Cura domesticorum proprijs impendijs, Regumq; munificentia muro universam fabricam circumducens, ad fortalitij formã, securitatem providit, quam per circuitum amœnus convalium situs, tum ipsa cœli serenioris temperies commendat. Claritatem loci auxit miraculum. Anno 1672. Mense Augusto, hæretica Mulier suis contribulibus, dum ad Sacri loci visitationem è Silesiæ finibus approperant, comes, procidentibus in genua, ad primum Clari Montis conspectum, & Divam è longinquo salutantibus obmurmurans, & nescio, quid, animo voluens, quod Marianum temeraret honorem, luce fulgurum instar à Divæ Regia procedente percussa labitur in deliquium, hinc ad salutem vivifico radio sauciata ejurat hæresum dogmata, & inter filias lucis adoptatur.

In Luce Mons Clar⁹ apparet.

Omnis itaque lingva confitebitur tibi ô MARIA, cum Seraphico Doctore, quod, quædam Miracula ceu quædam lingvæ loqvuntur. *Prædicatio gloriæ tuæ dilucidat intellectũ, & lux Miserationum tuarum perducit ad salutem.*

D. Bonav. in Psalt. B. V. M.

2. MAiestatem ædificiorum exornat nubibus invecta turris, duplici cancellorum serie è secto lapide incincta, hic è fundatione Magnatum Poloniæ personabat olim in diverso Musices apparatu symphonia, provocans ad Devotionem advenarum, & domesticorum animos, at sublatis nunc proventibus, cùm tantus Musicorum numerus foveri non potest, id munus obeunt quotidie rudi choraulâ summo manè, & sub vesperum, domestici peditatûs Aulædi, Psalmos, Hymnósque in laudes honorémque Reginæ cœli compositos, concinendo. Internum majoris Basilicæ, decorem auxit Sacellum Dônhoffianæ liberalitatis illustre monumentum, & huic vicinum gradibus aliquot in profundum descendens nobilissimum Pantheon, tùm Altaribus tum parietibus compactis è meris Divorum Lipsanis, venerabile. Alij hic morbis incurabilibus absoluti, alij maleficijs, dæmonum vexationibus, potestateq; exempti, meritis Divorum, quorum hæc sacra specus condit exuvias, incolumitatem suam referre tenentur. Huic superincubat alterum Archiconfraternitatis Angelicæ Sacellum operis raritate, ac venustate excultum.

In Turri Musica.

3. POst limen Sanctuarij ære clausum, ac marmore mutuo se se respiciunt insignis pretij, & artificij subsellia, Majoris Aræ moles, summa tholi contingens, radiat in auro. Sacra Imago, illo toto tempore hic thronum suum habuit, sub textis auro tentorijs, quo laboratum est in reducendo ad augustiorem formam Sacello, usque ad Solennem translationem. *Sanctæ Crucis* titulum habet Ecclesia & *Nativitatis* Beatissimæ Virginis MARIÆ, ut patet ex Bullis Pontificum, sub his titulis memoratæ Ecclesiæ, indulgentias amplissimas concedentium;

Titulus Ecclesiæ.

Dedicatio in Dominicam tertiam post Pascha incidit, quæ *Capitularis Dominica* vulgo dicitur, quòd hac die Capitula Provincialia hîc celebrari consveverint, quamvis legitimis de causis hanc invertere aliquando contigerit consvetudinem.

Dedicationis Dominica. Capitularis apellata.

Monasterium ad latus sinistrum Ecclesiæ, quà Septemtrionalem respicit plagam, in quadrangularem formam, triplici contignatione subductum; ad Orientem & Occidentem, singularia Regum, Principúmque Hospitum habet receptacula, ità tamen inter majorem Basilicam, & Cænobium percommodum spatium interiectum est, ut sat amplum Divæ Matris Regiæ locum relinquat.

CAPVT II.

Fundatorem Sacelli Mariani, ipsumque Sacellum proponit.

4. SAtis augustum erexerat Fundator Vladislaus Divæ Hospiti MARIÆ templum, in Bullis Summorum Pontificum *Ecclesia primæ fundationis* appellatum; verùm quòd adolescentibus tum tempore, devotionis profectibus in regnorum vicinorum populo, ad Maternæ protectionis gremium confluente, angustum videbatur,

Ecclesia primæ fundationis.

Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Matthias Łubieński Archi Episcopus Gneznensis, Legatus Natus, Regni Primas, Primúsque Princeps sumptu liberali Partheniam Ædem in formam augustiorem reduxit.

Sacelli Mariani Fundator.

Externus, quà orientem respicit, prostat Imago Divinæ Matris sini-

Sacelli descriptio.

strum

ſtram ſubſternentis in thronum Divino infanti, quæ victorioſo calcaneo principem tenebrarum proterit. Hic ſolenne eſt omnibus, quotquot in villam ad montis clivum projectam, hoſpitandi gratiâ deſcendunt, Verſùs Virginis Aulam procumbere, quorum alij in prolixiores preces effuſi, gregatim vias occupant, adorantes è genibus Numen Mariæ, alij toto corpore per terram fuſi, gemitibus, ac ſuſpirijs Divam appellant. Quâ in conum aſcendit faſtigium, prominet aurato illigata metallo, ac diaphāo vitreo lampas perlucida, magnitudine ſua, vel è longinquo aſpectabilis. Aſſolet hic ad propulſandas atræ noctis tenebras, jugis flamma foveri noctibus integris, quæ cùm fulgorem per denſam iaculatur caliginem, ingerit ſpectantibus notitiam, ſub hac Pharo *Mariam Lucis Matrem* habitare. Ad occidentis oram veſtibulum patet ad Virginis Regiam; è ſecto lapide frons prominet, ad cujus ingreſſum non adeo ſpatioſa patet area, vulgo antiquitus idiomate vernaculo *Rayſki Dwor* appellata, ſonat Latinis *Aream Paradiſi*. Pulcrè quidem. Quâ enim ad Mariam, Andreæ Ieroſolymitano *Area vitæ* nuncupatam, pandi poteſt introitus, niſi per hanc *Aream Paradiſi?*

Lampas in Sacelli faſtigio.

5. AD Auguſta Virginis ducunt poſtes marmorei ſtatius è niveo formati alabaſtro ſubſtrati, quibus impendet Lubienſcianæ Domûs gentile Decus; patens aditus, binas hinc, ac inde columnas præſentat, ad ſummum Sacelli fornicem ſubvectas, ternis ab utroque latere arcubus diſtinctas, ſub quorum prima concameratione Altaria, & Magnatum aliquot Marmorea Epitaphia viſuntur, medijs in arcubus utraque parte, ſpatioſum in porticûs formam, odeum, Sacrarium incingit, ubi Reges, Principéſque, percommodam ſuæ devotioni ſedem, à tumultuantis inferiùs advenæ populi multitudine, ſequeſtram habent; deſuper impendet, totam ſupernè baſilicam ambiens lapidea corona, è qua victoriarum, ope Divæ Claromontanæ reportatarum inſignia dependent, vexilla, Tartarorum, Moſchorum, Koſacorum, Svecorum, Turcarum, aliorúmque hoſtium caſtris erepta, ubi in arcum ſinuata tertiæ contignationis ſeries, liberaliter ab alto lucem effundens; hæc Aulæ Marianæ decora claudit, orbibus artificioſè ludentibus ſpectabilis teſtudo.

Sacelli Mariani forma inferior.

6. SAnctuarium, ſeu intimum Divinæ Matris Propitiatorium dividunt ingentes clathri, ad duodecim circiter cubitos aſcendētes. gemina ferreorum cancellorum ſerie componuntur, ità ut ordo inferior ab imo limine excreſcens, binas ab utroque latere portas pandat, quarum utraque bipartitis foribus revolvitur, unaquæque balauſtriarum, in pede, ac in vertice æris fuſilis coronâ circumdatur. Gratiùs ludit artis ingenium in tertia ſerie cancellorum, ubi ferrum in anfractus varios, flexúſque coactum deſinit. E radice ferrea, ſeptem ære ſolido fuſa aſſurgunt candelabra; hic aſſolent in majoribus Salvatoris Noſtri, Matriſque Dei feſtivitatibus, ac ſabbativis per annum diebus accendi luminaria; ante Aram permultæ tholo ſtellis aureis diſtincto lampades dependent, quarum quatuor ſacro propinqviores Mariæ throno, jugem nocte, diéque in olivarum oleo fovent flammam. Spectabis ab utroque latere argentea anathemata, quorum alia ſua mole firmam occupant ſtationem, alia in cælatis laminis diducta pendent, palámque docent Mariam hinc devocatam, omnibus, qui huc retulerunt in muneribus gratias, extitiſſe propitiam. Ad tanta decora, quibus ornamentum, & majeſtatem accumulat Sacræ Imaginis præſentia ſtupefacti percelluntur advenarum animi, ut meritò huic Auguſtali poſſit attribui, quod de Lauretanis ædibus, quarum ſupellectilis, hæc Menſa, pars fuit, ex Leandro Alberto Ordin: Prædicat: deſumptum recitat Turſelinus Lib: 1. Hiſt: Lauret: cap: 28. *Nemo eſt tam ferus, ac ferreus, nemo tot, tantiſque flagitijs, ac ſceleribus coopertus, qui non in ipſo ſacræ Domûs ingreſſu præſenti Numinis Cæleſtis religione perfuſus molliri ſuum ſentiat pectus adeò, ut venerabundus Beatæ Mariæ imploret auxilium, & per eam à Chriſto ſuppliciter oret ſuorum veniam delictorum.*

Sacelli Sanctuarium Clathris clauditur.

Turſelinus lib: 1. Hiſt: Laur: Cap: 28

7. OMnia ſuo Numine implevit MARIA. Sacrarij pulveres, qui teruntur pedibus advenarum, medicinalem imbibunt virtutem. Exemplum eſt in miraculo, miraculum in exemplo. Anno ſupra Milleſimum Sexenteſimum trigeſimo quinto Nobilis *Suſanna Oleyſka*, immedicabili morbo Goździec, duodecim hebdomadis afflicta, inter deſperatas familiarium lacrymas animam agebat. Redux à Claromontana peregrinatione mendicus ſtipem oſtiatim colligens ſupervenit, egitque medicum; ægram ad Claromontanam primum viſitationem adſtringit, vino miſtum pulverem propinat, eodem calidam abluendis pedibus paratam condit. Vt hoc poculo proluit interanea mulier deſperata, mox ſibi viſa renaſci, pedes rigentes mortis gelu ingerit lavacro, & extemporaneo miraculo vigorem priſtinum recuperat. Attonitis ad inſperatam ſanitatem univerſis, illum teſtor (inquit mendicus) qui tanta per ſuæ Matris merita operatus

Sacelli Mariani pulvis medicinalis.

ratus eſt, quòd hic pulvis, tam efficacis virtutis, ſublatus ſit ex Clari Montis Lare Mariano, tanti æſtimavi hujus pavimenti pulverem; ut eum pro ſingulari theſauro mecum aſportârim, itaque vota ſolve, beneficium prædica, & locum venerare. Non morata votum Cliens Mariæ, cum Vicinæ nobilitatis teſtimonio præſens beneficium tabulis Marianis inſeruit. En quàm largè benedixit terram ſuam Domina, & veſtigio Sancto ſuo conſecravit. *Amplectamur* (omnes appello cum Doctore Mellifluo) MARIÆ *veſtigia Fratres mei; nec dimittamus donec benedixerit nobis, potens eſt enim. Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima! imò quàm intima fieri meruiſti! quantam inveniſti gratiam apud Deum! in te manet, & tu in eo; & veſtis eum & veſtiris ab eo, veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ maieſtatis, veſtis ſolem nube, & Sole ipſa veſtiris.*

D. Bernardus Serm: ſignum Magni.

CAPVT III.

Altare, Fundatorem ejus, & triumphalem Sacræ Imaginis Translationem, proſequitur.

Ebenū unde

8. PEregre venit ab Indiæ finibus materies ad fabricam Altaris, Ebenum ſ. Ora ſeptemtrionalis hanc dare non potuit, quia

Diviſæ Arboribus patriæ, ſola India nigrum
Fert Ebenum.

Altare in quo Sacra Imago ex Ebeno, & Argento. Ejus deſcriptio.

Pretium illi ex raritate eſt. Altaris itaque moles operoſiſſima Ebeno-Argentea, à marmoreo aſſurgens fundamento, ſummámque cōcamerationem ſtellis auratis picturatam attingens, in utrumque lacrarij latus proportionata maieſtate explicatur; utrinque meditullium obfirmant, fulciúntque columnæ quatuor ebeno laboratiſſimo in cylindrum craſſiorem efformatæ, quæ ſuperiori ſyſtole, ſe ſe mutuò reſpicientes, puriſſimo argento fuſos ad juſtam hominis magnitudinem Cherubinos, ſupra Imaginis thronum evectos, ſuſtentant, argenteis in varios flexus deſinentibus capitellis coronatæ, argenteis baſibus inſiſtunt. Sub harum pede varia dependent in argento, auróque anathemata gratiarum, quæ magnitudine, & multitudine Aram ornando gravant, & ornant gravando. Vtraque parte Tutelares Ordinis D. Paulus Thebæus, & D. Antonius Eremitæ, puro argento fuſi proſtant ſtaturam hominis proceritate exæquantes. Superiorem Altaris regionem componunt variæ argento pariter cælatæ formæ, ſtatuæque; ſummitatem coronat petaſus affabrè elabo-

ratus, ſub quo Divinæ Matris argentea ſtatua collocata eſt. Ars, pretium, decori ſumma omnia. Dubites ebenum argento, an argentum ebeno, candorem addat, nitoremque; ita admirabilis in utroque ludit varietas. Sicut Aulæ Marianæ parietes, plerumque in majoribus per annum feſtivitatibus aulæis auro, argentoque textis, ita & Sacri Altaris Menſa, aureo, ac argenteo veſtitur apparatu, tota hic in argento etiam quotidiana ad uſum ſacrorum, ſupellex. Gradus, ære ſolido fuſi cancelli complectuntur, inconditam populi frequentioris multitudinem cohibentes.

Altaris Fundator. Oſſolinius.

9. ASCIA Senatoriæ, Cenſoriæque dignitatis apud Romanos inſigne, cum ſubſcriptione Fundatorem oſtendit. Hic eſt Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. D. Georgius Dux in Oſſolin, Comes in Tęczyn S.R.I. Princeps, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Lublinenſis, Lubaczovienſis, Lubomlenſis, Rycenſis, Adzielenſis, Bohusłavienſis, Brodnicenſis Gubernator, ad Ferdinandum II. Roman: Imperat: ad Venetam Rempublic: ad Collegium Electorale, demum Romam ad Vrbanum VIII Pont: Max: Legatione ſolenni perfunctus, in gravioribus Regni momentis, non tantùm popularium & Principum, ſed & Imperatorios ac Pontificios amores conſecutus, quem (ut Vaſſembergius in Floro Germanico teſtatur) *Anglia ſuſpexit, Roma admirata eſt, Venetiæ laudaverunt, Germania venerabatur*; ubique terrarum tot ornatiſſimus titulis, Marianis amoribus ornatior, quos liberalitate prodigâ & prodigioſa propè, ex humilitate promeruit, dum ſe ejus mancipij viliſſimi titulo ſcripſit, hanc enim in Ebeno-Argentea mole ſuffixæ ASCIÆ ſubaravit Epigraphen;

Fundatoris tituli & Elogia.

Vaſſembergi

MAGNÆ MATRI VIRGINI
Viliſſimum Mancipium
Georgius Oſſolińſki &c.

Altaris Ectypi.

Dignum judicarunt artis impreſſoriæ peritiores, ut tantæ liberalitatis ectypus, apud poſteros, & exteros permaneret, viverétque in coloribus, & amoribus, tam pretioſi operis, & Oſſolinianæ Liberalitalitatis Idea. Thronum Gratiarum Matri Mariæ fabricavit hæc ASCIA; hinc in Imagine collocata præſto eſt omnibus ejus Miſericórdia, quapropter, ut perſvadet Doctor Gentium. *Accedamus cum fiducia ad Thronum gratiæ, ut Miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Ad Hebr: 4.

10. TRiumphalem Sacræ Imaginis Translationem, quæ ſat longo

Solennis in Sacellum Sacræ Imaginis translatio.

tempore in Ara Principe Majoris Basilicæ stetit, fusè prosecutus est P. Dionysius Łobżyński in Libello cui titulus: *Triumphus Mariæ*; hic eam strictim persequor. Anno supra Millesimum Sexcentesimum quadragesimo quarto festivitas imminebat sanctissimæ Virginis Annuntiatæ, post solemnes Paschatis Octavas translata, in qua tum Illustrissimo Sacelli Mariani Fundatori, tum Regni Proceribus placuit triumphalis Translationis festivitatem decernere. Percupiebat Serenissimus Rex Vladislaus majoribus regni negotijs eo tempore distentus, solennitatem differri, secus tamen svadebant longè ante hac datæ ad Regni Proceres, tum typo evulgatæ per Diœceses, & Decanatus, ab Illustrissimo Loci Ordinario literæ, quibus ad eam solennitatem fideles evocabantur.

Translationis prolusia.

11. IMminente iam in crastino festivitatis Beatissimæ die triumphis prolusit ænea; ac ferrea bellica Armamentarij Mariani supellex, & exquisitissimæ, ingenio artis Pyroteuticæ diutiùs apparatæ machinæ. Aderant veluti Paranymphi Divini VERBI Sponsam in thalamum augustum deducturi. Illustrissimus ac Reverend: D. Matthias Łubienski Archiepiscopus Gnesnen: Regni Primas, Primúsque Princeps; Basilicæ Marianæ Fundator, & Illustrissimus ac Reverendissimus D. Petrus Gembicki Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, inter Cleri Procerúmque frequentiam, eaque Nobilitatis, tum promiscuæ multitudinis copia, quam nec utriúsque templi, nec murorum, ambitus perampla capedine claudere potuit, at sub aperto cœlo, tota nocte artefactis ignibus collucente, imminentis diei triumphum fecit præstolari. Ardere totus Mons videbatur, dùm circumquaque per Montis supercilium ingentia dolia, pineis tædis impleta, depactis terræ palis imposita, lento incendio, ad duo, triave millia passuum lucem spargebant.

Actus Translationis.

12. SVb primam diei sequentis lucem, quam illustravit serenius Virginis Annuntiatæ festivitas, tam Musico, quàm Bellico apparatu salutata est Diva Armipotens MARIA. A summo mane, ad præfixum Translationi tempus, omnium devotio fervebat. Deportandæ Sacræ Imagini solitò viridiore gratioréque formâ omnibus arridenti, per Primores Ordinis ex Aræ majoris statione submotæ, succollatores humeros Illustrissimus Archipræsul, Basilicæ Fundator, & Illustrissimus D. Episcopus Cracovien: Dux Severiæ, submiserunt; hinc appositè eximius Ecclesiastes ad Concionem applicuit illustrissimis

simis Portitoribus illud 3. Reg: cap: 8 *Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in Locum suum in Oraculum templi, & in Sanctum Sanctorum, Subter Alas Cherubim.* Rite adornatis omnibus ordinatísque sacra Imago per majorem Basilicam, atriaque Monasterij, Pontificalibus humeris eminens, inter Sacerdotum Choros, & Confraternitatum cuneos procedebat ad Regiam; quatuor è Senatoribus Phrigio opere textam super Imaginem petasum ferebant. Tot inter millia populorum, quis videre viderique à Maria non ambiret? cumprimis hoc meruerunt Proceres Regni, qui in latam circum Virginis Imaginem, coronam conglobati, Illustrissimorum Portitorum latera propinquiùs stipabant, personantibus interea choris laudes Divinæ Matris, & bellicis machinis reboantibus. Sic invaporans pretiosis odoramentis, ac pretiosa supellectili excultum Sacrarium importata est Sacra Imago. Postquam verò

3. Reg: 8.

... *Aulæis iam se Regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamque locavit,

communibus, publicis, privatísque supplicationibus Numen Virginis propitium, honoratum est.

13. NOn solis pectoribus, admirabilis lætitiæ sensu refovendis tunc liberalis fuit MARIA. Et inanimis gratiæ donum impertit. Dedi supra medicinalem sacri thalami pulverem, nunc oleum. Anno 1627. *Philippus Raibabicki* Academiæ Cracovien: Alumnus ulceribus exesum, deformatúmque vultum tulit in Sacræ Imaginis conspectum. Accessit propinquior ad Aram, lampadem ardentem ad cancellos nondum appensam reperit fiduciâ recuperandæ sanitatis fretus, in oleo linteum madefecit, putentis oris, exesique vultûs vulnera tersit, & mox dolorem evanescere, subnasci carnem, & in decorem pristinum faciem reformari advertit. Testatum, & fastis inscriptum Anno quo supra. Ita omnia virtutem mirabilium effectricem hic imbibunt, ubi Majestas Dominæ, implevit templum Dominæ. Iam in suo collocatam thalamo, (cum Seraphico Doctore omnes cohortor) *Honorate Reginam plenam omni gratiâ, & contemplemini cum reverentia Sanctissimum vultum ejus; Nam salus sempiterna in manu tua Domina, qui te dignè honorificaverint, suscipient illam, Clementia tua non deficiet à seculis æternis, & misericordiâ tua à generatione in generationem ô MARIA!*

Lampadis oleum medicinale. Gratia.

D. Bonav: in Psalt: B.V.M.

CAPVT IV.

Sacræ Imaginis Descriptio.

14. VEri æstimator animus, quid sentiendum judicaret de forma Sacræ Imaginis, quærenti respondere potest illud:

Heroid: Epist: 15.

Crede mihi plus est, quàm quòd videatur Imago.

quia, quemadmodum plenè comprehendi non potest ejus maiestatis venustas, sibique semper constans decor, ita nec verbis exprimi. Quapropter Divæ Virginis formæ in coloribus viventi potest attribui. *Petrus Damiani* Petri Damiani de Sanctissima Virgine effatum, quod sit *Virgo ineffabilis*. Ineffabilem testantur ludentes affectus metamorphosi continuâ, *Petrus de Rozprza.* quam versibus prosequitur. *Petrus de Rozprza* ante ducentos circiter annos in Academia Cracovien. Literarum & virtutum Doctor, & luculentus gratiarum Mariæ in hoc loco scriptor:

Nescio quid vivum multis spirare videris
Qui rentur statuam Numen habere tuam.
Hoc etiam mirum, quòd in hac, ut viva, tabella,
E varias vultum sæpius ipsa tuum.
Quidam te lætam, quidam (mirabile) mœstam,
Hic indignantem conspicit, ille piam

Quo fit, ut scriptorum pictorúmque accurati conatus eludantur, dum ejus decorem aut scribendo, aut pingendo, ad amussim proponere præsumunt.

Sacræ Imaginis & Formæ B.V.M. Descriptio. D. Epiphan:

15. ADmodum rarum in hoc studio privilegium consecutus est Epiphanius, ut meritò aut Divam Virginem ex Imagine nostra, aut Imaginem è viva Virginis forma expressisse credatur. Stylum ejus in proprio cursu accipe. *Erat* (inquit ille) *Maria in omnibus rebus honesta, & gravis pauca admodum, eáque necessaria loquens, ad audiendu facilis, & perquam affabilis, honorem suum, & venerationem omnibus exhibens, statura mediocri, quamvis sint qui eam dicant aliquantum mediocrem longitudinem excessisse. Decenti dicendi libertate adversus omnes homines usa est, sine risu, & sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Colore fuit triticeum referente, capillo flavo, oculis acribus subflavis, & tanquam olivæ colore pupillas in eis habens; supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia florida, & verborum suavitate plena, facies non rotunda, & acuta, sed aliquanto longior; manus simul, & digiti longiores, erat denique fastus omnis expers, simplex, miniméque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed*

sed humilitatem præcellentem colens, vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit, & ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa Divinitus inerat gratia. Hæc Epiphanius. Confer utrumque cum oculo judice, Epiphanij scripturam, & Divi Lucæ picturam, & fatebere quod

Sic oculos, sic illa manus, sic ora ferebat.

Ornamenta & Coronamenta Imaginis.

16 TAm Divini Filij cui sinistra manus Divæ Matris thronum dedit, quàm ipsius Matris & Virginis imago tota in affectibus est erga spectatorem. Regali diademate coronavit Vladislaus Rex (qua occasione habetur infra sub capite 8. numero 17.) Reginam Poloniæ. Diadema ob unionum lapidumque multitudinem admirabile, ad cujus limbum adamantibus hæc distincta leges Tibi MARIA. Coronavit & Regum Regem coronæ titulum superaddens: Tibi IESV. Cicatrices binæ (de quibus mox infra) tum cicatrix inflicta collo, non turpant at insigniter decorant Imaginem. Tota hic pulchra, tota formosa cum Filio Maria, qualem calamo pinxit Albertus Magnus, quia *Habuit summum, & perfectissimum, quod* *Albertus M.* *potuit esse in mortali corpore secundùm statum viæ, operante naturâ. Sicut enim Dominus noster IESVS Christus fuit speciosus formâ præ filijs hominum, ita Beatissima Virgo, pulcherrima, speciosissima inter filias hominum.*

Ad hujus Imaginis exemplar plures Imagines pinguntur.

17. PErplacuit hæc pulchritudo Illustrioribus in Ecclesiastica Republ: personis, cujus honorem hac occasione propagatum voluerunt. Pictores, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, eo dementiæ processerunt, in orbe nostro, ut simulacra Divæ Virginis, ad illarum fœminarum imitationem depingerent, quarum favores aucupabant. Indignum erat tot Ectypos Divinæ Matris censere, quot cuique in mulieribus formæ placebant, quapropter abusum conatus abolere Senatus Ecclesiasticus, in quadã Synodo statuit sub gravibus pœnis, nè deinceps in Polonia sub alio schemate Deiparæ Imagines pingerentur, quam quod Ectypum Divæ Claromontanæ daret. Quam placitum Deo, Deique Matri Sacræ Synodi decretum hoc fuerit, liquidò vel inde cognoscitur, quòd in Civitatibus, Oppidis, Pagis, Aulis, privatis Oratorijs, ac Domibus, plurimis commendatissima miraculis fecerit exemplaria hinc desumpta (quorum syllabum dabit Partitionis 4. cap. 1.) alia vetustiora sine stigmatibus, ante Hussicam vastitatem efformata, alia recentiora, quæ vulneribus signata. Quàm verè Pulchritudinem Divæ commendas

Bernard: de Busti dat Bernardinus de Busti Epistola ad Sixtum IV. Pontificem Maximum.

Nulla fuit tanto, mulier redimita decore.
Quæ speciem superet Virgo Maria Tuam.
Candidior veris rutilas Regina decore,
Et radijs cedit clara Diana Tuis
Luna suum perdit Tecum sociata nitorem
Atque comes, nullum, Sol, Tibi lumen habet.

CAPUT V.

De stigmatibus in vultu Sacræ Imaginis, de evocato prodigiosè Fonte ex arida, & Sacræ Imaginis reparatione.

Hussitæ Montem Clarum invadunt, diripiunt. 18. ANno salutis 1430 à collatione in hoc Monte Sacræ Imaginis Anno 153 ardentes Hussianæ hæresis contagione Bohemi, funestam per urbes & castella ad rei Christianæ cladem, ignis ferrique procellam ciebant. Satis per Silesiæ ditiones debacchati, feriâ quartâ Hebdomadæ Sanctæ (non nulli cum Dlugosso putant ipsum Sacratissimum Paschatis diem fuisse) trans Poloniæ limites effusi, apertum adhuc periculis, nec ullo præsidio munitum, sanctum Virginis collem, ex visitationibus peregrinorum, auri, argentique congestam vim suspicati, inundarunt. Sed cùm locus fefellisset avaram spem, & fœdam colluviem prædonum, in cædem Religiosorum arma verterunt, & ne quid rabies hæretica omitteret, quod in Divorum contemptum non auderet, sacrilego œstro perciti.

Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Eripuere Sacram Effigiem, manibúsque cruentis
Virgineas ausi Divæ contingere vittas.

Hussitæ Sacram Imaginem abripiunt, violant, vulnerant. 19. SIc abreptam loco suo Tabulam, cymmelijs exutam indignissimis tractavere contemptibus. Sputis turpatam, sevo illitam (ut vetusta nobis narrat traditio) lambendam canibus obijciebāt. Neque hoc scelus sacrilegum, Numinis vindictam lacessivit. Postquam sævitum satis, Imago in currum proiecta phalangem sequebatur. Ad tria stadia cursum promotum stitit occulta vis, adeo pertinax, ut nec

ut nec admotis machinis quadriga cum Imagine moveri potuerit. Suspicatus audacior quidam, prodigiosam propter Imaginem in cursu moram, Sacram Imaginem adeo violenter illisit solo, ut solutis compagibus, in tres tabulas, media integrum Virginis vultum referente, dissiliret. Successit alius in sacrilegij crudelioris vicem, adacto in dexteram Virginis malam ferro binum vulnus inflixit, tertium ictum intentans, in cœcum lapidem riguit. Præsens Numinis vindicta nihilo mitiorem fecit animum comprædonis; ulturus socij pœnam, armatam ferro, dextram erigit, per cicatrices transversa repetiturus vulnera, at in pari scelere consortem, par vindicta corripuit, cæteri funesto spectaculo perculsi, decretas in ferijs victimas, relicta Imagine currui imposuerunt, versùs villam Dzbow fugam præcipitantes. Sacrilegij pœna.

20 ILli duo cladis Iconomachæ Principes, ubi turpes animas fuderunt, in terram abiecti, adeo fœdâ tabe solvebantur, ut teterrimo fœtore, latè per terram & aëra diffuso, canum, ferarúmque dentes, rapacium volucrum ungves, & rostra procùl abigerent. Adfuit & alijs Adrastia Nemesis, quæ pestifero involutos turbine, inter villas *Dzbow*, & *Kamyodrza*, prostravit, dignum harpijs infernalibus pabulum. Ex illo numeroso cætu, incolumes aliquot evaserunt, illi puto, qui comitatûs tantùm, aut visitandi loci sacri causâ venerant, & quæ vindex Iustitiæ Dei manus in sceleratos egerit, ex ordine referebant. Inter eos, qui cladis nuntij fuerunt, quendam è Nobilissima Bohemorum familia oriundum refert *Petrus de Rozprza* temporibus illis vicinior. Fœtent Sacrilegi.

21 REversi, quos metus in fugam egit, Religiosi, cæsorum Fratrum manibus parentant. Imaginem in eo loco inveniunt, in quo nunc Domus Probationis sub titulo Divæ Barbaræ, sita est, è qua sordibus detergendis, dum vicinia non daret laticem, prodigiosè de terra fons lucidissimus erupit, qui ab Imaginis ablutione virtutem medicinalem intrahens, ad hæc tempora perseverat. Salutem hic bibunt, quotquot accedunt cum Fiducia. In remotiora loca asportatur in vasis, permagno fidelium emolumento, & solatio, quod in ejus medicinali virtute experiuntur. Religiosi Sacram Imaginem inveniunt. Ad ablutionem Imaginis fons prodigiosè erumpit.

22 ACceptas hîc gratias Lyrico metro illigatas, decorè perstrinxit R.P. *Michaël Krasuski* Soc: IESU in sua *Regina Poloniæ* parte 3. Ode 22. Fons Medicinalis.

Michaël Krásnski. 5. Ode 22. ſimul ad mentis puritatem cohortando. Placet ejus numeros Póëticos recitare, in quibus gratiæ ſinè numero, & affectus liberalior exprimitur.

Jactet petroſæ fabula Lydiæ
Pactolum, avaris ſtultitiam Mydæ
Laviſſe ripis, & ſuperbo
In pretium rubuiſſe limo.
Te perſpicaci lucidior vitro
Fons, Magna vero ſauromatum beat.
Reginæ cenſu. Tu Tagæis
Dona geris potiora baccis.
Nam tunc verendam cùm Tibi licuit
Lavare miræ Matris Imaginem
A Matre deſcendens reſedit
Mira Tuis medicina venis.
Ergo ſagaci ceu properant apes
In prata cura, cùm remeans novo
Ver riſit ortu, & latiores
Poſt hyemem rediere Menſes.
Et nunc Hyblæis oſcula Lilijs
Figunt, pudicæ nunc trabeas roſæ
Morſu fatigant, vel tepentis
Primitias violas, Aprilis.
Sic circinnatur Virginis advena
A plebe Rivus; pars latici caput
Immergit ardores dolorum
In latices poſitura fundo.
Pars peſtilenti lumina proluit
Extincta morbo, nec vacua fide
Si gaudet in caſta ſalubres
Fontis aqua reperiſſe thermas.
Pars ægra toto corpore, vividum
In tota Fontem viſcera ſuſcipit,
Langvoris ut ſeſe per omnes
Inſinuet medicina nervos.

Afflicta

Afflicta large Virgineas bibe
O turba Lymphas! amoveat tamen
Hinc mirrha febres, & recedat
Mens olido malè pota Anygro.
Abi, impudicæ potio Salmacis
Quemcunque torquet; qui fluido pates
Narciſſus in cenſore parvo,
Quem retinet vaga Biblis amne.
Fons innocentis munere Virginis,
Humana ditans commoda, fœtidos
Exhorret halitus, pudici
Innocuos amat oris hauſtus.

Perennes hîc aquæ, quemadmodum & gratiæ, nunquam deficiunt, ut meritò exprimat hic Fons illam, quæ jugi beneficiorum latice fluens eſt *Puteus aquarum viventium*, digna, ut quotquot Pöëſis Fontium, Fluminumque cenſet Numina, tot homagijs adorétur.

23 REparandæ Imaginis curas Vladislaus Poloniæ Rex è bello Pruſſico redux ſuſcepit, & Magiſtratûs Cracovienſis fidei credidit. Tentatos vulnerum obducendorum modos confudit vultus colores reſpuens. Ità placitum eſt Matri Filium imitari, quemadmodum illum, ita nec Matrem pudet vulnerum, quæ ex duplici victrix acie, tum Arcis Belzenſis in gutture, tum ſub Claro Monte, hæreticorum triumphatrix reportavit. Itaque integritati ſuæ (ſi cicatrices excipias) reſtituta Imago, & ex Regis theſauro adornata, ad Clarum montem, novi triumphi Capitolium, in Senatorum, Magiſtratûs Cracovienſis, & populorum undequaque confluentium frequentia, deducebatur. Facit ad hunc locum authoritas. A.R.D. Simonis Starowolſki Canon: Cracovien: quem in ſua Diva Claro Montana proſequentem Translationem, hanc in ſuo curſu recito.

Curis Vladislai Regis Imago reſtauratur.

Colores non ſuſcipiunt vulnera.

„ 24 VT primum reparata fuit (coloribus de nocte toties pereuntibus, quos de die periti pictores apponebant, ut cicatrices relictæ eſſent teſtes tantæ impietatis apud poſteros) Proceres quoſdam Regni, & Aulicum ſuum comitatum Rex, ad deducendum honorificentiſſimè, Czeſtochoviam uſque miſit, itaque loco priſtino reponi mandavit, ut Ordinatione Epiſcopi Diœceſis illius, ritu antiquo cultus, religióque ſacro pignori decerneretur.

Reſtaurata Imago Cracoviâ Czeſtochoviam deducitur ſolennitèr.

Vbi

"Vbi itaque ad radicem montis ventum est, nullâ præeunte voce humana, occultiore duntaxat vi quadam equi retenti gradum stiterunt, sacrúmq; pondus Sacerdotes numeris suis in verticem montis ad templum detulerunt, cœlesti olim designatione erectum, cum hymnis & psalmodijs diversis. Exinde locus populi frequentia, nec non vicinorum Principum religione, & munificentia sacratior haberi cœpit, factumque deinceps consecutione temporum, ut extremis conflictati periculis Poloni, toties præsentissimum ab ea religione remedium persentirent. Gaudent enim ibi, Reges, Pontifices, & Dynastæ Sarmatiæ simplicitate lacrymarum, Sacrisque promissis, fortunam Regni emere & cùm exoraverint, auditas preces, sculpta devotione in laminis confiteri; quinimo remotiores etiam Despotæ, vicinorúmque Regnorum Principes, felices regnorum suorum eventus, quos propter Deiparæ protectionem sunt emeriti, missis eò donarijs, palàm visitantibus sacram Imaginem spectandos exponunt. &c."

CAPVT VI.

Memorabilia hîc, & Mirabilia nonnulla.

Imaginis præsentia Sacrum horrorem incutit.

25 MEmorabile, ac Mirabile hoc est, quod abhorreat hoc *Speculum fine macula* MARIA contractos nævos peccatorum intueri. Amorem plerumque in Sereno vultûs explicat, quem ut reverentiâ temperet, Sacrum quendam horrorem incutit, quod advertit M. D. Stanislaus Kobierzycki in Obsidione Claromontana fol. 44. *Non fine pavore quodam venerabili sacra Imago conspicitur.* Fuerunt qui ab hac Serenitate jaculatum fulgur experti, non sustinuerunt in tantæ maiestatis conspectu subsistere, usque dum ad sacrum Pœnitentiæ tribunal expiati, clementem oculum illius meruerunt. Iam pridem, hoc proclamatum est, justum, ac peccatorem, in hoc admirabili simulacro suam explorare posse conscientiam, & veluti depictam in Imaginis prototypo, aut sereno, aut severo, legere. Illustrium Personarum testimonio constat; & firmatur authographis, inter quæ luculentum est, quod Anno 1623. fastis Marianis illatum à quodam primæ dignitatis viro, qui admirandæ humilitatis exemplo syngrapha professus est, se ob quorundam delictorum conscientiam, vultûs MARIÆ indignantis fulgure, seu fulgore percussum, ad salutem.

Stanislaus Kobierzycki.

Multi ad ejus præsentiam subsistere nequeunt.

26 AD hujus quoque Serenitatis obtutum, stimulos admirabiles com-

Animorum mutationes.

compunctionis experiuntur, & longis malæ vitæ consvetudinibus intricati, ad studium vitæ sanctioris initiati discedunt. Hîc mutua ardentes Erynni, coëunt in amicæ pacis fœdera; hîc per diversas adversæ fortunæ, Malæas iactati, salutem desperantes, portum solatiorum, optimæque spei promontorium inveniunt. Quod verò maximè mirandum, alienæ religionis asseclæ, ad solam famam gratiarum, curioso oculo visuri Mariam, approperant, quos occulta sui Numinis vi, ad amplectenda fidei Catholicæ dogmata provocat, ut, quod obstinato nunquam insederat animo, abjuratis peregrinis ritibus, in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ festinent; Huc Ariani, Sarraceni, Luterani, Iudæique confugiunt, ut aut reconcilientur Ecclesiæ, aut salutari latice lustrati, in fidelem tantæ Matris populum adoptentur, Reges nonnunquã, Principésque hoc loco pro Patrinis habere meriti.

Hæretici convertuntur.

27 HAs autem mutationes animorum, ut non infrequentes videas, palàm ostendit in sua Diva ClaroMontana Noster P. Andreas Goldonowski, qui per Annos complures Apostolici Pœnitenciarij munere defunctus, unus, ad tria hominum millia, è Diversis hæresibus, adunavit Ecclesiæ; cum iisdem facultatibus, plures alij in hoc loco Pœnitentiarij præsident, qui obsequio fideli convolantes hæreticos excipiunt, sacræque communioni fidelium aggregant. Fermè quotidiana refero. Quamobrem meritò cum D. Ignatio appellatur MARIA *Nostræ Religionis, & Pœnitentiæ Magistra* & cum Sophronio *Contritio pravitatis hæreticæ.*

Frequentes hæreticorũ conversiones.

P. Andreas Goldonowski.

D. Ignatius Martyr.

28 FVerunt nonnulli, à quibus videri noluit Imago, dum caligo, quæ conscientiæ nitorem fœdaverat, in oculorum exteriorem aciem redundavit. Ex Senatoriæ dignitatis viris testimonium est, & exemplum. Ad honorem illorum facit non citare, quòd ignoti cupiant à publica notitia, privatam facti relationem. Et publicum vidimus exemplum Anno 1663. Mulier votum solutura cum suis contribulibus venerat, ingressa Ædem Partheniam, errantibus in omnem partem oculis, vidit omnia præter solam Imaginem, quamvis viciniores digito præsentem, & aspectabilem monstrarent. Vespere in conductum regressa, ac manè mysterijs pœnitentialibus expiata, repetit sacrarium, sed ut heri videns omnia, Imaginem videre non meretur. Recedentibus cum solita benedictione viæ comitibus, in tertium diem videndæ Imaginis spem nutriebat, sed neque tunc visa fuit, quamvis iterum atque iterum, in Pœnitentiaria conscientiæ ratio-

Invisibilis nonnullis Imago.

tio-

tiones ex poneret. Iámque desperabunda mulier in publica lamenta, & lacrymas effusa egrediebatur ex Aula Virginis, cui fortunâ occurrit R. P. Augustinus Kordecki, tunc Prior Clari Montis, luctuum quærit, & excipit causas, ac prudenter existimans adhuc in conscientiæ secreto latere, quod videndi facultatem velaret, ad Pœnitentiarium vocat, examinat, demum ritè absolutam; ad Virginis relegat Sacrarium, Imaginem videndam appromittens. Sponsio non fefellit. Vidit, MARIAM, seque visam Misericordissimæ Matris oculis lætata discessit. Quid aliud calente amoris flammâ pectore dicere voluit, aut valuit, quàm Doctoris Seraphici verba: *Formidinem meam erexit in confidentiam bonam, & suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit MARIA.*

D. Bonavent. in Psalt: B.V.M.

Consvetudo non nullorũ laudabilis.

29 QVapropter cùm permultis Salutarem horrorem incutiat in Sacra Imagine præsens Numen, in laudabilem nonnullis consvetudinem abijt, non priùs limen Sacri Propitiatorij, quod clathri dividunt, transgredi, quàm à Sacramento Pœnitentiæ, conscientiæ puritatem, & innocentiam consequantur. Divinitus certè inspirato consilio, si enim afferente Plinio secundo in Panegyrico Traciani. *Animadvertimus Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ, & sanctitate lætari, gratiorémque existimari, qui delubris eorum, puram castámque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit*; profectò magis Deo, Divinæque Matri suam devotionem acceptam probant, qui innocentes ad exhibendum tantæ maiestati homagium accedunt.

Plinius secundus.

CAPVT VII.

Summorum Pontificum, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Legatorum à Latere, ArchiEpiscoporum, Episcoporum. Abbatum, aliarúmque dignitatis Ecclesiastiasticæ Personarum erga locum sacrum pia animi affectio.

Menolog: Græcum.

Summi Pontifices loco Sacro addicti.

30 DVm venerandam summorum Pontificum revoco memoriam, *Lampadem Inconsumptibilis Luminis*, Mariam (sic in Menologijs Ecclesiæ Græcæ appellatam) præfero, Bizantinorum Imperatorum, Pontificumque more, quibus solis, dum in publicum prodirent, in ea urbe, jus præferendi luminis competebat, ut eò illustrior hoc loco fama illorum appareat, quo affectus Mariæ vicinior. Statim ac prima Mensa hæc sparsit opsonia gratiarum, miraculorúmque lumina, post admirandam in hoc Monte suæ sedis fundationem, in Pastorali cura vigilantibus summorum Pontificum oculis infulsit Claro Montana Serenitas, suos amores sacris pectoribus insinuando. Ideo quotquot summi in terris Christi Vicarij, in supremo dignitatis Apostolicæ culmine Ecclesiæ gubernacula moderabantur, tum ad ampliora Divini, Marianíque honoris incrementa, tum ad uberiora fidelium undique confluentium spiritualia solatia, censuerant amplissimis gratijs oxornandam Mariæ Basilicam.

31 LOngum esset per aliquot secula tum Pontificum, tum attributarum loco Sacro gratiarum seriem pertexere. Recentiora & illustriora memoro. Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. promovente negotium Serenissimo Principe Vladislao, ampliores quàm alij prædecessores gratias impertivit, inter quas peculiaris est, pro festivitatibus *Nativitatis B. V. M. Annuntiationis, & Purificationis* Sanctissimæ Virginis, vniversis Christi fidelibus ritè confessis, sacráque communione refectis, plenariæ omnium peccatorum Indulgentiæ, concessio, per Bullam specialem quæ incipit: *Splendor Paternæ gloriæ &c.* illo verborum tenore: *Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus, perpetuis, futuris temporibus, valituris &c.* Non memoro locupletes alias gratias pro tempore tantùm definito, elargitas. Inter Spiritualem Domicilij Mariani gazam & illud singulare computandum, quòd ab eodem Sanctissimo Domino Nostro VRBANO VIII. Pœnitentiaria ad instar Lauretanæ Domûs cum amplissimis ejusdem Domûs facultatibus sit constituta per Bullam quæ incipit: *Ex incumbente nobis &c.* quâ decernitur ibidem Virtute spectabiles, prudentiâ ac scientiâ pollentes quatuor Sacerdotes à Priore Conventûs Claromontani debere deputari, ad hoc munus Apostolicum dignè, & laudabiliter obeundum.

Indulgẽa:

Anno 1630. 14. Septeb:

Pœnitentiaria ad instar Lauretanæ.

32 SVspicimus, ac veneramur S. D. N. CLEMENTIS VIII. Advocatam in recordationem, quam in hoc loco illustribus exemplis, quando cum Facultatibus Legati à Latere in Polonia morabatur, probavit, erga Sacram Imaginem, locúmque, devotionem, & affectum, tum sub Cardinalium purpura, tum sub Pontificio Diademate integerrimum, & in acceptis ab eo Spiri-

Legati à Latere.

Clemens X. ad hanc Imaginẽ celebrat Primitias.

eo Spiritualibus thesauris, expertum: Habet quod adhuc in suæ gloriæ cumulum ex Arcis Vaticanæ throno vendicet Mons Clarus, Clementissimos amores Sanctissimi Domini Nostri Papæ CLEMENTIS X. cum Legato à Latere olim in Polonia, & sæpius in Claromontana Divæ Virginis, Basilica Hospes, hoc loco affectu impensiore Divam Theotocon coluit. Et quamvis per Poloniæ Regnum, quâ decore loci, quâ miraculis celebratissimæ Basilicæ numeraretur, una Divæ Claromontanæ placuit Imago, ad quam primum incruentum sacrificium Deo novus Sacerdos obtulit. Non fastidiunt cœlestes delicias in Mensa Mariana, summa orbis Christiani Numina, quas hîc proponit Hospitalis MARIA.

S. R. E. Cardinalis.

33 QVotquot è lectissimo Poloniæ clero ad Cardinales purpuras admoti, tum visitationibus, tum Spiritualium gratiarum largitionibus Sacrum cum Imagine locum coluerunt. Nonnulli Eminentissimorum S R E. Cardinalium, qui in Polonia Legatorum à Latere Officijs defuncti, loci dignitatem perspectam habuerunt, votis, ac muneribus ab Vrbe Roma missis suum animum, testati sunt. Archi Præsulum, Regnique Primatum, quanta erga locum hunc affectio? & à majoribus tradita, scriptaque exempla legimus, & nostris annis oculis usurpavimus, de quorum medio Illustrissimum Matthiam Łubieński Basilicæ Marianæ Fundatorem supra proposui. Quemadmodum in solijs Regum Coronas, ità in Cathedris Pontificum, Majorum, minorumque Infularum sibi acclives habet celsitudines, *Principum gloria, Nobilitas Regum, Fortitudo Exercituum, Corona Sacerdotum MARIA.* Fautores Patronosque habet Illustrissimos Episcopos Cracovienses, quos inter *Petrus Gembicki*, quibus foveret locum affectibus, decora æternitatis complexa exhibet gentilis *Fasciæ*, sub cujus insignibus nonnulla hujus Ecclesiæ ornamenta visuntur.

Archi Episcopi & Episcopi.

Menolog: Græcum.

Illustr: & Reverend: Andreas Trzebicki Episc: Crac:

Aureum Calicem ex voto offert.

34 EMinet alijs propensissima erga locum Sacrum religio, Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Andreæ Trzebicki Episcopi Cracovien: Ducis Severiæ. Solénne illi fuit, in ætate jam provecta, quot annis, quantum per majora negotia licebat, Montem Clarum invisere, ad Arámque Divæ Patronæ suo, suæque Diœcesis, ac Regni totius nomine, vota deponere, & munera. Anno Dñi. 1676. 2. Iulij aureum obtulit Calicem, cum hac subscriptione in convexo pedis: *Andreas Trzebicki Episcopus Cracoviensis, ad Imaginem Claromontanam ex voto obtulit Sanctissimæ Genitrici Dei Mariæ, ob Vrbem & Diœcesim Cracovien-*

vi ensem ab invasione Turcarum Anno Domini 1672. servatam, Humillimus servus. Vidimus Illustrissimum Præsulem, admodum raro in tanta dignitate ac ætate decrepitâ exemplo, pedes Montem Clarum cum suæ Diœcesis Clero, populóque subire, quem ad imitationem traxerat efficacior exempli Pontificalis veneratio. Anno 1678. Salutatus à Nostris hæc reposuit: *Venio Publicas Patriæ necessitates, & privatas, meáque novissima in hoc loco Deo, Patronæque meæ commendaturus &c.* Visitatum illi fuit Sacramentum Confirmationis populo impertiri, dum aderat solitò frequentior, producto nonnunquam labore in adultam vesperam; atque ut legitimè deinceps Divæ Nostræ Magnalia connotarentur, Notarium Apostolicum creavit, qui ritè cognita, probatáque beneficia, quæ in dies huc refert pia Clientum gratitudo, fastis Marianis inferret.

Montem Clarum subit pedes.

Hîc sua novissima commendat.

Notarium Apostolicum creat.

35 EPiscoporum, Suffraganeorum, Abbatum, aliorúmque Prælatorum, tum è Seculari, tum è Regulari statu, plurimi devotionis causâ, cum votis huc approperant. Antecedentibus annis, dum ad plura millia numerus peregrinorum excresceret, vidimus, & in tanta dignitate viros pro sacro tribunali Pœnitentiæ sedisse, nostrorum labores adjuvando. Permulti censebantur, qui prima ad hanc Magnæ Virginis Mensam, offerentes Missarum Sacrificia, sui Sacerdotalis statûs initia consecrarunt. Idque Deo, Divinæque Matri quàm placitum, miraculum ostendit Anno 1574. *Ioannes Oyrzyński* ad Ecclesiam Collegiatam Kruzvicen: Scholæ Rector flumen trajciebat. Imperitia regendæ celocis, fluctuúmque cum ventis pugnantium vis, tremulis periculo manibus remum excussit. Extra humani auxilij spem positum sorbsit unda. Adhuc in illo periculo suus, Virginis Claromontanæ tabulam votis prensat, primum Missæ Sacrificiũ ad ejus Aram offerre pollicitus. Successit voto solatium, nam beneficio fluctuum, quibus in profundo voluebatur, redditus continenti, ipso sacro Pentecostes anni sequentis die, decretum voto primum Missæ Sacrificium obtulit, tabulámque, naufragij schema, gratiæque acceptæ memoriam, appendit. Tanta in solennioribus Festivitatibus Cleri Hospitis frequentia numeratur, ut vix cuiquam ex nostris, Sacris operandi ad Aram Virginis fiat cópia. Anno 1669. tanta, secularis, ac Regularis Cleri multitudo numerabatur, ut ab ipso tempore devotionis Paschalis, per octo circiter hebdomadas, vix aliquando domesticis Patribus ad Aram Thaumaturgæ Virginis, tam festis, quàm feriatis diebus, operari Sacris licuerit, ad hoc solis Hospitibus facta

Alij Prælati Seculares & Regulares locum Sacrũ venerantur.

Permulti hîc Primum Missæ Sacrificium offerunt.

Hospitis Cleri frequentia.

copiâ, quorum nonnulli (ut & nunc contingit) dum Hospitum frequentiam suspicantur, longè ante per literas, ad Aram, Sacrum Missæ Sacrificium celebrandi facultatem deposcunt.

Ad Sacerdotes.

36 NEque omnino tacendum est, quod Anno 1612. 27. Septembris ad Aram Mariæ evenit. R. P. Petrus Skarga, Soc: IESU, Vir Apostolici Spiritûs, à Concionibus Serenissimo Poloniæ Regi Sigismundo, cujus verbum quasi fax ardens, & tanquam malleus conterens petras, paulo ante obitum cereum ex cera candida manibus proprijs confecerat; utque ardentissimum suum affectum erga Divam Claro-Montanam testatum faceret, ad Aram ejus donum misit, ut coram Odigitria Imagine usque ad consumptionem arderet. Mirum dictu! observatum est eodem tempore, ac momento, ante Imaginem sponte extinctum, quo, idem Pater Skargá extinctus è vivis abijt: Hujus, quòd refero meminit & R. P. Antonius Balinghem Soc: IESU in suo Kalendario Mariano, 27 Septembris, sub Numero 6.

CAPVT VIII.

Reges & Principes Locum Sacrum venerantur.

Reges Poloniæ frequentius hunc locum solent invisere ab antiquo.

37 REges & Principes, augustiora hic reliquerunt devotionis exempla. Quotquot à Ludovico Poloniæ, Vngariæque Rege, sub quo Sacra Imago prodigiosè in hoc Monte stationem fixit, Poloniæ Reges numerantur, nullus erat, qui singularibus religionis officijs, propensum erga Divam nostram animum non testaretur. Divus *Vladislaus Iagello* & Regina *Elizabetha* Serenissimi Poloniæ Reges, *Vladislai* deinde in Regnum Paternum successoris, & Divi *Casimiri*, quem Regali

- - ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli (Æneid: 7.)
Accipit, & numerum Divorum altaribus auget,

Pientissimi Progenitores, cum alijs Filijs Principibus, *Alberto, Alexandro, Sigismundo, & Friderico,* S R E. Cardinali, & Episcopo Cracovien: cum Illustrissimis Orbis Nostri Gratijs, Filiabus suis, *Hedvige, Sophia, & Elizabetha,* ad Spirituales Marianæ Mensæ delicias assvetus frequentare, præclara Sanctitatis exempla reliquit, tum loco Sacro, tum Ordini Nostro, per Ordinis Sacri Privilegiorum, gratiarúmque participationem conjunctissimus, tot magna Nomina in Album Con-

Confraternitatis inserens Anno 1471. Prostant Sigismundi Augusti, & Sigismundi Tertij religionis erga hunc locum, vivuntque monumenta.

38 DVlcis est recordatio & Serenissimi Regis *Vladislai IV.* (quem ob cultum religionis Catholicæ, & magna erga Sedem Apostolicam merita *Vrbani VIII* Summi Pontificis oraculum Carolo V. Imperatori æquiparavit) impensiorem ejus affectum suis beneficijs Diva meruit. Eâ tempestate, quâ Turcicis, ac Tartaricis ornatus laureis, ad Iubilæi Magni solennitatem, Romam, auspicijs viæ hic ad ejus Aram petitis, profectus, quòd redux incolumis, prærepto alijs benedicto gladio manu Summi Pontificis uni Principum Christianorum dari solito, Patriæ vota impleverit, Divæ Virgini, ejusque loco se debere professus est. Reducem ora Silesiæ reddere debebat Vladislaum, at subitus langvor expectationes, & solatia stitit in summo discrimine. Erant in comitatu Albertus Stanislaus Radziwil S. R. I. P. Dux in Olyka & Nieswiez, M. D. Lithvan: Cancellarius; Stephanus Pac, Ducatûs ejusdem Notarius; Lucas Zolkievius Capitaneus Calissien: & Adamus Kazanovius, postmodum Castellanus Sendomirien: qui partiti inter se de Principe sanando curas, cùm errantes per varia medendi studia non proficiunt, obversis ad eam plagam vultibus & manibus, quâ collis Parthenius eminenti fastigio, ad tria milliaria sese aspectabilem præbebat, Tutelarem Vladislai, suamque, votis implorant è genibus, ut subveniret, in vicem gratitudinis, supplices habitura cum Principe. Præsto adfuit Numen Virginis, tantumque mox virium concessit, quantum ad reliqvum, quod superabat, itineris pedes emetiendum, rata probataque Vladislao aliorum vota requirebant. Eodem die itinere pedestri subiens Montem Clarum, gratus Hospes adoravit, tum præsentis, tum præteritorum beneficiorum memor, lytrum redemptæ à discriminibus vitæ, aureum Principalis mitræ gestamen, gemmis lapidibúsque pretiosis compactum, in Reginale diadema Mariæ obtulit. Festinato passu ad Tutanam suam properans Vladislaus, approbat exemplo, quod Mellilacteus Doctor asserebat verbo: *Summa gloriâ est o Maria post Deum Te videre; Tibi adhærere, in Tuæ protectionis munimine commorari.*

Passemberg in Vladislao Principe.

Vladislaus Rex huic loco addictissimus, Divã Patronã beneficam expertus.

Pedester subit Montis Clari Aulam Vladislaus.

D. Bernard.

39 QVomodo ex Serenissimi sui Parentis Sigismundi III. Poloniæ Regis decreto, ante horridum illud Chot mense bellum, vota soluturus ad hanc Imaginem, & sumpturus auspicia, properavit, dabo

Victoriarum suarum hic sumit auspicia.

dabo in ſequentis Partitionis capite 4. Et ſuarum victoriarum trophæa Divæ Noſtræ templis intulit. Repetendum erat armis vindicibus occupatum à Moſcho Smolenſcium, huc priùs vota tulit, auſpicijs hujus Bellonæ ſuam initiaturus gloriam, dúmque diſcedenti ex hoc Monte Fortunam, victoriamque Patres noſtri comprecarentur, ad illud candidum examen converſus, quibus affectibus locum Divinæ Matri dilectum complecteretur, hic palàm fecit: *Scitote Patres mei, quòd quamvis urgentes Regni neceſſitates & imminentia pericula me hinc evocent, nunquam ab hac mea Patrona diſcedo: ſive Varſaviæ, ſive Cracoviæ, ſive in Caſtris agere me contingat, huc meum cor, & animum obverto, ante hanc Sacram meæ Tutelaris Imaginem, vobiſcum ſupplex procido, Litanijs, aliiſque precibus auxilium depoſcens, Numen ejus appello. & vbicunque tandem commoror, hinc abeſſe nequeo.*

Ejus affectus teſtimonium

40 SEcuta eſt Sereniſſimi ſui Conjugis exemplum Sereniſſima *Cæcilia Renata* Poloniæ Regina, cum Sereniſſimo Genero Philippo Gvilielmo Comite Palatino Rheni, Duce Neoburgenſi, ejuſque Sereniſſima Conſorte Anna Catharina Conſtantia, quæ & Regias veſtes ſuas, ad Eccleſiæ ornatum, donum fecit. Imitati ſunt Vladiſlai Fratris devotionem Sereniſſimi Principes *Ioannes Caſimirus*, & *Carolus Ferdinandus*, Vratiſlavien: & Plocenſis Epiſcopus, per complures dies hîc devotionibus ſuis vacando. Sæpius viſitationem hujus loci repetebat Vladiſlaus. Eripuit atrox fatum è vivis Pientiſſimam *Principem Cæciliam*, & ex virtute cœleſtibus inſeruit: quò mitiùs doloris acerbitatem ferret; crudum vulnus, ad Divam tulit, hinc leniendi doloris remedia capeſſens. Annua temporum vice redijt, Divis *Primo* & *Feliciano* Martyribus, dies ſacer (Natalis Vladiſlai fuit) ad hanc Menſam diem Feſtum egit Natalis ſui; ſæpe publicis non contentus colere Divam officijs, in furtivis de nocte vigilijs, in odeo ſuperiori ſacelli deprehendebatur; tanta ipſos hujus Sacrarij parietes veneratione proſecutus, ut diceret, minimo hujus Baſilicæ lateri, pulveríque ſuam venerationem deberi: quòd hæc veſtigia Sanctorum Virorum lacrymis delibuta ſuam reverentiam mereantur.

Cæcilia Renata.

Privatæ Vladislai Regis devotiones.

41 CVm purpura Fratris, decedentis ad otium vitæ beatioris, religionem & animum induit Serniſſimus Rex *Ioannes Caſimirus*. Propitium hic expertus Numen Mariæ, gratias beneficijs rependere eo maximè tempore conatus eſt, quo Sveticus Mars, validiſſimis impreſſionibus Marianam Arcem oppugnabat, ad ſacrilegi

Ioannes Caſimirus Rex Poloniæ, MontēClarū cum Ludovica Gonzaga

robo-

roboris repreſſionem adlaborando. Succeſſibus hîc partæ victoriæ lætus, cum Sereniſſima Conſorte *Ludovica Gonzaga*, anno medio, & amplius hîc moratus, Comitiorum tractandorum Præſidem fecit Mariam. Affectus erga Divæ Regiam, uſque ad Maieſtatis neglectū proceſſit. Fervebat mercenarius labor in ruderibus egerendis circa fortalitium, & propugnaculis erigendis, Sereniſſimi Reges ſceptro aſſvetas manus, ſarculis, & ligonibus admoliebantur, terram, & rudera in illum ab Oriente terream ſuggeſtum vectitando, quâ opera perpetuum *Regij Propugnaculi* nomen fecerunt. Sequebatur non ſegnem in ornanda, muniendáque Divæ Regia Principum Zelum Senatus cum Aula Caſimiri; ſucceſſit Gynecæum Reginale, totáque certatim nobilitas inſudans ſtrenuo labori, ſpecimen devotionis, quâ domum Partheniam dignaretur poſteris ætatibus datura.

intimis fovet affectib⁹

Singulare Sereniſſimorum Regum exemplū in munienda Arce Virginea.

42 ÆTerna voluit beneficia ſua eſſe Caſimirus Monti Mariano perpetuum facturus ornamentum, & munimentum, hac mente potiſſimùm, Oppidum Kłobucko, cum adiacentibus bonis contulit: Gratam, ratámque pientiſſimi Principis dignationem, ac donationem habuerunt Liberales animi Senatorum. Latiùs provexit affectus ſuos, dum conciliaturus Summi Pontificis Alexandri VII erga locum Sacrum, affectus, cum Sereniſſima Regina Ludovica Maria Gonzaga literas dabat ad Sedem Apoſtolicam. Facturus Senatui, Populoque Polono exemplum, quàm ſincera mente, quàm humili veſtigio ſubeunda eſſent tecta Marianæ Domûs, & in provecta ætate, per complura ſtadia pedes iter ad Clari Montis Limina proſequebatur, tota Aula ad veſtigium Regis compoſita: ut iam non tam aſpera Principibus alijs, totique Nobilitati ad Divæ Regiam via cenſeatur, quam anguſtis veſtigijs Reges tritam fecerunt.

Sereniſſimus Ioannes Caſimirus cum ſenatu bona Klobucenſia Monti Claro applicat.

Nonnunquā cum Aula ſua pedes adit Montem Clarum.

43 REgios amores erga Montem Virginis continuat Sereniſſimus Rex Michaël. Redux ab orbe peregrino, & hoc loco ad anni quadrantem circiter commoratus, quos affectus erga Divæ Theotocos Imaginem teſtatus eſt, & ſub trabea Regum ſervavit. Se ſuúmque Regnum Patronæ huic deberi ut oſtenderet, aureum Cor diademate coronatum, inter alas ad volatum explicatas, ſalutari ſtigmate MARIA adamantibus diſtincto, exornatum, ad pedes Marianos appendit, incluſa in Cordis medio ſyngrapha, quæ incipit: *Sancta Maria Mater Dei, Ego Michaël Rex, Divina Tuáque gratia &c.* 15. Decembris Anno 1669. Dum ad Vrbem Regum Coronatricem Cracoviam proficiſcere-

Sereniſſimi Regis Michaëlis I. erga locum Sacrum affectus.

Aureum cor offert cum Syngrapha.

ſcere-

ſeeretur, ad Aram ſupplex adoravit. Productis ad Kalendas Decembris Coronationis Comitijs, imminentem diem Immaculatæ Virginis innocentiâ illuſtrem hîc celebraturus, iter feſtinatum repetebat, quod quamvis lubricum acrius gelu ſtrinxiſſet, tamen uſurpato non infrequens Regum more, è longinquo, pedes, quod ſupererat perfecit, poſthabito Majeſtatis reſpectu, quam recens capeſſitæ Regalis purpuræ, coronæque dignitas ampliaverat.

Michaël Rex hîc Nuptialem Solennitatem celebrat.

44 PRimus Regum Poloniæ Solennitatem Sacri Matrimonij hîc celebravit cum Sereniſſima Poloniæ Regina Eleonora Maria Ioſepha, Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi germana ſorore. Aderat & Auguſtiſſima Imperatrix Eleonora, olim Ferdinandi Tertij Roman: Imp: Conjunx, cum Sereniſſima Filia Archiduce Auſtriæ, cúmque ad Marianam Menſam Delicias, quas Hoſpitalis explicat Maria, delibaſſet, fidum erga Divam affectum muneribus imperialibus probavit. Quòd ab Imperio tot Principes ad Sacram Nuptiarum Solennitatem evocati, Odigitriam Imaginem, venerati ſunt, ejuſque prototypis ſecum aſportatis, & alibi cultum ejuſdem propagarint, ſincera veritas imputat Sereniſſimo Michaëli, quo ad felicem æternitatem evocato, Sereniſſima Marita Eleonora, hebdomadis compluribus in Arce Kruſzynenſi (leucis non amplius quatuor à Claro Monte diſtat) commorata, quovis die Sabbati, ad Sacra Altaris ſumenda myſteria, approperabat.

Imperatrix Eleonora cum Filiab[a] Locum ſacrum inviſit.

Sereniſſima Eleonora Montē Clarum diebus Sabativis frequentat.

Sereniſſimus Rex Ioannes III. Claro Monti addictus.

45 ET Sereniſſimus Rex Ioannes III. legitimus in Regnum ex Virtute ſucceſſor, Exercituum Imperatoris munere defunctus, inter media hoſtium diſcrimina, cum quibus multiplici acie certatum eſt, ſervatus invocato hinc Mariano Numine, acceptam vitæ gratiam, & affectibus, & muneribus rependit. Grandiorem lampadem, artificio inſignem, & pretio, ad Odigitriæ Virginis Aram appendit, accenditque, ad jugem flammam, olivarum oleo nutriendam, applicato cenſu perpetuo, qui ejus amores erga Mariam, ardentes, & æternos probaret. In generalibus Regni Comitijs, dum more & inſtituto Patrum noſtrorum ad Aram Divæ Theotocos, ſucceſſus, & momenta Electionis, & Comitiorum, publicis, privatiſque ſupplicationibus commendarentur, Rex Electus; antequam Sacris verticibus impendentia cum Sereniſſima Regina, diademata ſubiret, præſens Divæ præſtitit homagium, intimis, ſibi ſemper propitium ejus Numen colens affectibus. Iure colitur Obſequijs Regum in hoc ſuo Domi-

Domicilio Maria, quia (ut Rupertus Abbas lib. 4. in Cant: ait.) *Hæc in Cœlis Regina Sanctorum, in terris Regina Regnorum eſt, quandoquidem eſt Mater Regis coronati.* *Rupertus.*

CAPUT IX.

Illuſtrium è Seculari ſtatu Perſonarum, Virorúmque Ordinis Equeſtris, erga Divam Claromontanam Religio.

46 VBique benefica, ubique mirifica Diva noſtra, non tantùm in Regum Solijs, ſed & in Senatorum ſubſellijs, in Caſtris, non populares amat Principum Virorum amores. Veritas non egens à verbis precaria commendatione, luculentam habet ab exemplis per tot ſecula deductis. Proceres, & Nobilitas univerſa, publicis, privatiſque ſtudijs, tam in particularibus Palatinatuum, quàm in generalibus Regni Comitijs, promovent, quæ aut ad procurandam loci ſecuritatem, aut immunitatem conſervandam pertinent. Privatos Principum ac Senatorum affectus, ex annua frequentatione devotionis metimur, tum ex muneribus, quæ tum exteriorem Eccleſiæ cultum, tum bellicam ſupellectilem augent, aut gazæ Marianæ, aut Armamentarijs illata. Vivit in illis exactiſſima, erga Divam Odigitriam, religionis Imago, quam in Orientis Imperatoribus, Conſtantinopolis coluit, in Carolo Magno Gallia ſuſpexit, in Leone Ruſſia admirata eſt, in Vladislao Fundatore noſtro Polonia amavit.

Illuſtriores Perſonæ Montem Clarum venerantur.

47 QVa occaſione quinque muralibus Sclopis Armamentarium Marianum auxerit G. D. Alexander Franciſcus de Zakrzow Zakrzowſki, recitant tabulæ Marianæ Anno 1671. Vnius, quem tractabat libera curioſitate, pilâ ferrea, letaliter manum læſerat, ut conquaſſatis oſſibus chyrurgi nec tractare totam manum in vulnere, nec ſpondere vitam præſumerent. Integerrimus, & in Mariæ meritis fidentiſſimus animus, ad ſperandam præter chirurgicæ facultatis adminiculum ſanitatem, ægrum, & viribus collapſum, erexit. Peregrinationem ad Montem Clarum ſpondet, voto pactus, grandiores illas Fortalitio Mariano bombardas, applicare. Medica MARIÆ manus tulit opem Clienti, nam præter ſpem aliorum, leto obnoxium vulnus perſanatum. vigori priſtino manum reſtituit. Anno eodem vota cum præfato munere bellico, ſolvit.

Auctio Armamentarij.

Letaliter ſaucius voto ſanatur.

48. Ad

Capitaneus Osvviecimensis Pieniazek Offic: Immac: Concep: Fundator.

48 AD Ecclesiæ, & devotionis ornamentum non postremum accedit Honoris Mariani promovendi Zelus, Perillustris, ac Magnifici D. Ioannis de Odrowąz Pieniązek Oświęcimensis Capitanei. Vt dulces amores suos Divinæ Matri, eiusque loco probátos faceret, perpetuum censum attribuit, ad decantandum quotidie summo manè cum Organo, seu Positivo, Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Officium. Quanto devotionis incremento in advena populo, facilè coniecerit ille, qui consonis vocibus, & affectibus personantem quotidie Marianam Aulam adverterit.

Et externi Principes etiam huic loco devotionem testantur.

Moschorum Legati Montem Clarum visitant.

A R. P. Augustinus Kordecki.

49 EXcivit & devotionem Principium Romani Imperij prodigiosa illa Obsidionis solutio, apud quos cœpit intimis affectibus foveri, colíque locus tantis miraculis consecratus. Hæc evocarunt Magni Moschorum Dynastæ *Alexij Michalowicz* Pincernam, & ad Serenissimum Poloniæ Regem *Ioannem Casimirum*, Legatum *Ioannem Iwlew*. Cum enim pacem stabilisset (quod Legationis momentum erat) visitandi Czestochoviam recens victoriâ celebrem, à Rege facultatem accepit (quod à suo Principe commissum habebat) quamobrem *Comitatu Regio stipatus, nomine, & mandato sui Principis* (ut refert in sua Gigantomachia R. P. Augustinus Kordecki, tunc Provincialis Poloniæ) *Montem Clarum ascendit, & cum magna præsentium admiratione, primùm in Templo ad Aram maiorem, tum & in Capella ad Altare Virginis Beatissimæ, augustam Sacræ Imaginis intuitus maiestatem, more suæ gentis, profundâ cervicis inclinatione, & manûs ad terram demissione, se, suúmque Imperium gloriosæ Virginis patrocinio submittens, adoravit.* Exhilaravit animos præsentium, dum à Nostris Patribus, ac Proceribus percontatus est: *Ista ne est coruscans miraculis gloriosissimæ Christi Parentis Mensa, & Imago? cujus arte manuve facta? à quo tempore hîc consistens? unde, & qua occasione, & à quo huc deducta? cicatrices vultui impressas quomodo contraxit? quibus clara miraculis? &c.* Deductus ad pretiosam Domûs Marianæ supellectilem, attonitus Polonam Liberalitatem admirabatur. Vtque conceptum, erga Divam Thaumaturgam, locúmque sacrum, affectum foveret, obtinuit, quod ad fidem visis adstruendam expetebat, Libellum, Sacræ Imaginis Originem, & miracula complectentem, nec non Ectypum Sacræ Imaginis, quem ubi accepit, suo Principi magno futurum solatio, dixit: *Religiosissimus est, & tenerrimus Christiparæ cultor.* Porro antequam discederet, audivimus loquentem: *Quæ sæpius dicta audivimus de Sacra Czestochoviensi Imagine, parum apud nos videbantur habere momenti, nunc verò quæ didici altiori habe-*

buntur loco, & Princeps, ac Dominus meus Clementissimus, postquam Imaginis miraculosæ istius, ac gestorum hîc rationes, ità vt vidi, & audivi, à me plenè acceperit, religiositatem suam, & pium in Christi Matrem affectum, Regijs, ijsq; amplissimis muneribus sacræ huic Domui certò contestabitur. Et Anno 1679. 8 Maij. in ipso Festo SSmæ TRINITATIS, Moschorum Principis Legatos ad Augustissimum Romanorum Imperatorem Leopoldum I. coram Nostra hac Imagine supplices vidimus, qui Divam Theotocon tum adoratione profunda, tum munusculis, in præsentia solitò frequentioris populi, ritu solenni, suæ gentis, venerati sunt.

Belli Duces cum Exercitibus Montē Clarum venerantur.

Eundem suæ Pietatis in Deum & Deî Matrem Fūdamentum appellant.

50 NVllo remissior tempore, sed semper constans Belli Ducum, & Exercituum, erga Sacram Imaginem devotio, plurimis, ijsq; quotidianis exemplis posset ostendi; studium tamen brevitatis professum, dedecet ingens exemplorum farrago. Generale dabit argumentum Quartiarij Militis, & Nobilitatis Confœderatio, Svecorū temporibus ad Patriæ labenti ferendum auxilium coacta, in qua *Montem Clarum, suæ Pietatis in Deum, Sanctissimamq; Matrem Fundamentum* appellant. Tenorem Confœderationis recito: *Basilicam Czestochoviensem, non in Patria duntaxat, sed per orbem Christianum, votis, & pijs peregrinationibus celeberrimam, aliquot millium Exercitu cinctam, sacrilego ausu oppugnat, & mœnia tormentis arietat, diripiendi causâ thesauros Divino cultui sacros; atq; ut diruto hoc in Deum, & ejus Sanctissimam Matrem, Pietatis Nostræ fundamento, ausu maiori ad eliminandam prorsus de Regno Fidem Catholicam, progrediatur; & in ejus locum, inducat homines peregrinos, novis, & diversis inter se de Religione opinionibus tumultuantes &c.* Didicerunt hanc Religionem à Serenissimis Poloniæ Regibus, ac Belli Imperatoribus, qui antehac nullam ferme contra hostes expeditionem apparabant, nisi priùs hîc mysterijs Pœnitentialibus expiati, Domino, Dominæq; Exercituum litarent, accepto in Pacis osculo, omine victoriæ, discedentes.

Militiæ Regni Præfecti Clavas Officiorum insignia hîc offerunt.

51 QVam sincero id Affectu peragerent, testantur summorum Belli Ducum Clavæ, ad pedes Armipotentis MARIÆ depositæ. Illustrissimus D. *Martinus Kazanowski*, dum Generalis Exercituum Ducis Officio fungeretur, minimè fidens arbitrio fortunæ, tesseram Officij sui, Clavam, pretiosis lapidibus insertis decoram, antequam contra Tartaros moveret Exercitum, offerens MARIÆ, hîs ante hanc imaginem eam appellavit: *Ego ô Magna Regni Nostri Mater, & Regina, hoc insigne Officij mei ad pedes Tuæ Maiestatis depono. Cum*

hac tessera omnem meam fortunam, meorum Exercituum felicitatem, salutemq; in manibus Tuæ potestatis resigno. Me, meisq; curæ creditos milites in omni acie rege, & protege, supplices habitura &c. Nec frustra. Liberalem enim Herois animum, auspicijs Marianis partæ coronavêre Victoriæ. Diversam aleam belli spectavit Orbis noster in Illustrissimo D. *Martino Kalinowski*, Magno Campiductore Exercituum Regni, Domino in Sniatyn &c. Anno Dñi. 1649 fecit cum suis belli periculum, & expertus est, direptis per Kosacos, Tartarosq; castris actus in Tauricam. Vices fortunæ, quæ parcit nemini, frustra questus, votis ad Divam Claromontanam nuncupatis, liber evasit. Anno sequenti 1650. suis privatis, publicisq; rebus consulturus, ipso solenni die Natæ Reginæ Cœli MARIÆ, ad ejus Aram, ut potè capessitæ Libertatis titulum, præsens, Clavam, Officij insigne, lapidibus pretiosis distinctam, Reginæ Cœli gubernandam obtulit.

52 AD ejusdem Reginæ pedes Clavas suas, & cum illis suorum populorum gubernacula, fortunamq; deposuerunt Magni in Polonia Heroës, Magnorum Officiorum, & Victoriarum Administri, non minùs bellica gloria, & natalium splendoribus, quàm erga MARIAM, eiusq; locum piissimis, amoribus Illustrissimi Viri. Illustrissimus & Excellentissimus D. *Stanislaus* in Potok *Potocki*, Palatinus Cracoviensis, Generalis Exercituum Regni Imperator, præter alia religionis erga hunc locum argumenta (quæ & ab Illustrissimis ejusdem Filijs, *Andrea Kiioviensi*, *Feliciano Siradiensi*, Palatinis, hac ætate nostra Mons Clarus habet) & Imperialem Clavam, eleganter iaspidibus ornatam, Officijq; sui momenta ad hanc Aram deposuit. Anno 1651. Æqua Religione, fiducia, ac pietate, Illustrissimus D. *Ioannes Stanislaus Iablonowski*, Palatinus Generalis terrarum Russiæ &c. Anno 1666. 8. Decembris, per Illustrissimam Consortem suam (quæ pro Filio Vota, cùm aureo pretioso segmento, è carbunculis compacto, offerebat) Clavam, suarumq; bellicarum expeditionum successus, Mariæ gerendam regendamq; commisit. Æmulatus est aliorum pietatem, & liberalitatem erga Mariam, & Perillustris, ac M. D. *Alexander Polanowski* Colonellus Copiarum Serenissimi Regis, nunc Dapifer Regni, qui Anno 1664. 30. Augusti, tabulam argenteam, opus insigne, sub qua dependet Officij Militaris tessera, Clava, ad Aram MARIÆ supplex, se, suaq; commendans, suffixit, cui hæc inscripta leguntur:

EGO ET DOMUS MEA
Serviamus
MARIÆ,
30. Augusti Anno Domini 1664.

Parem

Parem affectum, tum in alijs pretiosis ex auro argentoque muneribus, tum in oblatæ Clavæ ad pedes Armipotentis MARIÆ, dono, probavit, Perill: ac M. D. *Nicolaus Danilowicz Olstynensis* Capitan: cum hoc munere bellicæ dignitatis, copiarum suarum salutem ejus protectioni, & gubernationi, subijciendo Anno 1651. 14. Novembris.

53 SIc exhibitum sibi affectum, cultumq; quàm abundè rependat MARIA, patebat in G. D. *Adamo Komorowski*, Duce Copiarum Illustrissimi Palatini Sendomiriensis. Sub *Grudziec* cum subsignanis explorator castris egressus Sveticam cohortem premebat usq; ad victoriam feliciter. Miraculo partam, docuerunt manifesta vitæ discrimina, quorum vestigia tulerunt. Tribus ipse commilitonibus stipatus, acri conflictu dimicavit. Primus globo percussus in pectore, quod Ectypum Imaginis Claromontanæ præmuniebat, retudit ictum innoxium: alterius manica quamvis rupta, manu tamen salva globum excussit: tertius per dorsi transversum petitus, rasuram, acceptæ gratiæ stigma tulit: ipse Dux transverberata ad latus pharetra globum nihil in corpus proficientem excepit. Suam, suorumq; vitam conservatam, huic se loco debere professus est. Addidit: totius expeditionis bellicæ tempore, se cum socijs inter continua pericula versatum, nec unum tamen ex suis desideratum. Vnam gratiæ causam afferebat, vota ad Aram Odigitriæ Imaginis concepta. Merebatur fidelem protectionem MARIÆ, speciali fidelitate nota cohors Ducis inclyti. Imminente loco Sacro Svecorum exercitu, argentea Basilicæ Marianæ supellex, in vasis viciniori stagno immersa, quâ fortunâ, ignotum, in manus militum devenit; quapropter unum cavebat, curabatq; Dux generosus, ne quid in eam auderet rapax militum manus, quousq; decedentibus ab Oppugnatione Clari Montis Svecorum armis, integra sacræ Domui restitueretur. *In periculis conservatio*

54 IMmortalem hîc merentur laudem, & superstitem apud posteros etiam post fata gloriam, studia Illustrissimi D. *Venceslai Wierzbowski*. Dum enim imminentes Claro Monti Svecorum Exercitus, & iam armis validis MARIANAM Arcem oppugnantes accepisset, cum Illustrissimis suis Fratribus, minimè sumptibus parcens, ac laboribus, dissipatorum, à Svecis militum collegerat manipulos, Claromontanis Obsessis auxilium laturus. Et certè, generosis, ac arduis conatibus repressisset, retardasset, aut infirmâsset sacrilegam impiorũ violentiam, nisi Divinæ providentiæ sic placitum fuisset, immaturo fato ad meliorem vitam evocati, bonam voluntatem in cœlis gloria, *Zelus, & conatus pro Clari Montis defensione.*

 obsel-

obſeſſorum in hoc Monte labores, abſq; humanis adminiculis, victoriâ coronare.

Mos Patrius deferendi Imagines Odigitriæ Virginis.

55 EX hoc loco ferunt pectoribus appenſa, ſericeis thecis (ut iam ferè omnibus mos eſt) incluſa Odigitriæ Imaginis prototypa. Hic ad bella proceſſuris, Arma, & Vexilla, ut olim Divæ memoriæ Vladislao Principi, poſtmodum Poloniæ Regi fortunatiſſimo, ad Chotimenſe bellum contra Turcas, tum alio tempore contra Moſchos & Tartaros moventi, benedicuntur, & ad Pacis Aram, Pacis oſculum à Myſta operante Sacris tribuitur. Imagines, Coronæ, & aliæ devotionis teſſeræ, contactu thaumaturgæ Imaginis, qui ſolet fieri in præpotentis dexteræ brachio, conſecrantur; atq; hinc unuſquiſq; pacis omen, & felicitatis deſumit, ſibi pollicitus:

Pars mibi pacis erit dextram tetigiſſe (MARIÆ)

Et hoc quidem agunt, quemadmodum ſano, ità ſancto conſilio, quandoquidem cum Seraphico Mariæ Cliente D. Bonaventura epiphonemate illo Divam appellant. *Potentia & Virtus in brachio Tuo, robur & fortitudo in dextera Tua ô MARIA.*

D. Bonav: in Pſalt: B. V. M

In Caſtris Illuſtriſſimi D. Palatini Kiiovienſis, erga hanc Imaginem devotio.

56 QVamvis in Patrijs caſtris par ubiq; vigeat devotio erga hanc Dominam Exercituum MARIAM, illuſtrior fuit ſub copijs Illuſtriſſimi D. *Andreæ* in Potok *Potocki* Palatini Generalis terrarum Kiioviæ, Halicenſis, Kolomeienſis, & Lezayſcenſis Gubernatoris. Principes ejus Exercitûs Viri, Capellanum ex Claro Monte deſideratum acceperunt R. P. *Chriſtophorum Zobodzinſki*, qui Apographum Odigitriæ Imaginis, qvod Duces expetebant, caſtris intulit. Præ alijs exemplaribus, ſub quibus Divinæ Matris effigies proponebantur, hoc placuit: quapropter cùm ſub tentorijs Exercituum Domino Oblationem Incruentam litaret, continuus ex alijs cohortibus curſus, & recurſus militum fuit; replebant intra, vallabant extra tentorium: ſæpius mutuam devotionem provocabant, & affectum ad frequentandam Noſtræ Imaginis Imaginem: *Vadamus, Pergamus Czeſtochoviam*, intelligentes Hoſpitem ſub tentorijs Imaginem. Alij diurnis, nocturnis alij precibus & vigilijs intenti, quantum per officia bellica vacabat, vultum Imaginis Odigitriæ, quæ olim in *Fortunæ Aureæ* locum ſucceſſerat, veluti auſpicem fortunarum ſuarum deprecabantur. Pulchrè ad imitationem Chriſtianorum Principum, de quibus Iulius Cæſar Bulengerus de Imperat: Rom. Lib: 2 cap: 28. de Aurea Fortuna ad finem: *Chriſtiani Imperatores pro Fortuna ſimulacro Beatæ Mariæ Virginis*

Iul. Cæſar Buleng. de Imperi Rom:

ginis Imaginem Ducem coluerunt. *Θεομήτρα ὁδηγήτριαν. vocant, quam illi ubiq, in bella deferebant, & cùm per Auream portam in urbem inirent, præmittebant.* In Caſtris, ex Eccleſiæ ſenſu (in Litanijs Lauretanis) MARIA eſt *Auxilium Chriſtianorum*. Noſtra Odigitria, Dux Imago, Luxque, ſi in Caſtris eſt, *Auxilium Chriſtianorum* erit (Anagrammate pandit arcanum Quintinus Duretius, Illuſtriſſimæ Benedictinæ Familiæ Decus, in ſuis Litanijs) *Lux Chriſti via animorum*. Ediſſerit, & è Caſtris, aſtris infert animos, pia Pöeſi, per Auxilium Chriſtianorum MARIAM. Ad *Lucem*, & *Viam* ejus Pedeſtrem Muſam dabo.

Quintinus Duretius.

Eſt Via Lux Chriſti *mentes ad ſidera ducens,*
Quaq; patent rutili regna beata poli.
Non ita Tyndaridæ, fulgentia ſidera Nautas
Per mare, dum tendunt carbaſa, Luce *iuvant.*
Eſt Via Lux Chriſti *meritò dicenda MARIA,*
Ejus enim cæli gratia pandit iter.
Qui tenet hanc Lucem, *ſcelerum caligine pulſa*
Cœlica directo tramite regna ſubit.
Lux *igitur pia Virgo animi ſic dirige greſſus,*
Lucidus ut certâ tendat ad aſtra Viam.

CAPVT X.

Vrbes, Oppida, Sodalitates, Pagi, & promiſcua è varijs Regnis multitudo Sacram Imaginem, locumq; venerantur.

57 QVòd MARIA ſit *Propitiatorium univerſæ terræ* (ut ait D. Bernardus) omnis ætas, & lingva, confitetur. Palam fecerunt in Regno noſtro Vrbes nobiliſſimæ, Oppida, ſodalitates, pagi, aut acceptorum, aut petitorum beneficiorum memorias huc ferendo. Nunquam copioſiùs, ac Anno 1630. poſt ſævam peſtis populationem. Ad ſublevandos, in Confeſſionibus excipiendis, labores domeſticorum, & ex alijs Cœnobijs evocandi fuerunt Patres, quorum nonnullos, tum laboris aſſiduitas, illo anno continua; tum aëris crudi, & nondum ex peſtilentia repurgati intemperies abſumpſit. Tunc Civitas unaquæq; ſuo nomine ſupplex gratias referebat, in ſuis reliquijs ſuperſtes. Numerus ad 20. & nonnunquam ad 30. millia ſupplicantium excreſcebat, pro Feſto Aſcenſionis Domini, Sacro diè Pentecoſtes, SSmæ Trinitatis, ac Solennitatibus Virginis Beatiſſimæ, Sacra Synaxi reficien-

D. Bernard: Serm. 1. de Aſſumpti

Concurrentium ad Mõtem Clarum multitudo.

ciendus. Et nunc ad complura millia pro una die peregrinantium accedit numerus; quo sumptu, ac apparatu solennitatem supplicationis adornando, nôrunt illi, qui in morem triumphantium Divæ Regiam subeuntes, legiones, viderunt aliquando, audieruntq;.

Vota supplicantium.

58 ET nunc viget idem supplicantium ritus; Nescio si unam Urbem, aut Oppidum in Majori, Minoriq; Polonia reperies, quæ se huic loco solennibus votis non obstrinxerit, ad exemplum Posnaniæ, in cujus publico anathemate hæc leguntur:

Posnania, Virgini Matri ex Voto.

Divum, atq; Hominum spectatrix, Hera Tutelaris, spem speratam, quam Civitati Posnaniensi obtulisti, ob Domos, Familiam, Urbemq;, post multorum annorum pestilentiam, à Te protectam; Respublica grata, hoc Te primum à se misso delato, in Claro Monte Tuo, veneratur munere, ut sis in casibus Mater Sospita. Quodsi beneficijs Tuis eandem muneri addas perpetuitatem; salui, incolumes, majora solvemus. Neq; hæc Posnania Tecum paciscitur, cùm ipsa libens, volens, gratuitò benefacias omnibus, sed quia Tibi ab omnibus debentur omnia. Accipe, & fave.

59 PLura similia pij in hanc Patronam animi prostant schemata in tabulis. Similia tulerunt, diversis temporibus in argento, Gnezna, Calissium, Vielunium, Krepicium, Wolboria, Pinczovia & aliæ Civitates. Huc à 60, à 100, alij: à 100. & amplius alij milliaribus, ab ultimis Litvaniæ, Moscuæq; finibus properant, quos tantæ viæ, fluminum, solitudinum, montiumq; divortijs discretæ difficultates non retardant. Præeunt exemplo Illustriores Personæ, è suis Oppidis Pagisq;, Prælati è suis Decanatibus, complures sæpe centurias secum trahendo. Inter alios principem meretur locum Illustrissimus, & Excellentissimus D. *Iacobus Albertus Sczawinski*, Palatinus Iunowladyslawiensis, qui anno præterito in vigilia Ascensionis Domini die 29. Maij. cum Illustrissima Conforte sua pedes Montem Clarum subijens, numerosam subditorum suorum, ordinatissimam cum Vexillis, & Imaginibus cohortem, quâ diverso Musices, quâ vocum apparatu Divinæ Matris laudes personantem, cum summo devotionis incremento in advena peregre populo, ad præstandum Reginæ Cœli homagium deduxit. Magna pars Nobilium in comitatu adorantium, in habitu incognito precariò vitam sustentant. Dum votis interponunt moras majora negotia, iam non popularibus tantùm, sed & Principibus, Senatoribus, Exercituum Ducibus, Militibus, Civibus

Peregrè approperant ad Imaginē.

Prælati & Magnates præeunt exemplo.

in usum

in usum venit per internuntios Divæ Virginis Sospitæ favores demereri. His adlegendus est Civis quidam *Klecensis*, qui post Svecorum populationem, circiter ante annos 13. religiosam expeditionem ad Arcem Marianam adornaturus, pro viæ comitibus, qui precariò, aut alieno sumptu victitare volebant, sex millia florenorum Polonicalium impendit, erga MARIAM ex animi, fortunæq; bonis liberalissimus.

60 ET qui remotiùs ab orbe nostro degunt, cùm se, suosq; subditos, & dominia, præsentes hic MARIÆ devovere non possunt, religiosam, erga hanc Generalem omnium Patronam, mentem, muneribus testantur. Prostat insertum Aræ Marianæ illustre Anathema, argenteum 40. marcarum, in quo supplices MARIÆ Clientes, è genibus MARIAM adorantes, Arces, & Dominia cum subditis expressa visuntur. Huic subjicitur inscriptio. *Votum ex Ungaria.*

DEO TRINO ET UNI,

Ac Sacratissimæ Virgini MARIÆ Deiparæ, Immaculatè Conceptæ,

Nec non omnibus cœlestibus,

Ex Voto hanc Tabulam dedicarunt,

Illustrissimus ac Excellentissimus Comes Paulus Estherhas Galanta, *perpetuus de* Frakrno, *Sacri Romani Imperij Eques, Comitus Sopron: Supremus Comes, Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Maiestatis Consiliarius Camerarius, Curiæ Regiæ Magister, Partium Regni ultra Danubium, ac Præsidiorum Antemontan: Generalis, nec non Præsidij Czobancz &c. Capitaneus. Illustrissima Comitissa* Ursula Estherhas *de* Galanta *perpetua de* Frakrno, *ejusdem Domini Comitis Charissima Consors.* Anno 1670.

61 EN Poloniæ Regina MARIA, non suis tantummodò Polonis exhibet se propitiam. Nam sicut omnibus patrocinandi Misericors Mater, dignanter suscipit officium, ita omnium salutis gerit negotium. Nullam gentem excludit à Patrocinio. Novit Glivicium Silesiæ Civitas, ad leucas decem à loco sacro sita. Infidelitatis tessera notus Europæ Mansfeldus, Imperij Romani hostis, ac proditor, Silesiam prædatus, & Glivicium armis nefarijs subigere conabatur. Quassatis per violentas impressiones obsidione diuturna mœnibus res felicitari videbantur. Extemporaneum occurrit obsessis desperatis consilium, Mariam ex Aula Clari Montis votis appellare. Ergo manus inutilibus armis fatigatas, Divæ devinctas ad eam plagam attollunt, in qua Mariana Arx situata est, supplices vota ferunt, æternam gratitudinem polliciti. Adfuit illico Propugnatrix MARIA; eo ha-

Silesiæ Civitas Glivicia protecta.

eo habitu, quo in Imagine Claromontana visitur, muros obambulari, & mænia, pallium ad tutelam propandens. Sic visa est tutari Civitatem sibi deditam MARIA. Præmonentur itaq; ab hariolis, magisq; hæretici, qui Duci retulerunt *Glivicenses esse sub Magna Domina Tutela.* Confusus hostis cœlestibus ostentis, turpiterq; reiectus, ex appetitis MARIÆ Clientibus, nihil præter ignominiam reportavit. Obsidione soluta supplex Civitas adest, ac in perpetuum Mariæ Protectrici, & Propugnatrici de hæreticis triumphum, vexillum, quod Imaginem oppugnationis,& protectionis refert, appendit: in cujus una parte sub Civitate leguntur ex Psalmo 123. versus:

Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum
Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Ex altera vexilli parte, in qua D. Michaël principem tenebrarum victorioso premit calcaneo hæc sunt.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.
Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

S. P. Q. G. G.

Infra insigne

Media aquila aurea, & Turris.

Anno 1627.

Nonnulli antequam montis radices attingāt mutuâ deprecatione reconciliantur.

62 OB multiplices gratias, non solùm domûs Virgineæ limina, sed & ipsos montis radices veneratur pia advenarum religio. Qui à Silesia, Bohemia, Moravia, Germania, Austria annuatim veniunt, non priùs Clarimontis attingunt clivum, quàm deprecatione mutuâ reconciliati, cöeant in fœdera mutuæ Charitatis. Hinc vidimus nonnullos totis viginti aut triginta milliaribus prægraves Cruces bajulare, alios sagatos, (vulgo dicitur,) cappam indutos, flagello dextram armatos, in sua corpora desævientes; horum pars nonnunquam constat mulieribus, quæ patientiæ, & pœnitentiæ severioribus armis devotionem condiunt.

Salutās Divæ Basilicam è longinquo liberatur à lepra.

63 SAlutandi è longinquo Virginis Montem, aut corporis prostratione, aut genuflexione, modus, qui & hodie non infrequens est, quàm gratus Deo, Deique Matri, quàm salutaris Clientibus, insigne probat miraculum. *Nicolaus Presbyter* secularis, Gente Polonus, Patriâ Sochaczovien: dignitate Sacerdos, stigmate Cliens MARIÆ, conditione miser; decurrente anno, quo Sacris Ordinibus initiatus est, leprâ percussus, constituit non priùs se lares

res patrios, per loca miraculis celeberrima peregrinando revisurum, quam obtineret emundationis beneficium, aut certè in pijs operibus vitam finiret. In Suburbano Posnaniensi apud Patres Carmelitas admonitus, huc properavit, habens obsidem recuperandæ sanitatis, fidem promissis adstructam. Mente jam, & corpore vegetior, festinat iter: viso à longè Basilicæ Marianæ fastigio, pronus per terram Mariæ Regiam salutat; nondum eius attigit limina, & se mundatum stupet, gaudium admiratione miscendo. Prostat Idea, actum repræsentans, in Majoris Basilicæ Exedris.

Sedes Apostolica, & Tridentina Synodus de huius loci magnalijs informata.

64 STrictim insinuatam habes religionem advenarum. Laudaverunt eam Summorum Pontificum judicia; Probavit Sacra Tridentina Synodus, de sacræ Imaginis cultu, populorum confluentium devotione, de hæreticorum conversionibus, de veritate, ac varietate miraculorum, per Sereniss: Poloniæ Regis Legatum informata. Rapiebatur, fateor, vulgus promiscuum, cui hoc solùm placitum, quod novum, ad fruendum illis delicijs, quas per diversa loca in thaumaturgis Imaginibus, his præcipuè nostris temporibus, proponebat DEVS Opt: & Max: neque tamen in Mensa, hic Nazaræa semper propositæ fastidium pepererunt, ad quam ab omnibus iterum, atque iterum, cum votis recursum est. Nec mirum: nam secundùm D. Epihanium Oratione de B. V. M. Hæc est *Mensa Virginea optimis quibusque cibis abundans.*

D. Epihani.



ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS

SEV

HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO IV.

Sacræ Imaginis Odigitriæ Prototypa miraculis illustria; Apparitiones tum SSmæ Virginis, tum Imaginis; Auspicijs ejus Regum, Principumq; partas victorias; è Turcarũ, Moschorum, Tartarorũq; captivitatibus vindicatos proponit.

Hic est secundùm Ildephonsum de Virginitate MARIÆ, Cap: II.

NOSTRÆ LIBERTATIS TITVLVS MARIA.



Vemadmodum videre supplices, ità & ab ijs videri amat MARIA, noscíq;, vel in Imagine. Solvit compedes, quos Tyrannus injecit, ut Libertos in suum asserat mancipatum. Moderamen, & imperium ejus dulce est; nec enim ullum solet esse mitiùs imperium, quàm ubi Mater parere iubet, & libertatem firmat, cùm servitutem expetit, *Libertatis nostræ Titulus* MARIA. Dulcem, ac amabilem ejus speciem contemplabimur, Victorias Regum, Principumq; cantabimus, & è captivitate profugis compedes MARIANOS gratulabimur.

CA-

CAPVT I.

De Imaginibus quæ suam originem ab Odigitria Imagine ducentes, tum in Polonia, tum alibi memorabili veneratione coluntur.

1. IN Templis, Aulis, Regum, Principum, Nobilium; in Castris, privatis Oratorijs, Domibus; vario, privato, publico cultu, honorantur Imaginis Claromontanæ Prototypa. Qua occasione numerus illarum antehac excreverit, habes supra Partitione 3. cap: 4. Num: 17. Permultæ miraculis inclaruerunt.

§ I.

Glogoviæ in Silesia.

ANtecedit alias venustate, & vetustate illa Imaginis Odigitriæ Imago, cuius origo desumpta à Nostro Exemplari, quæ in Nostro Cœnobio SSmæ Trinitatis, in Silesia ad Superiorem Glogoviam in Pratis colitur. Ex manuscriptis Conventûs coævam esse Cœnobio constat. Anno Domini 1384. (Anno secundo post Odigitriæ Imaginis collocationem in Claro Monte) in laricina tabula ex Authographo Odigitriæ depicta, usque ad Annum 1430. religiosissimè habita, permultis fuit solatio. Zyska Monasterium & Templum in favillam redegit, salva inter flammas Imagine. Cui pepercit incendium, non pepercerunt hæretici. Diva Virgo, super suum, Filijq; sui sacrum Caput, binis exceptis vulneribus, horrore concussit Iconomachos, abegitq;. Cicatrices arte nulla medicabiles, & hodie perseverant, Modò Ecclesia & Monasterio à fundamentis erecto, in Ara Maiori, iustos à fidelibus honores habet, & pium affectum gratijs rependit. Quarum capaces & hæreticos fecit devotio. Dum enim plures erga Divinam Matrem, in hac Imagine venerabilem suos affectus (ità gratiæ cœlestis illapsu moderante rebelles Divinis animos) testati sunt, suscepto fidei lumine, Ecclesiæ adunari, proiectis Lutheri dogmatibus, meruerunt. Permulta beneficia hic supplicibus exhibita compilavit noster P. *Stanislaus Wesołowski.*

§ II.

Sokali in Russia.

2. SOkalensis quàm clara Miraculis, novit Septemtrio. Originem, aut si mavis, occasionem, nostro debet Exemplari. Litvanus *Iacobus Wezyk*, Pictor insignis noctem tulit in oculis ad conspectum Imaginis Odigitriæ, Anno 1392. ac recepto visûs beneficio, voto se obstrinxit ad instar illius Imaginem depingere, populis ad cultum publicum.

 blicum.

blicum, in Ecclesia aliqua proponendam. Memoriæ confidentia fretus, solam Ideam in animo domum tulit; quæ, dum opus aggreditur, evanescens, ad repetendum rursus iter ad 150. milliaria protractum, coëgit. Adest. Supplex iterum, orat sibi copiam imitandi prototypum concedi, cujus speciem sibi comprehendisse visus, redux apertâ officinâ, nihil serio conatu proficit ad votum. Desperat totaliter successum: nihilominus contribules, viciniq; recens ad fidem conversi, Imaginis Odigitriæ, quæ crescentibus in dies prodigijs inclaruerat, habere simulacrum percupientes, persvadent *Iacobo*, ut peregrinatus ad Montem Clarum tertiò, Ideæ delineandæ causâ, perenne suis contribulibus solatium relinqueret. Domum à tertia peregrinatione reversus, invenit lumine fulgens conclave, Imaginemque in tabula, quam reliquerat, absq; opera hominis, nemo enim manum admoverat, depictam spectat attonitus, cum ardente ad eam cereo. Prodigium agnoscens, prolapsus adorat, auditq; vocem: Deo placitum, ut Imaginem in *Sokal*, ad ripam *Bug*, venerationi populorum Septemtrionalium exponeret, ibidemque vitæ suæ dies finiret. Factum. Ibidem in Ecclesia Patrum Ordinis S. FRANCISCI Strictioris Observantiæ, specialem cultum habet. Ad hanc Anno 1678. Die 6. Novembris, Sacris operatus, amplissima, gratias referentium, anathemata spectavi, ubi & Chmielnicij, Kozakorum Ducis religiosi animi symbolum, in argenteo munere servatur. Supplicem hic Serenissimum Poloniæ Regem CASIMIRUM, & Exercitus, culta Poësi cecinit R. P. *Michaël Krasuski*, in sua *Regina Poloniæ* Parte VIII. Ode I.

§ III.

Neostadij in Austria.

3. Ab annis circiter 50. Imaginis Odigitriæ Ectypum summum honorem, ac venerationem habet Neostadij in Austria, in Sacello Conventûs nostri. Austriaci mirificam in operibus, & beneficam in necessitatibus experti, gratitudinem varijs muneribus rependunt. Dependent argentea anathemata, quæ supplices in hoc loco, post vitæ pericula triumphata, in perpetuum Virginis Thaumaturgæ triumphum appenderunt. Augustissimis Romanorum Imperatoribus in delicijs est: hanc tum in hoc Sacello publicâ, tum in suis conclavibus (veluti *Auream Fortunam*, fortunarum suarum Auspicem) privata veneratione dignantur. Augustissimus Romanorum Imperator LEOPOLDUS I. quibus Divinam Matrem in hoc Virginis Odigitriæ Simulacro, cum Augustissima Imperatrice, totaq; Aula sua, foveret affectibus, DEO, MARIÆ, & Austriacis palàm fecit, dum grandiorem lampadem argenteam, certè Imperiale munus, ad ejus Aram donavit.

§ IV.

§. IV.

4. Gentis *Danilovicia* propago, ex hoc loco suas habet delicias, Imagine Odigitriæ Imaginis. Hîc sibi cultam MARIAM, & ad amores, favoresq; pretiosissimis muneribus, præcipuè Illustrissimi D. *Nicolai Danilowicz*, Thesaurarij Regni, qui, cum animo auro pretiosiore, aureum Cor Anno 1641. tum alia, temporibus alijs, adamantibus compacta monilia, ad Aram ejus deposuit, devinctam, in Arce sua Vchanensi habere debuit, tanquam Fortunam, Præsidem, & Præsidium. Quomodo hîc electum occupavit locum, ex nuda nonnullorum relatione, recenseo. Hîc à quadam persona incognita empta est. in privato asservata, cuidam Personæ in donum oblata, non absq; miraculo (si ex narratione verum refero) iterum in Arcem redux, inventa est. Lapsu temporum, adolevêre, cùm domesticorum, tum externorum erga illam amores, unde ad publicam venerationem exposita, pretiosissimis monilibus, lapidibus, auro, argento exornata, honores sibi impensos, gratijs recompensavit. Principalis est, quam ipsa Arx obtinuit, viginti millibus Vkrainensium, & Moschorum oppugnata, non tamen expugnata. Delectabunt lectorem triumphi ex hac Arce, quos in ætates ire pedibus voluit R. P. *Michaëlis Krasuski* Soc: IESV, Poësis, in *Regina Poloniæ* Parte VIII. Ode VI. ubi postquam Illustrissimæ *Danilovicia* Domûs decora, ex Gentilitijs insignibus percensuisset, & nunquam tenebratam gloriæ claritudinem, Domi, forisq;, in auge sua constitutam, dilaudasset, ab Insignibus *Danilovicia* LUNÆ, ad MARIAM in Arce Vchanensi Hospitem, Præsidemq;, sub LUNÆ symbolo celebratam, descendit: Vchaniensis

Nec sola magnorum, excubias agit,
Fœcunda Mater CYNTHIA luminum;
Borysthenæorumq; vanos
Gnara canum cohibere rictus:
Suda repexis nocte trionibus
Puráq; solis lampade purior
LUX INCREATÆ plena lucis,
Purpureo cui Luna subdit
Calcata crines, impavidos facit
Regina muros, ipsa volaticos
Ignes remolitur, nitrosum
Arce procul fugat ipsa nimbum.

 Ipsa

Ipſa & libratis, diſſipat hoſtium
Globos catheijs, & regit alitis
Plumbi procellas, ipſa trudit
Denſam Equitum, Peditumq́ nubem.
Abſiſte cœptis Moſcua, filia
Frigentis VRSÆ, *quo ruis irrito*
Kozace conatu? recede
Prædo Lechis onerate prædis.
Illiſne Mavors prævalet Arcibus?
Illæne turres ariete concident?
Quæ tantam habere Contribulem,
Et validam meruere Civem?

§. V.

In Opporovv. Opporovienſis Conventus noſter, in Eccleſia ſua ante complures annos expoſuit publicæ venerationi Ectypum Imaginis Odigitriæ. Sic erat conſulendum devotioni fidelium, ut qui non tam facilè Montem Clarum, ob loci diſtantiam, genuinum Apographum Divinæ Matris viſitaturi poſſent frequentare, in coloribus ejuſdem ſimulacrum haberent. Honores, & amores hominum ex omni ſtatu, ſat liberales habet. Quàm benefica & hîc erga miſeros Mater Miſerationum Domini MARIA, novit territorium illud, quod & hodie ejus miſerationibus cumulatur. Proſtant permulta ſuperatorum vitæ diſcriminum, & calamitatum trophæa, quæ rebus quàm verbis diſertiùs; tum MARIÆ miſerationes, tum Clientum gratitudines, etiam ſine voce, fideliùs oculis, quàm auribus, loqvuntur.

§. VI.

In Mſtovv. 5. PRima gloriæ Marianæ, iterū in Imaginis Claromontánæ Prototypo, hoc ſæculo renaſcentis, cunabula, dedit Aula Inclytiſſimæ Zamoyſcianæ Domûs, quæ Divinum, Divinæq; Matris cultum, ſtatim à primis ſuis originibus, in poſteros hereditaria ſucceſſione tranſmittit. Hæc in Noſtræ Imaginis Imagine colenda, cum affectus MARIÆ probat, beneficijs ejus meruit honorari. Hinc Mſtovienſis Imaginis ordior Hiſtoriam Illuſtrium natalium honore, & in MARIÆ venerationem propenſione Nobilis, & Inclyta Virgo *Sophia Zamoyſka*, Claromontanæ Virginis Imaginem in phylyra papyraceam, Vratislaviæ coloribus expreſſam, habitans in *Strzelce* apud Germanum Fratrem M. D. *Stephanum Zamoyſki* Enſiferum Siradienſem, privata devotione coluit. Paralyſi tacta, cùm domeſtici vitam ſpondere non præ-

ſumunt

ſumunt, ut potuit nutibus ſibi dilectam porrigi mandavit Imaginem, ad cujus præſentiam ſoluto lingvæ vinculo, domeſticis in ſtupore defixis, Salutationem Angelicam recitavit. Extemporaneo prodigio, ſenſuum facultatibus, viribuſq; reſtitutis lætior, impenſiori devotione, & affectu deinceps, etiam in ſtatu Matrimoniali cum G. D. *Balthaſare Wezyk Widawſki* vivens, venerabatur, ſuam Salvatricem MARIAM, cujus hoc Ectypum ſecum in Villam Biała deportavit. Hîc domeſtici primùm, externi deinde varij ſtatûs homines, beneficam experti, pro ſolatijs tum acceptis, tum accipiendis, in Aulam G D. *Widawſki*, aurea, & argentea anathemata ferebant. Dæmones, templo, & publicæ venerationi reddendam (ſic ordinante Divinæ voluntatis placito) dixerunt, at in maiorem ſuam pernitiem; nam ijdem obſeſſa corpora, ante hanc Imaginem, in Eccleſia Mſtovienſi duobus à Claro Monte milliaribus, collocatam, deſerere coacti ſunt. Promoventibus cultum Marianum ad hanc Imaginem AA. RR. DD. Canonicis Regularibus Lateran: ab Anni 1647, Die 6. Martij, quo hîc Imago expoſita eſt, uſque in hodiernum diem, iuſtos habet à fidelibus honores. Dependent plura in auro & argento anathemata, ſupplicum, pro beneficijs, gratitudinem teſtantur. Anno eodem 1647. in Feſto Beatiſſimæ Elizabetham viſitantis, per ſolennem Commiſſionem ab Illuſtriſſimo loci Ordinario, Inquiſitio de miraculorum veritate, & varietate facta, Miraculoſam probavit. Hæc ex Archivo Eccleſiæ Mſtovienſis deſumpta, in ſcripto miſit Adm: R. D. *Simon Paſzyńſki* Canon: Regul: Lateran. in eodem Conventu Mſtovienſi Prior. Suo ſcripto prodidit Perilluſtris, & Adm: R. D *Proſper Krylinſki* eiuſdem Candidiſſimi Ordinis, ibidem Præpoſitus, Vir eximiæ devotionis, ſub tempus peſtilentiæ, per ſubiectum Monaſterio Oppidum ſævientis, plures corollis floreis, ab hac Imagine petitis, peſtiferas mortis acies, propulſaſſe, ab eâq; immunes, alijs Concivibus fato ſuccumbentibus, conſervatos fuiſſe.

§. VII.

AD ſua quoq; ampliſſima ornamenta, erga Divam Virginem Odigitriam religionem aſſumpſit, Poloniæ Metropolis, Regum Coronatrix Cracovia. Cracoviæ. Non ſolùm annuis peregrinationibꝰ, vt ſingularem totius Poloniæ, ſuamq; Tutanam, in hoc Monte colit MARIAM, verùm & quotidiana ejuſdem Ectypo impendit devotionis obſequia in Eccleſia principaliori B.V.M. IN CIRCVLO, appellata. Hîc Dives in omnes, qui invocant eam, ſub Turri in Pauperum Sacello, quotidianum cultum habet. Munificam & hîc experti Clientes, votivis muneribus gratitudinem teſtati ſunt.

§. VIII.

§. VIII.

Romæ.

6. ANno supra Millesimum, sexcentesimum septuagesimo primo, novo cultu Imaginis Odigitriæ Simulacrum inclaruit in Alma VrbeRoma. Inter solatia non postrema, & hanc numerāt Imaginē, quam in Conventu Nostro Claromontano, ex Authographo per Patrē *Felicianum Ratynski*, Ordinis nostri, solerter depictam, & ad Romanum ConventumOrdinis nostri transmissam A. R. P. *Ioannes Wanowicz*, ibidē Procurator Generalis, Romanis ad publicam venerationem proposuit. Et ne Romanos laterent illustrissima in hoc Ectypo DivinæMatris Magnalia, Historiam, cum ejus Origine, & pleraq; principaliora, quæ circa eam Ierosolymis, Constantinopoli, in Russia, demum in Polonia, considerari potuerunt, in lucem publicam evulgavit, sub Clementissimis Auspicijs SS. D. N. CLEMENTIS X. Pont: Max: qui ad hujus Imaginis Prototypum, in hac Virginis Æde, Magnus olim in Polonia Hospes, prima Incruenti Sacrificij offerebat libamina.

§. IX.

Oppolij in Silesia.

CRescit in dies Honor, etiam apud exteros, hujus Imaginis. Oppolium in Silesia, cui olim Odigitria Imago destinata fuit, ne penitus tanto frustratum esset solatio, accepit ad cultum Imaginem ejus per R. P. *Venceslaum Schwertfer* Soc: IESV, Virum Apostolicum, Oppoliensis Collegij Rectorem: à quo cùm de Imaginis nostræ collocatione perquirerem, hæc ad me (quæ placito Illustrissimi D. Loci Ordinarij *Andreæ Trzebicki* Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ propono) scripsit:

Reverende in CHRISTO *Pater.*

QVod Paternitas Vestra petiverat, ut occasionem, & modum, quo Sanctissima DEI *Mater Claromontana in Ectypo à vobis, & in Collegio nostro cœpit coli, hoc Anno 1673. perscriberem, facio id perquam libenter, ob honorem Dominæ Nostræ, cui ego & natalem in mundum, ob me impetratum à Parentibus in Czestochoviensi excursione, & me oblatum sub sacrificio Missæ ad Annum ætatis meæ decimum quintum, atq; simul statum vocationis meæ debeo, ac deniq; vitam non semel prorogatam, ut reliqua silentio premam, libentissimè & reverentissimè adscribo. Inter reliquas curas meas, quando ad erigendum Oppolii Collegium per gratiam* DEI *singularem missus fui, fuit & illa, ut SSmæ* DEI *Matris, & in Ectypo specialiter Thaumaturgæ Cla-*

gæ Claromontanæ, cultum eo loco excitarem, ad quem olim humanis intentionibus sacrum Authographum destinabatur. Ne igitur locus noster domesticus thesauro illo privaretur omnimodè, quandoquidem ex intentione Ducis Oppoliensis Ladislai Poloniæ quondam Gubernatoris, pro Ludovico Poloniæ, & Vngariæ Rege, in Vngaria residente, Oppolium destinata fuerat Imago, sed voluntate Divina in Clarum Montem, seuCzestochoviam devecta est; placuit in Apographo saltem, eandem Divam Virginem Patronam nostram in templo nostro possidere, populumq; ad devotionem sibi veluti propriam, aut debitam, excitare. Et emersit è penicillo feliciter pia Effigies, quæ ut virtutem, aliquam ab Authographo vultu intraheret, spectantibus nostris tribus, me inter illos præsente, Czestochoviæ, ad Sacram faciem Puelli DEI*, ac Deiparæ Virginis appressa fuit, cui actu domesticis Collegij sumptibus, nitidum Altare conficimus, cum hac Epigraphe:* Effigies Deiparæ Thaumaturgæ Czestochoviensis, cujus Authographum à S. LVCA depictum; & Oppolium ab Oppoliensi Duce Vladislao, Regni Poloniæ pro Rege Ludovico Gubernatore, contra Tartaros in Russia victore, destinatum quidem fuit, sed in Claro Monte jussu Dei manere jussum est. Vt tamen etiam locus iste, ad quem destinabatur, gratiarum Marianarum particeps fieret, Societas IESV, loci hujus per gratiam Augustissimi Romanorum Imperatoris Leopoldi Hæres, Apographum hoc facie ad faciem Thaumaturgæ attactum, & appressum piæ venerationi exposuit. Anno 1673. Die Visitantis, & Magnificantis DEVM, MARIÆ. *Expositionis porro modus hîc fuit: Collocata sacra Icon ad Altare majus, ipso die Visitantis Deiparæ ad maximum populi pro Confessionibus, & Communione accursum, totis subinde octo diebus, manè sub primo Missæ Sacrificio Musica, cum subsequente ad frequentem semper populum Exhortatione, quæ à diversis nostris Patribus, & Magistris, in* MARIÆ *laudes conspirantibus habebatur. Octavo demum die sub ipsum vesperum præmissis Litanijs, & Exhortatione, populo, si unquam, copioso, tubas inter, ac tympana per Aream Arcis nostræ circumlata, stationem in theatro fixit, vbi precibus, & Collecta (ut vocamus) cantuq; honorata, in templum nostrum redux, in Ara propria, suspiria inter, & affectus, collo-*

collocata est, succinente choro in Ambrosiani Hymni vicem, Cantico MARIÆ appropriato. Magnificat anima mea Dominum &c. *Referendo hæc Paternitati Vestræ Reverendæ, commendo me ad eandem Thaumaturgam precibus. Oppolij, 15. Decembris, 1673.*

Wenceslaus Schwertfer *Soc: IESV Collegij Oppolien: Rector.*

§. X.

SCio plurima hîc desiderari, & quidem consultò omitto plurima Imaginis Apographa, quæ in diversis Provincijs à Regibus, Principibus, Senatoribus, alijsq; Proceribus ad venerationem exposita sunt. A tribus iam seculis numerus illorum excrevit; veneratio excitata est, per devotionem Regum, Principumq;, in Polonia, Russia, Prussia, Masovia; & apud exteros, in Germania, Austria, Silesia, Bohemia; propagata.

CAPVT II.

Clientibus apparens, Claromontanam peregrinationem imperat MARIA.

D. Bonaven: in Psal: B. V. M. 7. VErum est ô MARIA! quòd *Quibus Auxiliata fueris Domina, erit refrigerium pacis, & à quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.* A conversione vultûs Mariæ datam utramque mentis, & corporis vitam fatetur M. D. *Nicolaus BoglewskiVexillifer Crescen:* Anno 1552. In geniali convivio, hilari occupatum insania, domum reducem, laxatis frenis liberiùs, ferociens excussit sonipes, totáque mole superincubans, pressit. Seriùs ponè sequentes amici, in rigefacto corpore hospitem explorant animam, exulemque rati, Divam Claromontanam votis appellant. Cœpit vivere *Nicolaus*, ac videre velle; sed quibusdam horrificis imaginibus perterritus, tremit, palpitat, gemit, suspirat. Adfuit gloriosa Virgo in auxilium ab amicis vocata, monstra dissipat, suumq; Clientem ab incursu pallio protegit. Erectus in genua, quanta sibi fecisset MARIA prædicat, amicorum vota probat, gratitudinem præsens exsolvit. Vtque se MARIÆ gratum, ostenderet, in Lęczeszyce fundavit, dotavitque Ordinis Nostri Monasterium, in Divam eiusque servos munificus. Salutavit, non dubitò, illis Ecclesiæ vocibus Adstitem Patronam: *Salve Regina, Mater Mi-*

Equo oppressus.

sericordia, Vita, Dulcedo & Spes Nostra Salve, ô MARIA!

8. MARIAM qui sic inclamat, amatque, præsentem habet. Habuit M. G. D. *Stanislaus Ostrowski de Ostrowek.* A procella in Vistulæ profundum actus, Imaginem Claromontanam in undis spectavit, emersitque ex miraculo. Aliquot deinde annis pòst, in ægritudine supremùm fatiscens, in Medici Persona stantem ad lectum Angelum tutelarem habuit, qui somnum suadebat. Illo vix adrepente, clausit lumina, & ecce Divina Mater se se.

In aquis & in morbis apparens à geminato periculo liberat Maria.

Oculis tam clara videndam
Obtulit, & purâ per noctem in luce refulsit
Alma Parens confessa Deam, qualisque videri
Cœlicolis, & quanta solet, dextrâque prehensum
Continuit;

quæ sacræ manûs porrectio medicis desperatum, erexit, iussitque in vicem gratitudinis revisere Clari Montis limina. Tanto prodigio viribus resumptis, lætior, præsens gratiam acceptam iuramento roborat, coram Actorum Præside R. P. *Adamo Zavada* Anno 1648. Habet ecce suos Divina Phœbe Endymiones MARIA, quibus datura pacis osculum, non ad Latmium, sed ad Clarum Montem, in potestate, & virtute descendit. *Meritò ô Dilecta Phœbe MARIA! in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, per te, & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creavit, recreavit.* D. Bernard.

9. MAriano favore magis, quàm suo nomine, *Felix Skiba*, in Turcia servilis conditionis labores, vincula, carceres, viginti sex, annis tolerans, ad Machometi dogmata, ritusque, cogebatur. Tot ærumnarum lenimen erat, religionis Catholicæ tenacissimo, erga Divam devotio, & in vinclis libera. Vesper in occasum solem præcipitârat, cum illapsi, carcerem genij tenebras facibus dissipant: adest & Heroina (Maria erat) è captivitate missionem Clienti datura; præcipit ut libertatem adeptus, ad Aram Imaginis Odigitriæ in Claro Monte vota deponat: atque ne illusum se putaret, miraculosè vectes, seræque resolvuntur, de manibus pedibusque labuntur vincula, & adhuc inter hostes, MARIÆ libertum testantur. Egreditur, non quæritur, medios pervadens hostes, non agnoscitur, non tenetur. Redux in Patriam supplici gratitudine libertatis anathema appendit, Anno 1638. 12. Maij.

In vinculis gementē invisit, ac in libertatē educit Maria.

Amico captivo apparens Votum præoccupare iubet & captivum reddit liberati Maria.

10 AMicis quoque captivorum apparens, & suæ libertatis gratiam ignorantibus, occurrit MARIA. Vir insignis & generis claritate, & Martia virtute *Andreas Nowosielski* à Turcis interreptus ex acie, 37. annis in triremibus laboravit. ingeniosissimi, ad captandam occasionem fugæ modi, non successerunt; quia plerumque steriles sunt mortalium conatus, nisi supernis favoribus felicitentur. Vtroque, & sangvinis, & affectûs iure devinctus captivo N. *Stanislaus Ianicki*, mandatum à Diva apparente accepit, ut ad Clari Montis Aram pro Andrea lytrum ferat, si amicum unicè dilectum, gratia libertatis donatum velit. Paret, solvitque vota non illibens, accipit reducem, amicum; uterque præsens hic apparitionis, ille mirandæ liberationis, gratiam enarrat. Iuramento firmatum in Fastis Marianis Anno 1645. 25. Iulij.

In ægritudine apparens Claromontanam peregrinationẽ imperat Maria.

11. ET suos Hyacinthos diligit MARIA, quos per influxum gratiæ, gloriâ miraculorum vult florere. *Hyacinthus Sutkovius*, A A. L L. & Philosophiæ M. Scholæ Biecensis Rector, in desperata ægritudine, lassis gemitibus MARIÆ Numen implorabat. Adest illa; nonnulla fusiùs prolocuta, peregrinationem ad Clarum Montem imperat. Visionem mox subsecuta sanitas, attonitos omnes in rei novitate tenuit. Non moratus vota, nondum firmatos artus baculo sustẽtat cœlestibus monitis impigrè obsecuturus, sed egressus domo, pleno valetudinis munere potitus, prodigium Parthenijs Fastis intulit, Anno 1658. 4. Maij.

In pestilentia simile.

12. MIrare etiam, quòd iubeat, cogatq; sanari nolentes MARIA. *Thomas Klodavius* in *Baldrzyce*, quatuordecim hebdomadas pestilentem affectionem passus, à vicina morte patientiæ finem precatus, vidit Divinam Matrem, quæ, ut suam Imaginem in Claromonte visum iret, svasit, & cunctantem ad votum coëgit. Sed fortè iam apud moribundum, verum, quod fiebat, mera fuit Imago somnij. Mãdatum neglectim accipiens, fecit, ut iterum apparens ægrorum salus Maria, arguendo segnitiem, iussa repeteret. Prævaluit, quæ dominatur ubique, & hominum affectus rebelles moderatur: extorsit loci visitandi consensum, ut beneficium imperteret. Redijt ad se, redeunt & in suam legem, morbi acerrimi vi, membra distorta; adest, Salutis Aram hic amplexus, apparitionis, & miraculosæ curationis donum in gratiarum memorias inferendo. Quo con pellent affectu discedẽtem Clientes, qui vultùs gratiam diutius contemplari cupiunt? credo cum D. Anselmo. *O nimis exaltata quam sequi conatur affectus animæ mea! quò aufugis aciem mentis meæ, ô pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum! quò evadis capacitatem cordis mei?*

D. Anselm. in Orat. ad B. V. M.

13 NObilis *Sandawa* G. D. *Martini Sanda* Nobilis Coniunx, peste grassante in aperto campo tugurium colebat. Mors rapuit familiam, liberos: ipsa duas hebdomadas ægra, prædonibus mapale subeuntibus, propè exanimis, iugulum ferro parabat. Mirum! in tam aperto discrimine, reluctantem sopor placidus invasit, in quo vidit à Divina Matre, decretam antehac ad Montem Clarum peregrinationem imperante, ori suo, medicinalis ambrosiæ poculum admoveri. Excussa somno adhuc cœlesti dulcore defluens palatum miratur, constituta in medijs lavernionum armis, vota repetit, se suáque salva omnia, dilapsis nemine persequente, in fugam prædonibus, Numini Mariano adscribens. Verum proinde est, quòd *Fidelis Mediatrix MARIA, quæ salutis antidotum, viris, & mulieribus propinavit.*

Apparẽs ambrosiã ægræ propinat Maria.

D. Bernard.

14 AMavit videri Maria & ab *Hedvige Czubińska*, nobilitate generis Litvanis nota, de Domo *Oltarzewska*. Sexagenaria Moscuã abducta, tribus annis captiva, hospitem habuit infernalem animarum eleptam, qui svadebat ad ærumnæ finem, iam parato funi gulam inserere. Adfuit eodem tempore & Maria, animum vitæ impatientem reprehendens, atque si libertatem cuperet, ad sacra Clari Montis limina, iter votis promitteret. Vigil amat sua somnia *Hedvigis*, & imperia; captivitatem evadit, vota solvit, Anno 1664. 12 Ianuarij.

Desperatæ apparens suspendiũ prohibet Maria

15. VIdet oculus Mariam, quem peccati nævus non caligat. Vidit Nobilis *Catharina Wolska*, viginti hebdomadas, paralysi affixa lecto. Visa sibi aliquando ad Aram Divæ Claromontanæ præsens, hæc à MARIA audisse: *O fatua mulier, huc te & affectu & votis humilibus converte, & tantopere desiderata gratiâ sanitatis potiere.* Expergefacta cœlitus inspiratum consilium intellexit, ratum habet, advertit donatam extemporaneo beneficio valetudinem. Anno 1671. in Festo S. Andreæ, miraculo adeptæ sanitatis authenticam recognitionẽ reddit Coniux ipse peregrinationis comes. Gloriæ partem agnoscimus Mariæ vultu beari, Et hoc satis fortunæ mortalium, vel in somno. Nec mirum. *Ecce* (enim) *quàm gloriosum gloria Mariæ privilegium est, quòd ipsa in gloria gloriosissima est, post Deum gloriosum. Gloriæ Mariæ privilegium est, quòd quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum*

Paralyticã alloquitur, sanatque Maria.

D. Bonav. in Speculo cap. 6.

sum omnino Mariæ privilegium est, quòd post Deum major gloria nostra, majus nostrum gaudium de Maria est.

CAPVT III.

Apparitiones Sacræ Odigitriæ Imaginis referuntur.

Aristoteles.

16 AMoris documentum est videri à MARIA. Philosophus enim ait: *Cùm videris hominem frequentantem in te visum, hic te diligit.* Frequentat MARIA intueri miseros Clientes, amores suos probatura. Et Imaginis ejus aspectus auxilio fuit, & solatio. Testis est M. D. *Vladislaus Zalinski*, Ensifer Livensis. Hospes olim ad Aram Virginis, adhuc puer, tutelæ Marianæ commendatus est à Parente. Pios ille inculcavit amores erga hanc Matrem, qui ità cum Ioanne adoleverant, ut congeniti viderentur. Fuit, quòd in Civitate Liwsko, Anno 1640. ad necem ab adversario quærebatur 25. Iunij; occurrit inermis hosti, dumq; expeditum vaginâ in ictum librat acinacem, ferro illatam vim repressurus, globum excepit framea. Tremere, torpereque cœpit dextera armis tractandis impar, hinc certam sibi spondens æmulus victoriam, intentat fatalem ictum Ioanni, sed Clypeum obiecit MARIA. Stupendum! visibilis inter vtrumque Imago Odigitria apparuit, si hostis non parceret, ictum exceptura pro Ioanne. Sic rixâ diremptâ, prodigium ad pacem animos diffidentes coëgit. Statuerat Ioannes frameam, quæ globum inanem exceperat, hoc locò tholis Marianis appendere; quod dum moratur, inter globorum nimbum constitutus, vota repetens evadit integer. Aut negligens, aut differens deinde proposita, apud Principem Radzivilium Succamerarium Lithvaniæ à Curia dicta *Orle* per arctum aggerem descendes, plus viginti framearum ictus impune sævientes excepit, extra vulnus tamen; quòd eodem Clypeo munitus. Sic servatus, tot miraculis, ac periculis commonefactus votorum, ad Aram supplex adorat Anno 1642. 22. Maij. Syngrapha gratias testatus. Non periclitari, non perire vis? apprehende votis Mariam, & vel in Imagine *Super Scutū potentiæ, & super lanceam, pugnabit pro te*, Eccles: 29.

Inter duellantes apparet Imago hæc media, & rixam dirimit.

Ecclesiastes 29.

17 *HIeronymus Pusłkarzewski*, Vir genere, & bellicis artibus clarus, Anno 1620. contra Turcas castra secutus, dum ad Tanais crepidinem inopinatis barbarorum assultibus premitur, in flumen se dedit præcipitem, quòd equi fiducia, & natandi peritia vitam sponderent.

In profundo Tanais merso apparet Imago.

rent. Vtrumque labefactavit procella. Hic adhuc suus animus votis appellat Hospitam Clarimontis Mariam, quæ obiecit per ima Tanais raptato, tabulam, Imaginem Odigitriam aspectabilem, cujus auspicijs quævis brevia, syrtesque, aut latrantes scyllas, evaderet: quo factum, ut infidorum fluctuum Diviniori Nymphæ obsequentium officio, continenti redditus, votis potiretur. Votorum reus, per diversas iniquioris fortunæ Malæas jactatus, intellexit pœnam perfidiæ, quæ ad Aras Divæ Sospitæ coëgit. Legitimè in Actis Marianis, cum gratijs, adnotatum Anno 1653. 24. Martij.

18 AFfine beneficium exhibet tabula perantiquæ picturæ affixa in Sacrario Virginis, cum subiectis versibus:

Mulier naufraga sacrā in undis videt Imaginem.

Excidit è navi mulier dum flumen inundat,
Et misera inclamat: Diva mea adfer opem!
Hinc videt in fundo Claro de Monte MARIÆ
Vultum, & naufragio libera, vota sacrat.

Ne te Stygis atræ sorbeat procella, invoca Divam cum Seraphico Doctore *Extende ad nos brachium tuum Virgo gloriosa, & ne auferas à nobis gloriosum, vultum tuum ô MARIA.*

D. Bonaventura in Psalt. B. V. M.

19 ET Religiosorum Cœnobia suo Numine implet MARIA. A. R. P. *Adamus Boski* Ordinis S. Francisci in Conventu Leopoliensi Commissarius, fractus laboribus langvebat. A medicorum curis vita pendebat; his quoque destitutus, quòd immedicabilia symptomata crescerent, ad Divam Claromontanam votis, & animo itavit. Prælusit solatijs in Imagine Odigitria Desperatorum Spes MARIA. Eâ forma, ut in Ara colitur, habet aspectabilem; hinc non tantùm exhilaratum se, verùm & sanitati donatum lætatur. Anno 1617. gratitudinem præsens exsolvit. Tuum exorantes Numen ô Pulchritudinum creatarum pulcherrima, jure accinimus cum Gregorio Nazianzeno:

ô Puella gratiâ
Æquanda nullis. Mater, & Virgo, supra
Omnes decora Virgines, & Maxima,
Quæ sola vincis Cælituum omnes ordines!

D. Gregor. Nazianz.

20 TAlem vidit in Imagine Leonora *Monwidowna Ierzykowicowna Iablonowska*, Notarij terræ Nursiensis Illustris Marita. In langvore qui medicam facultatem excedebat, fatiscens, & extra spem vitæ

Geminatum beneficium sanitatis &

Sacræ Imaginis apparitio. vitæ posita, ad Divinas medendi artes ingenium, in quod jus nullum usurpabat morborum malignitas, convertit. Noctibus iubet Nostræ Imaginis Imaginem ad lectulum affixam manibus inferi, appositam pectori complexa, Montem Clarum adeundi votum concepit, hinc protinus ad tactum Imaginis, letales ardores extincti sunt, salusque rediit. Lapsu temporis, & gratiæ & voti memoria evanescens, Superum civit vindictam. Coquit iterum præcordia pestilens ardor, nonnisi à mortis gelu remedium habiturus. Antequam in longam clausisset lumina noctem, dormire sibi visa, inter somnum, & vigiliam Imaginem Divæ Claromontanæ candido Religiosorum examine stipatam videt, arbitrata ad conductum funebrem Religiosos advenisse, ad Imaginem suspirat. Redit neglecti voti memoria, placet iterum, quod placebat, à Lithvaniæ ora ad Divæ nostræ templa cum votis proficisci. Dat vires miraculum, vitamque Præsens hic cum teste gratiæ R. P. *Toma Tetkowski* Ordinis Prædicatorum, testatam gratiam reliquit in Actis Domûs Partheniæ. Iterum Anno 1663. invocata ex hoc Monte ope Mariæ in infirmitatibus gratiam sanitatis consecuta, cum gratitudine præsens, carbunculis compactum aureum monile obtulit 14. Augusti. Profectò *Oculi* (Dominæ) *super timentes* Ecclesi. 34. *eam, protectrix potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adjutorium casûs, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam & benedictionem.*

Sub specie sideris apparet in Imagine Maria. 21 THeophilam *Charzewska*, G D. *Petri Charzewski* Conjugem accepti beneficij tessera *Mariophilam* quoque fecit. Integro anni quadrante dolorum letalium acerbitas, vitæ fecit fastidium. Desperata, ad spem MARIÆ ivit. Adfuit in Imagine Odigitria, oculis objecta sub specie sideris fulgentissimi; veluti Lucifer, qui novos spei, vitæque desperatæ dies auspicatus, vitam pristino vigori restituit. Richardus de S. Victore Anno 1650. 15. Octob: recognitum. Ecce (quis dubitabit?) *Maria stella est, ideo peccatores, quasi in nocte, à Maria consolantur.*

In luctu positis parentibus apparet Imago à qua salus filiæ. 22 ET oculis speciem, & auribus vocem, ab hac Imagine profectam acceperunt pientissimi Conjuges G. D *Martinus Zaleyski, & Sophia Mikolaiewska.* Vrsula sexennis filia glutigit acum, quæ pertinax hæsit in gutture. Circumstabant feminecem puellam chirurgi, & casum, qui acûs educendæ fallebat industriam, non minûs indignabantur, quàm dolebant. Tetigit vulnus filiæ parentum cor, iamq; mors cæpit in votis esse. Sed vota properant ad MARIAM parentes, quæ dum in privato conclavi, lacrymas inter, prosequuntur, infulsit immensa lux, Effigiem Imaginis Odigitriæ in mœstorum parentum ferens obtutus, prolocuta ex Imagine Virgo, filiæ sanitatem appromisit. & ne quidquam in promissi certitudine ambigerent, potentiam, ab omnipotentia Filij, veluti Filium interponit. Consternati primû apparitione Coniuges, moxq; erecti, sua non capiunt solatia, quæ Imago ferebat. Accedunt ad filiam dolentis, & amantis affectûs intemperantiâ sedata, quæ impatiens quietis cœpit concuti, motus provocavit vomitum, qui omnibus in stupore defixis, incurvatam, cruentamq; acum eiecit. Liberales gratias egit primùm ipse Pater G D. *Martinus Zaleyski*, gratiamq; coram A R P. *Nicolao Staszewski* Provinciali Poloniæ, & R. P. *Adamo Zawada* Priore Conventus Claromontani, recognovit, deinde Mater ipsa cum filia præsens, quæ relatis subscripsit. Quàm Diviné Anselmus: *Sicut impossibile est, ut illi à quibus* D. Anselm. *Virgo MARIA oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ità necesse est, quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur, glorificentur.*

Ex Imagine spondet sanitatem Clienti Mariæ. 23 NOn solis Aulis Nobilium, & Civium ædibus, & oculis affulget lux vultûs Mariani. *Franciscus Kmita* Civis Gnesnensis, in profundo fluminis præfocandus voluebatur: invocata cum proposito peregrinationis Claromontanâ MARIA, pereuntem salvavit. Elabitur memoria beneficij, & propositi, cum tempore. Castigavit neglectum paralysis gravior sensuum externorum clade. Iam spes, iam desperatio, alterna vice exercent ægrum; advocat varias Imagines, nocturnum tempus distrahens variâ cogitatione. Obiecit in se reflexa conscientia reatum gratitudinis, quam non ità pridem spoponderat; hinc accusans infidelitatem, dolet; supplexq; eidem Divæ Sospitæ, geminato & nunc miraculo, beneficium sanitatis desiderat replicari. Hæc dum suspirat, speratq;, occurrit inserpente somno Imago Odigitria, loquitur, promittit sanitatem, si staret promissis. Detergens somnum inter, & vigiliam pendentia lumina, rata habet vota sua, & quia MARIA voluit, convaluit. Anno 1646 7. Maij. iureiurando visionem, & beneficium adstruxit, cum testimonio Magistratûs Gnesnensis. Saluta, cui concessum est hoc aspectu frui, cum Ecclesia Græca: *Salve ô tota pulchra Virgo! tota nihil nisi nitor, &* Menolog. Græcum. *species lucis, diem ad Deum adferens, vulnerati sumus à singulari amore Te glorificandi, ô MARIA!*

Geminato beneficio, & 24 EVa *Marynkowa* de *Szulmierzyce*, licitos Hymenæos exosa, statuit

Imaginis ap-paritione Illuſtris.

tuit in aliquo Parthenone vitam religioſam profiteri. Ad Magnanimæ Virginis conſtantiam, nihil præter dotem deſideratum eſt: quam à facultatibus non habuit, ab arte Muſica quæſivit, ſtudium pulſandis Organis impendens. Maleficarum artes utramq; manum tabe ab-ſumpſerunt, ultæ contemptum, quòd multis procis petita connubia reſpuiſſet. Tribus annis illud pondus inutile circumferens, ad Aram quoq; Divæ noſtræ tulit, manus arefactas, at gratiâ Dei, Interventuq; Divinæ Matris ad priſtinas functiones reſtitutas accepit. Redux domum ſeptem hebdomadas affectione maniaca dilacerabatur: ventum eſt ad ſupremam luctam; inſeritur manibus ſacer cereus, tota in viam æternitatis accingitur. Altiora meditatus conſilia Confeſſor moribundam Divæ Claromontanæ deſpondet, quo & mens Virginis nonnihil recollecta collimabat. Videt Hoſpitem in Imagine Odigitria MARIAM, cujus præſentiâ recreata, ſenſit in animum dulcedinem, in corpus ſanitatem illabi. Præſto cum teſtibus, gratias retulit Anno 1562. 4. Iunij. Quotquot aut corporis, aut mentis oculis pulchritudinem ejus contemplamini: *Adorate illam in decore illius & glorificate Opificem pulchritudinis ejus.*

D. Bonavent: in Pſalt. B. V. M.

CAPVT IV.

Auſpicijs Claromontanæ Virginis, de hoſtibus relatæ Regum, Principum, Heroumq; Victoriæ.

Stanislaus Kobierzyki in Obſidi.

25 MOs fuit Poloniæ Regibus, hic poſt victorias vota deponere. Meminit *Stanislaus Kobierzycki* in Obſidione, Divam affatus: *In hoc Monte depoſito diademate Reges ſupplices Tuam venerati ſunt clementiam, relataſq; ex Oriente, Septemtrione, cæteriſq; partibus in Tuum gremium depoſuerunt laureas &c.* quia hanc *Exercituum* Dominam in belli ſocietatem votis depoſcebant. Decumanna fuit victoria illa Divi Sigiſmundi Poloniæ Regis Anno 1514. Acri cum Moſchis prælio pugnatum eſt: eadem hora, durante in acie conflictu, Conarius Epiſcopus Cracovien. ad Imaginem Odigitriam Sacris operam dabat, Deum, Divamq; pro ſecundis belli ſucceſſibus invocando. Itaq; fervente populorum hic devotione, dæmon inſolens obſeſſi corporis exagitator, lætus hæc publicè profatus eſt: *Eia Sodales! multos hodie convivas apud Plutum noſtrum hoſpitalem excipiemus.* Non obſervatum hoc, quia neglectim acceptum; donec ſub ejuſdem Sacrificij tempus, cum quodam animi dolentis affectu ſubinferret: *O MARIA! Tu invicta, indefeſſaq;*

persi-

perſiſtis in precibus pro Tuis Nazaræis. Obſervare placuit effatum Paulo poſt fama tulit, illa hora felici, quâ hic ad Sacram Imaginem Sacrificatum eſt, Regem victoriâ potitum. Cæſa hic ultra quadraginta, capta ultra decem millia barbarorum memorantur. Probavit Rex Victor, qui vota ſolvens, erepta hoſtibus Vexilla in Odeo Superiori Marianæ Baſilicæ appendit. Et quidem Divæ Claromontanæ auſpicijs partam illius victoriæ gloriam *Leoni X.* Pont: Max: à Rege ſignificatum eſt. Iure Diva Noſtra in Menologijs Græcorum ſalutatur. *Salve Principum gloria, Nobilitas Regum, Fortitudo Exercituum ô MARIA.*

Menolo: Græc.

Vaſſembergius in Vladislao Principe.

26 NOtæ ſunt apud Vaſſembergium D. *Vladislai* IV. Victoriæ. ſtrictim inſinuo. Erecta de Oſmanno Turcarum Imperatore trophæa, vindicatum Smolenſcium, à Moſchis uſurpatum, inclinata ad ejus pedes hoſtium vexilla, Sechinus Moſchorum Generaliſſimus ad pedes victoris procumbens & vitam exorans. Iterum Amurrhates Turcarum Imperator *Vladislai* Nominis fama perterritus, ad pacem coactus, & Svecorum concuſſa potentia, quæ omnia Vladislai teſtimonio, votis ad hanc Aram ſuſceptis, debentur: neq; enim ullam apparabat expeditionem, niſi hic ſucceſſus omnes MARIÆ commendaſſet, ad cujus Aram Vexilla, & Arma, propriumq; gladiū, quo latus muniebat, benedici curavit. Merebatur profectò in periculis Adſitem, Tutanamq;, ad Victorias Auſpicem Ducemq; MARIAM habere Sereniſſimus Cliens; cujus ille affectus ſibi torquibus adamante lucentibus obſtrinxit, annulis deſponſavit, multiplicibus in auro, gemmis, ac lapidibus pretioſis, muneribus, per ſe, tum per internuntios votorum ſuorum, quoties arduitas rerum expoſcebat, oblatis, quibus ad liberalitatis, & affectûs erga MARIAM, certamen, Sereniſſimam Reginam Cæciliam, Sereniſſimos Fratres, ac Sorores, tum Hoſpitem Magnum Generum ſuum, Philippum Guilielmum, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Neoburgenſem, provocavit.

Vladislai Victoriæ.

Sigiſmundus III Rex Polon: Chotimenſis victoriæ hinc ſumſit auſpicia.

27 ILla quoq; D. *Sigiſmundi* III. de Oſmanno Victoria in campis Chotimenſibus huc relata eſt. Audi Simonem Starowolſki: *Licet* (inquit ille) *pio Pontificum noſtrorum inſtituto per univerſum orbem Sarmaticum in ea victoria vota publica ubiq; ſupplicationibus Deipara vocaretur, quòd non ſolùm è communi ſenſu, nec unquam ſpe fallaci, conſtaret, ipſam præ Cœlitibus apud Natum efficaciſſimè pro Chriſtianis interpellare, ſpeciali attamen religione* Vladislaus IV. *Princeps tunc, ſuo, Parentiſq; ſui Invictiſſimi ſemper, nomine, ad viſitandum Sacram Theothecon Imaginem Claromontanam, pro*

Simon Starowolſki.

ſuis

suû Polonis obstrinxerat; effeceratq́, tam pio voto suo, ut bellum illud toti Europæ terribile, paucis diebus conficeretur; & victoria illa, quâ fortaſſe majorem à condita Polonia. Dacia ſolum non conſpexit, Mariæ Virginis ſoſpitatu, à partibus noſtris ſtetiſſet; Tyrannuſq́ inglorius ad ſuos reverſus, à proprijs militibus per tumultum diſcerptus, hoſtia non ingrata ad inferos deſcendiſſet. Hæc ille. Quam victoriam, ut apertiùs huic loco deberi, conſtaret, gratus Rex Cherubinos duos in genua procidentes, MARIÆ Palmas, & Coronas offerentes, ulterioris gratitudinis prodromos præmiſit, qui in hodiernum diem, ad perpetuum victricis MARIÆ triumphum applicati, pro Palmis, Coroniſq; Luminaria præferunt. Imploranda eſt Auxiliaris Dominæ Exercituum dextera, Regibus Noſtris ſemper amica (cum D. Bonavent. in Pſalt: B.V.M.) *Excita furorem, ô MARIA, & memento belli, & ſuper eos effunde iram Tuam; innova ſigna, & immuta mirabilia! ſentiamus adjutorium brachij tui.*

D. Bonav:

Ioannis Caſimiri Pol: Reg: victoriæ.

28 AD hoc Sarmatiæ gloriæ Capitolium, intulit trophæa *Ioannes Caſimirus* Sereniſſimus Rex. *Theodatus Chmielnicki* Kozakorum Dux, accitis in belli ſocietatem Satrapis Tartarorum, involavit Ruſſiam. Patriæ res, in ſummo diſcrimine poſitæ nutabant, quòd inſeſſis ab hoſte tractibus, Nobilitas Regē ſequi non potuerit. Conciliato hic MARIÆ Numine, intrepidus ad immenſas illius colluviei copias, admonet per Fecialem Dominum Tartarorum, qui ſpebus prædæ ditioris pellectus, Theodati rebus operam navabat, ne rebellibus opem ferret. Mirum! qui Oppugnator venerat, cruentæ pugnæ diremptor fuit, cumq; defeciſſet ad Regias partes, fortunam Kozakorum adeo labefactavit, ut Dominus, coactus in genua, ſupplex rebellionis culpam deprecaretur, canenſq; receptui, cum auxiliaribus Tartarorum copijs, liberam periculo, iam nonnihil metu concuſſam Poloniam reliquerit. Princeps victor vota non moratus, eodem Anno 19 Octob: ad Aram Claromontanam, octo Vexilla hoſtibus erepta appendit, illuſtres triumphos Victrici Virgini, per bellicum apparatum, igneſq; ſubſidio artis Pyroteuticæ nocturnos, ac diurnos hic inſtauravit. Et victoriam ſub *Czudnow* Anni 1661, ſe debere huic loco teſtatus eſt Sereniſſimus Rex *Ioannes Caſimirus*. Huc ſecum traxit ad homagium MARIÆ, Magnum Kozakorum Ducem *Cieciura*. Supplicem Divæ ſpectavimus, quam ille, præſente Sereniſſimo Rege, more ſuæ Gentis veneratus, læſæ Maieſtatis veniam impetravit. Vtq; perpetua Regiæ gratitudinis, pro obtenta victoria, hoc loco maneret memoria, Clavā Ducalem, præfati *Cieciura* Officij inſigne, argenteā, ad

Iterum de Kozacis, & Moſchis

Mariæ

Mariæ pedes, in perpetuū anathema appēdit. Et quia ſemper ſibi propitiū Virginis Numen expertus eſt Sereniſſim⁹ Rex, iterum cum Moſchis commiſſurus præliū Mariam hinc devocavit in ſubſidiū, ejuſdēque auſpicijs Moſchos triumphans, anni ſequentis die 2. Februarij, in tholis Aulæ Marianæ aliquot Vexilla cum Moſchorū inſignib⁹ affixit.

29 VNa acies compluribus Victorijs ſtipatum proponit virum Principum ſangvine ſatum *Præclaum Lanckoroński*. Sub *Sigiſmundo Auguſto* Germanicas cohortes proſtravit in Pruſſia; iamq; conſummata victoriâ potitus, hoſtib⁹ diſſipatis, omniaq; ſecura arbitratus, familiarium quendam inter cadavera quærens, hoſtibus ex improviſo clauſus, nec in fuga, nec in armis habuit auxilium. Divam ergo Claromontanam, quæ victoriam primam dederat, votis appellat; cuj⁹ gratiâ, inopinatè, armis, & periculis ſubductus eſt.

30 NOnne & in Te MARIÆ protegentis favor elucet, quâ natalium ſplendore, quâ bellicis artibus ſpectabilis *Procopij Sieniawski?* Tumultuariè collectis modicis militum copijs, immenſas cohortes Turcarum à feudali Poloniæ Volhinia repreſſurus properavit; felicibus quidem auſpicijs, quia Marianis; quæ votis ad Odigitriam Imaginem meruit. In acie media miſſilibus Turcarum ſeptus, extra auxilij humani ſpem, modumq;, non tantùm incolumis, ſed etiā, alijs cæſis, alijs inaudita fortitudine diſſipatis, victor evaſit. Voti re⁹ Auctoratus MARIÆ, argenteam tabulam, decumannorum diſcriminū ſchema, præſens cum gratiarum actione ad Aram Tutanæ MARIÆ ſuffixit.

31 LIteris ævum prorogat apud Hiſtoricos *Koniecpolſciana Domûs* gloria, quam in ſummo poſuit Illuſtriſſimus D. *Stanislaus Koniecpolſki*, Exercituum Regni Supremus Imperat: victorijs coronatā. Bella cum Turcis, Moſchis, Tartaris, fuerunt. Chotimenſes, & Oczakovienſes campi, ipſeq; Maldaviæ ſinus, non minùs faciliter, quā feliciter pugnantem, & vincentem, viderunt. Comes erat Bellorum Arbitra Maria, ad conſilia, & auxilia ex Aula Clari Montis precib⁹ devocata. Quod ut liquidò poſteris oſtēderet, Heros Inclytiſſim⁹ hîc argenteum anathema ad Aram Armipotentis MARIÆ appendit, quod artificio ſummo bellorū, & periculorum ideam referens, æternam & hodie gratitudinē, & liberalitatem Illuſtriſſimi Clientis demonſtrat.

Paulus Piaſcius ad Annum 1633. &c. 1638. &c.

Stanislaus Koniecpolſki huc refert victorias.

32 FIdem excedere videtur admirabilis victoria G.D. *Ioannis Sklawski* Ducis Exercitûs Palatini Volhiniæ. Hinc viginti millibus Turcarum, inde ſex millibus Palatini Tranſilvaniæ cinctus, ad o-

Turcarum cæde, & diſſipatione Victor,

gam,

ſam, quæ Montem Clarum habet, oculis, ac manibus obverſis, ubi ſe, ſuoſq; ſubſignanos Divæ votis deſpondit, manus, & ſigna conſeruit. Alijs trucidatis, aliis captivatis, alijs in fugam turpem coactis, victor, probavit in ſe, quantum quiſq; poſſit in contumacem fortunam cum auxiliari Numine Mariæ. Præſto MARIAM veneratus, gratiam recognovit. Anno 1595. 6. Martij. G. D. *Ioannes Zdrowſki*, cum Tartaris, Koſacis, dubites an ad Martiæ virtutis, an ad Marianæ beneficentiæ in deſperatis caſibus, experimentum pugnabat, ſemper comite victoria. Plurimum ſibi uſurpavit in viro belli ſtudijs inſtructo, virtus Martia, ſed eam ſemper nixam fuiſſe Divæ Claromontanæ, votis invocatæ, patrocinio, *Ioannes* ipſe Anno 1661. authographo teſtatus eſt.

Plures Victoriæ.

33 PLurium MARIÆ beneficiorum Atlas, G. D. *Martianus Waglinſki*, frequenter cum Svecis dimicavit, victor Adſtite Maria, quam ex Claro Monte votis depoſcebat. Periculorum aliorum frequentia, periclitandi conſvetudinem, uſumq; fecerat, ſecurè tamen, quia Marianæ protectionis peltâ munitus fuit. Cadentibus in acie circumcirca ſodalibus, ſolus ſtabat gratiæ Marianæ innixus. Felicitas Martiani, debebat experiri & captivitatis ſqualores, ubi MARIAM propitiam agnoſceret. Agnovit, eius gratiâ libertati donatus. Diverſis locis, ac temporibus, tot miraculis auctus. Soſpitæ MARIÆ Numen hic veneratus eſt Anno 1657. Tot prodigiorum effectrix dextera MARIÆ modernis temporibus cum D. Bonaventura imploranda eſt: *Glorifica manum, & dexterum brachium tuum, & proſternantur à nobis inimici noſtri ô* MARIA!

D. Bonav. in Pſalt. B. V. M.

CAPVT V.

Votis Divam Claromontanam appellantes, Moſchorum, Tartarorum, Turcarumq; captivitatem evadunt.

Ex captivitate profugus beneficio Mariæ.

34 FOrtuna iniquior, quæ Illuſtriſſimum Principem *Samuelem Koreçki*, contra Turcas, & Tartaros novemdecim prælijs victorem, tandem in vigeſimo hoſtilibus armis involuit Anno 1617. & *Gabrielem Skiba*, Diſtrictûs Vinnicenſis, captivum fecit. Trans mare mediterraneum actus exul, in villa *Muſſakadſiála* Civitatis *Galeopoleos* venum datus, ſervilibus obſequijs annum impendit. Audierat aliquando Patruum ſuum *Mieleſſek* Ducem Kozakorum retuliſſe, quantū accepiſſet beneficium in prodigioſa pedis curatione ope Divæ Claromontanæ; ſecutus religionem Patrui, ſtatuit eandem Patronam votis ſibi

ſibi conciliare ad gratiam libertatis. Saga ſubodorata Gabrielis mentem, video (ait) quid velis, ſed abſtine conatibus, quidquid attentaveris, non ſuccedet. Minacibus præſtigijs Gabriel nil territus, repoſuit: ſe omnia quæcunq; moliretur ſigno S. Crucis, & invocatione MARIÆ diſſipaturum. Beneficio noctis elapſus, manè nimbo, caligine, fulgure, tonitruis, circumfuſus, tot impoſturas dæmonis, Crucis vivificæ ſigno, & oratione propulſavit. Iterum in amœna planitie profundæ valles, paludes, voragines occurrunt; ſed & hæc amolitus eſt. Sub veſperum longè horridum malum circumcluſit profugum: in medio ſylvarum ſibi errare viſus, circumcurſantibus per avia exploratoribus; & hic armis cœleſtibus munitus, aciem inveteratoris triumphavit; redditusq; Patriæ, votorum neglector, iucundo utebatur otio cum familiaribus. Anno rurſus 1621. cùm Exercitus in Volhiniam moveret, ſigna ſecutus, venit in vincula barbarorum. Agnovit infidelitatis pœnam, laborem in triremibus. Navigationibus Arabicæ ſocius, & naufragij eſſe debebat, quatiente procellâ ſolitò vehementiùs Actuarium. Periculum Chriſtianis commiſſum eſt; ad quos Turca: *Vos Chriſtiani gloriamini de magna poteſtate Matris Prophetæ veſtri, nunc eam invocate, ut nos ab hac morte impendente liberet.* Exprobravit hic priſtina beneficia Gabrieli rea tot votorum conſcientia; iterum fit ſupplex Mariæ, vota ad Aram Claromontanam pollicitus, quorum beneficio redditum continenti navigium effecit, ut Turcæ precibus Chriſtianorum deberi vitam ſuam profeſſi, mitiùs agerent cum Gabriele, Exoratorem ſuum à triremium laboribus abſolvendo. Nondum plenam aſſecutus libertatem, in Civitate *Tomza*, ubi olim Carthago ſtetit, per quinquennium, quâ obſequijs, quâ precariò peculium corraſit in lytrum Domino, à quo manumiſſus, tutoq; ditiones Turcicas pervagatus, vota neglectim in moras ire ſivit. Movit in Volchiniam Conſtantinopoli, ubi à Baſilio Gubernatore Volchiniæ capitis damnato, Gabrieli votorum neglectori, conſcientia tot ingratitudinibus intricata, iudex erat, & carnifex. A Diva non auſus vitam exorare, hæc ſolum lacrymabundus inclamavit: *Memento Sanctiſſima* MARIA *me eſſe cultorem Filij Tui, & quod Te nunquam inter barbaros abnegaverim, ſupplex oro ſaltem Catholicè moriar.* Dedit Maria, ex Gubernatoris Fratre tyranno, Patronum; qui lacrymis perfuſus gladio ſubtractum monuit, ne fugam deinceps attentaret. In carcere à 24. ſatellitibus cuſtoditus, ambitæ libertatis ductu omnia perluſtrans, vidit feneſtram patere; pro indu-

In naufragio Divam Claromontanam appellans ſe & Turcas liberat.

Mortem & captivitatem evadit.

vijs

viis fila, telamq; poscit, obtinet: per *Martinum Lubienieцki* concaptivum, è turri ad 60 cubitos præcipitium explorat, commissisq; Divæ Claromontanæ suis conatibus, dum minimè suspicantur vigiles, per telam in modum funis contortam descendentes elabuntur. Per omnem partem studiosos insectatores non evitârunt, ad Fluvium *Pruth* deprehensi; verùm ad miserationem barbarorum affectus inclinante MARIA dimissi, & ad maturationem fugæ animati, integra libertate potiuntur. Gabriel dilationis impatiens, cum socijs captivitatis per tot adversæ fortunæ scenas, ope Odigitriæ Virginis victor, rerum gestarum ordinem, coram R.P. *Priore* Claromontano enarravit Anno 1635. die 5. Novembris. Idem recitat Bzovius tomo 15. Annalium. Laudaverunt Deum reduces, illudq; credo, Matri Dei accinebant. *Te Matrem Dei laudamus, Arcam Pietatis, & Gratiæ, Portum naufragantium, miserorum solatium, pereuntium Refugium ô* MARIA!

D. Bonav. in Hym. B.V.M.

In triplici captivitate, & morbis victor.

35 SVb memorato Principe *Samuele Korecki*, *Sebastianus Krassowicki* Vir Nobilis, primùm in Tauricam, in Turciam deinde venum ivit ex acie. Post annum servitutem pertæsus, vota, seq; Divæ Claromontanæ despondet fugamq; Ad crepidinem Tanais ab insequētibus premitur, auxilij inops, & consilij; dumq; rationem prævenit necessitas, obvium truncum arripuit, quem cossim insidens, Tanaim traiecit. Iterum sub illo Hectore Sarmatiæ *Stanislao Zolkievio* castra secutus, minùs prosperè dimicat; interceptus, ad verniles operas in maiorem Armeniam venumdatur, sed & hic auspice MARIA, comite miraculo captivitatem triumphat. Tertiò ex acie in captivitatem relapsus, & Constantinopolim reductus, lytro repetito in mancipatū concessit. Diebus quatuordecim in compedibus ferro vinctus tenebatur. Libero ingenio suis votis consuluit, MARIAM Libertatis Patronam in auxilium advocando. Adfuit Numen ejus præpotens, quod vires ad comminuenda vincula suppeditavit, elapsumq; securè ad patriam oram, per Moldaviam, & Volhiniam deduxit. Alium adhuc *Sebastiano* campum fortuna metata est, in quo cum desperatis morbis decertaret patientiæ Athleta. Iterum (duobus mensibus decumbens) ad Divam recurrit; & tantum gratiæ accipit, quantum remedij præsens calamitas exigebat. Tot favoribus Marianis ornatus, authenticè in tabulas memoriam beneficiorum retulit. Anno 1623. 22. Iunij. Appellat MARIAM, cum Divo Anselmo: *O Beata fiducia! ô tutum refugium!* MARIA *Mater DEI, & Mater Nostra!*

D. Anselmus

36. Idem

Libertas è carcere & morbis.

36 IDem Annus 1632. sistit ad Aram MARIÆ cum gratitudine G. D. *Martinum Zebrowski* Is ex acie in Scythiam devenit. Viperæ, serpentesque in profunda turri exceperunt hospitem captivum. In superiorem contignationem tractus, manus pedesque ferro cinctus sola spe (ea erat ex Aula Clari Montis vocata Desperatorum Spes MARIA) ærumnas levabat. Claves obiecit fortuna, itaque conatu admirando manus & pedes expediens profugit. In Tartaros campestria pervagantes impegit, tractus in Græciam, ligoni, & harpagini manus inassvetas, admoliri coactus, lapidibus colligendis, evellendisque radicibus operam dabat. Quoties fugam tentavit, retractus toties ad vincula, annos trigīta obsequijs Domini se impensurum spondet, ad manumissionem. Potiore sui parte liber, Montem Clarum votis frequentat, à Maria gratiam libertatis precatus facilis votis supplicum flecti Maria Libertatem donavit, cúmq; Constantinopoli in desperatā ægritudine illam invocat, Medicam habere meruit. Tot peregrini soli, solisque superatis discriminibus, præsens sacræ Domûs limina exosculatur, cum testimonijs à Perillustri & M. D. *Alexandro Kalinowski* Anno quo supra 4. Maij. Agnoscimus ô Domina tantorum magnalium opifex (cum Gregorio Nicomediensi loquimur) *Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile, ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt, Te omnibus Tuis operibus reddit excelsiorem, qui ex Te natus est.*

Gregorius Nicomed.

A captivitate absolutus.

37. EAdem tempestate Nobilis *Stanislaus Kaczynski*, sub Gen: D. *Nicolao Malinski*, Tribuno Militum Serenissimi Regis Sigismundi III. ad Cecoram captus, viginti sex hebdomadas laboribus attritus, ibat per diversorum Satraparum manus, lytro sæpius repetito. In Turciam ductus, solam spem fovebat in devota Aræ Odigitriæ Virginis, fiducia. Non confudit fidentissimum animum Clientis Maria, Libertatem dedit, quam, egressus ditiones Tyrannorum syngraphâ testatus est Anno 1622. 9. Maij. Si tanta fieri in nobis non meremur, amemus in alijs, & veneremur fatendo cum Divo Ephræm Serm: de Deipara: *Tu unica spes desperatorum, oppressorum auxilium, & ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omnium denique Christianorum firmum præsidium ô* MARIA!

D. Ephræm.

Auspice Mariâ Tartaro-

38 NObilis *Ioannes Widelski*, vincula, fortunámque secutus, ivit in Tauricam, Sed pulchra libertatis ambitio, aliò traxit animum

K

…rum carceres evadit.

animum votis prægnantem, quibus eam apud Mariam licitabatur. Fecit Maria, quæ sola ut faceret deficientibus auxilijs mortalium, remanserat, non in Ara, sed in captivitate adorata, adeo facili nutu reducens ex hostico, ut non tam annuere captivorum votis videatur, quàm obsequi arbitrijs, quamvis absque delectu omnibus, attamen gratiosis, gratisque maximè, quos si tales non invenit, facit. Altiùs assurge fiducia mortalium! per opinata solatia, quæ tibi mentiri potes vaga, & exerrans, sequere Mariam affectibus, dum licet, & passibus, nam ut D. Bernardus ait: *Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegante non metuis, ipsâ Duce non fatigas, ipsâ propitiâ pervenis.*

D. Bernard.

CAPVT VI.

Prodigiosas Mariæ supplicum è vinculis, & carceribus eliberationes prosequitur.

Ad invocationem Mariæ vincula sponte decidunt.

39 IN carceribus & vinculis miracula nascuntur. Huc remeant. Cum Tartaris captivorum pars, in vincula & carcerem ivit G. D. *Gabriel Czárnecki*, Vocat Divam Claromontanā in vinculis, adfuisse vocatam sensit, & expertus est, senserunt Numen & vincula eius, quæ ut voti reum ad Aram Divæ sisterent, sponte decidua, venerata sunt. Favente MARIA, favit & lethargus custodum, tefugæ. Dum insequuntur Tartari, in aprico pugillus graminis tectum abscondit. Favorum præco homagium præsens præstitit Anno 1617. Quid mortales mortaliū spebus innitimur, & damnabilem caducámque fiduciam extra *Matrem sanctæ Spei* venamur? Ad Te recurrimus, Te compellamus cum Divo Ephræm: *O MARIA Spes desperatorum, per Te reconciliati sumus Christo meo, & Filio Tuo, Tu peccatorum, & auxilio destitutorum, unica Advocata es, atque adjutrix; Tu portus naufragantiū tutissimus; solatium mundi; carcere clausorum liberatrix celeberrima; Tu orphanorum susceptio, Tu captivorum redemptio, Tu ægrotantium exultatio & omnium salus.*

D. Ephræm.

Vincula & carceres liberum dimittunt.

40 PRobè nôrunt Clientes, quid sit amari à Maria. Miraculis erudiuntur. Vir iterum prodit è Scithica servitute G. D. *Cherzewski*, (centum triginta octo annis nomen sepultum non invenio) clausus in carcere Tartarico, ferróque onustus, libero animo, in Claro monte negotium libertatis agebat. Favit Numen MARIÆ.

RIÆ Et quid cætera non faverent? Profundus carcer, arcta vincula, fores vectibus obfirmatæ, tenere non potuerunt Mariæ devotum, sponte recedunt vectes, fores revolvuntur, cadunt vincula ad nutum Virginis MARIÆ. Gloriam tot miraculis propagatam, cui barbarorum oræ, oráque testimonia debent, ad Aram tulit. Anno 1540. En MARIA, ut Lactimelleus Doctor ait: *Omnibus se exorabilem; omnibus se præbet clementissimam, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu.* Simile beneficium de G. D. *Nicolao Warßáwicki*, suis operibus inseruit Abraham' Bzovius Tomo 15. Annalium Ecclesiast: ubi plura Divæ nostræ magnalia memorat.

D. Bernard.

Simile apud Bzovium tom: 15.

41. ANná *Strzezewska*, G. D. Albezowski Consors, Krimum abducta, tres annos serva, quò mitiùs ferret illam calamitatem, religionem erga Divam Claromontanam assumpsit, Adolevit matura, capaxq; miraculi devotio. Cum alijs 50 Matronis venum exposita, ubi Mango nullum de ea pretium statuit, in carcerem reducta, Divæ vota sacrat, & ecce, stupétque ferrea vincula dissolvi, diduci compedes, adyta repandi; evadit, vaditque prosperè. Occurrit in via Dominus cum Satrapa, qui eam licitatus, reliquerat in carcere; trepidat mulier, obviam tyranno procedit, nec agnoscitur, oculorum correxit errorem carcer vacuus. Libera cum votis venit Anno 1629. 5. Maij. Confiteatur tibi omnis lingva ô Domina, quòd *Dedit Te Dominus in Fœdus populi, in Lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* ô MARIA.

Vinculis prodigiosè absoluta non agnoscitur fugiens.

Isaia 42.

42. DEcuit profiteri Liberationē à Virgione, quia à MARIA. G. D. *Christophorum Skárbek* Palatinatûs Lublinensis, apud Tartaros captivus didicit, quantum inter se distent Servitus Libertasque. Totum se suámque sortem Divæ Claromontanæ devovet, Nec frustra. Misit illa de nocte fecialem (Angelum Tutelarem opinari licuit) ætatis provectæ virum, quem vigilibus oculis usurpans, suaque, sequentibus aliquot noctibus, in familiari colloquio, incommoda questus, opem promissæ libertatis accepit. Adest signata senecioris oraculo dies; nullo manus admovēte vincula dissiliunt, panduntur fores, nec tenent manumissum Mariæ, vovet retulit Anno 1624. Par beneficium expertus *Christophorus Cießynski*, per omnia simile, nisi quod hic in vigilia hospitem libertatis fidejussorem, accepit, ille de nocte; Ecce MARIA est illa

Apparitio & liberatio.

Simile.

Sapien. 10. *Sapientia (quæ) hos qui se observant à doloribus liberavit, hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.*

Prodigiosa liberatio & fluminis trajectio.

43. PIetatis impetu mens fertur in Moschuam, & calamus. Hic, *Ioanni Lithaor* in Arce *Biale tezioro*, collumque manúsque, pedésque, ferrum attrivit. Ipsius vitæ miserum tædebat. Quæ vota Divæ nostræ ægro animo deprompsit, carcer testis est, qui imperio Virginis, absque manûs alienæ obsequio, vincula miraculosè decidua vidit. Testis est & *Volchoia* fluvius, qui Libertum Mariæ, ejusdem miraculi subsidio in adversum littus exposuit. Si beneficium lingvæ tacebunt, fluctus littoribus allapsi sonabunt; quanquam & Schema gratæ mentis, cum Imagine captivitatis relictum hic, subscriptumque Anno 1566. eandem gratiam loquitur abundè.

E captivitate liber.

44. NEc tacet N. *Martinus Michalowski*, qui per manus Tartarorum in Turciam venit. Pars magna calamitatis fuit, in crudelem Dominũ fidei desertorem incidisse in Turcia, quem socium Catholicæ religionis habuit in Patria. Ærumnas leviores fecit erga Divam Claromontanã affectio,& fiducia, qua comite liber, ad libertatis Aram gratitudinis anathema, cõpedes appendit Anno 1624. Quid agit mortales inter gratia MARIÆ? Ostendit D. Bonaventura in Speculo cap: 5. *Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat universos.*

D. Bernard.

Liberatorũ multitudo.

45. HÆc strictim. Nihil ità frequens ætate nostra, ac liberationes captivorum, quorum gratiæ non omnes fastis inferuntur, non quòd non magnæ, sed quòd quotidiana frequentiâ studium connotationis, & admirationis excedant. Nôrunt ipsa pœnalia claustra Tartarorum, quorum nobilior munere Legationis aliquando in Poloniam defunctus, curiositatis causâ cum Senatore quodam, vota persolvente in Claro Monte præsens, nõnulla cum Patribus nostris conferens quæsivit. *Hiccine est Mons Clarus Czestochoviensis?* hunc esse ubi responsum, subintulit: *Quàm fatalis est nobis hic locus, vidimus eum semper in ore captivorum esse, huc plurimos aspirare, cum quanto nostrorum Satraparum damno. testantur carceres miraculosè vacui, soluta, projectáque vincula & compedes; nullæ custodiæ, nulla vincula tenere possunt, nullæ curæ observare ne evadant. Quàm magna gentis vestræ, & aliorum veneratione colendus! &c.* Hoc idem supra memoratus Moschorum Legatus ad Serenissimum Regem Ioannem Casimirum, referebat, de quo hic cap. 9. Ad fidem proposito faciendam hæc retulisse sufficiat. Vnde nosci potest Diva Mater Maria, secundùm Ildephonsum: *Nostra Libertatis Titulus.*

Tartarorum testimonium.

CAPVT VII.

Sacerdotalis dignitatis Personæ, ab hostibus circumventæ, invocatione Divæ Claromontanæ, superant, evadúntque pericula.

46. LÆtitia & Gloria Sacerdotum MARIA, (sic à D. Ephræm appellata) quos dignitatis exceptione singulari extra, supráque mortalium conditionem statuit, suis quoque curis dignatur. R. D. *Ioannes Mussenius* de Krosno, & R. D. Clemens Szimecz de Zdzielskowice Presbyteri, Anno 1577. 10. Maij, ex Synodo Præmisliensi reduces, ad Collegam in Charle diverterunt. Nocte concubia 40 circiter prædones stipitibus & securibus armati, misere contusos, ac vulneratos, direptâ supellectili, reliquerunt. Nullus vitæ spem fecerat semineccibus. Vt potuerunt mutuo provocata devotione, suspirijs Mariam appellabant, Claromontanæ Basilicæ limina visitare polliciti. Adfuit vocatum ejus Numen, sanitatem vitamque desperatam dedit, quod beneficium, vota solventes Syngrapha testati sunt.

D. Ephræm.

Duo Sacerdotes à prædonibus vulnerati miraculosè curantur.

47. NOstri sæculi est, quod sequitur. R. D. Pigelius Æditus Bujakoviensis, in Ducatu Silesiæ in villa Krzyzanovice, Decanatûs Rattiborien: ab hæreticis captus Principis Karnoviẽsis militibus, & Comiti de Turno oblatus, ubi 300. Equites, & 100. pedites præsidiũ tenebant, de thesauris Ecclesiæ requirebatur, Excoriatione, strangulationem, capitis præcisionem, positâ super collum machæra, minitando, ad proditionem cogebant, metum auxit antecedanea crudelitas, quæ complures ibidem Sacerdotes sustulit de medio. Inter frementium armorum furorẽ, procumbit in genua, Divam appellans: *Sub tuum præsidium, &c.* & votum Claromontanæ Visitationis ingeminans, Libertati donatus est; quam Syngrapha recognovit Anno 1625. 7. Maij. Vide & confide, quod (ut ait Sapiens) MARIÆ *gratia & amicitia liberant, quas tibi serva ne exprobrabilis fias.*

Inter hæreticos captivus libertate potitur.

Proverb: 25.

Multiplex in liberatione beneficium.

48. Reverendus D. *Ioannes Rádoßewski*, Parochus Szymkoviensis, Anno 1656 ad Reverendissimum D. Abbatem Paradisiensem in Silesiam profectus, à Svecis interceptus (eo tempore Poloniam populabantur) sex hebdomadas in carcere detentus, quatuor dies inedià maceratus, postridie pœnis immeritis vitam daturus, vitæ consilio, à votis ad Aram Odigitriæ Imaginis, sumpto, è fenestra carceris ad octodecim cubitos se se præcipitem dedit. Quòd Diva Mater ulnas supposuerit, agnovit, nullū sensum doloris, aut convulsionis expertus. Duo restabant, obstabantque Libertati, flumen rapidum, & vulnera insequentium, successit Libertas, nam & securam protegente Maria fugam fluctibus innatās raptavit, & cùm aliquot centena scloporum è continente in profugum exonerarentur, tot armis in se ruentē mortem evasit. Præsens gratiam Dyphticis Parthenijs testatus est.

Inter periculorum victor & morborum.

49. SVpplicem, ex insidijs, hæreticorum elapsum excepit Ara Mariæ A. R. D. *Bartholomæum Cießynski* Decanum, & Parochum Kovnensem. In structas ab hæreticis insidias impegit. Armis prævaluit odium ingeniosum, prolapsus armis premebatur, fluente copioso sangvine, in quo vitæ naufragium imminebat. Novus Marianus Geryon à casu vires colligens, surgit, nudà manu, nudum invasoris ferrum arripit, quo confudit, contuditque conatus hæreticos victor. Divæ retulit victoriam, cui ad Aram Clari montis vota spondebat. In tabulas Marianas relatum Anno D, 1627. ultima Octob: complures alios favores recensendo, quos in morborum, & aliorum discriminum impugnatione percepit. Mors, periculum, fraus, dolórque fugient, modò, ut Lactimelleus Doctor ait; *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde Cordū nostri Cor MARIÆ.*

D. Bernard.

Plura beneficia.

50. AMplioribus gratijs ornavit MARIA R. D. *Bartholomæum Celeiowicz* Parochum Borkoviensem Anno D. 1650. In morbis, qui medicam artē fallebant; in animi dilaceratione, seu quadam naturæ implacabili tyrannide, ad Divam Claromontanam votis ivit, & propitiam habuit. In his futurorum beneficiorum obsidem accepit fiduciam. Anno memorato, dum prædatrices copiæ Kosacorum, & Rakocianorum, ad oppidum Proszowice (4. Leucis Cracoviâ) per campestria vagantur, septus armis, animo primùm, deinde corpore cœpit angustari. Solabatur trepidantem recordatio præ-

tio præteritorum, iterum ad subsidium Divam Claromontanam devocat, & habet Adititem. Senserunt latrocinantes phalanges, quæ panico timore perculsæ, securum reliquerunt. Tot gratiarum portitor vota solvit.

Inter Kosacos & Tartaros mortem evadit.

51. AFfinitas beneficij trahit in consortium gratitudinis & R. D. *Ioannem Rubinkowski* Dunaygrodensem Parochum, Sedis Apostolicæ in Consistorio Kamenecensi Notarium. In obsidione Barensi sex Sacerdotes cæsos spectavit, septimus ille poscebatur ad necem. Huic loco se se votis despondet, & ecce inter fremitus Kosacorum Tartarorúmque, veluti invisibilis, cædi subtrahitur; nondum tamen extra periculum, nam relegatus in carcerem quidquid fortuna ferret iniquior, expectat. Divæ se dum commendat, inopinato lytrum adest ab Archidiacono, quo factus liber, totum se debere huic loco professus est, præsens Anno D. 1650. 9. Iunij. Tot Marianæ gratiæ ornamētis illustris loqui potuit de Maria cum Petro Damiani Serm: de Nativit. B. V. M. *Scio Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in Te, & per Te Filius Tuus, & Deus Tuus summa dilectione dilexit; imò ipsa sibi devotos peculiariter diligis, juxta illud Proverbium: Ego diligentes me diligo; & quia amor nonnisi amore rependitur, ideò eam amare pro virili studeamus.*

Petrus Dam.

Inter complura discrimina salvatur.

52. AD Aram Sacris operantem R. D. *Martinum Boznowski* in Vsiatin & Tinno Tartari in hostiam deposcebant, ad Liturgiæ finem implentes Ecclesiam. Divæ nostræ se commendat, ad cujus Ectypum sacrificatum est, & versis ad supellectilis Ecclesiasticæ direptionem Tartaris elapsus est. Reversus non multò pòst, iterum invadentibus Tartaris periclitatur, sed invocata rursus votis Mariâ, opportunum dedit latibulum, quod Clientem incolumē servavit. Iterum de Grodek cum DD. Hæredibus domum profectus, à Tartaris, qui tractus insederant, circumdatus, pari beneficio servatus est. Tot Mariæ trophæis auctus in Claro monte cum M. D. Kalinowska Capitanea Kamenecensi, Laudes, & gratias dixit Mariæ huic loco salutem suam attribuens Anno 1623.

E captivitate Tartarica liberatus.

53. ALius in vinculis, Mariani mancipatûs compedes comamat, it in libertatem. Est R. D. *Adamus Budkowicz*, apud Tartaros captivus, vincula, carceres, complura vitæ discrimina, subsidium Mariæ ex hoc loco implorans superat. Miraculo rem ge-

rem gestam in autographo ostendit Anno 1611. 18 Aprilis. Gratulemur tantam potestatem MARIÆ, sed & nobis ejus dignationem. Bellè dulcis Bernardus Serm: 4 de Assumpt: *Nos quidem servuli Tui cæteris in virtutibus congaudemus Tibi, sed in misericordia potius, congaudemus nobis ipsis ô MARIA!*

D. Bernard.

Inter latronum insidias victor.

54. ET in Patria hosticum offendit A. R. D *Jacobus Kakolewski* Præpositus Bialokamenecensis. De laworow cum Domina sua Parente ad Montem Clarum profectus, votorum solvendorum causâ, post obtentum ope Mariæ in morbis desperatissimis vitæ beneficium, in latrunculos infami prædandi dexteritate nobiles, qui armis tractum occuparant, incidit. Via cedendi necessitas, honestus rixandi, prædandique titulus fuit; quâ verbis mordacibus, quâ armis minacibus inermes ad pugnam provocabant. sed Prælatus leni verborum gratiâ pugnam dissimulat. Nihilo mitiores gestatoriam bombardam ad caput, strictam frameam ad collum applicant Prælato, vt eo deterrito, aut sublato, liberiùs imbellis præda cederet. Expertum antehac auxilium à Diva, cui vota ferebant, imploratum est Aderat, nam exonerata bombarda fefellit ictum fatalem, & quamvis serena dies spiraret Etesias, subita aëris tempestas terrefactos involvit. Audaciores cùm fecisset prædæ spes avara ad vulnera pugnatum est. Soror A. R. D. Præpositi binis affecta vulneribus periculi signum tulit. Vna opportunè aderat machæra, cujus, in pugna capulum præcisum, infirmam imparémque periculo dexteram reddidit. Adfuit invocatum Virginis Numen, nam Prælatus, veluti si adversarijs ademptas vires usurpasset, adeò inermis invaluit, ut superandis pluribus unus sufficiens, equis dejectos, fatigatos, in terram stratos, absque vulnere tamen reliquerit victor. Recognitum, & in Fastos gratiarum Mariæ relatum Anno 1640. 3. Maij. Hinc audijsse mihi videbar ad Aram exclamantem cum Divo Germano Patriarcha Constantinopolitano: *Certè Domina Dei Parens, certè meum refugium, vita & defensio, arma & gloriatio, spes & robur meum ô MARIA.*

D. Germani Patriarcha Constantin:

Carceres elabitur.

55. ALius non armis, at votis, non pugnãdo, at precando gloriosam adeptus victoriã, hic supplex stipat Aram Mariæ suis trophæis, Est R. D. *Sigismundus Zarnoiski*; in carcere, & vinculis Divam appellans, barbarorum curas, & carceres evasit, voto huc nuncupato. Beneficij memoriam cum Personis primæ dignitatis testibus in Acta Mariana inseruit Anno 1622.

56. ITerum Moschovia Divæ nostræ supplices ad homagium reddit R P. *Bonaventura Bonar* Ordin: S. Francisci Strictioris Observantiæ, in squallore carceris Moschovitici detentus, vota ad Divam Claromontanam frequentavit. Equidem non tantùm in his angustijs, at in alijs tum infirmitatum, tum aliorum discriminum casibus positus, liberalem in partitione gratiæ, expertus est. Authographo recognitum reliquit ad Aram præsens. Vtere jam manumisse Mariæ stimulo Tutelaris Tui Bonaventuræ, quo Religiosorum, ac fidelium corda provoces ad amandum amores & gratias Mariæ, & loquere: *Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est Adjutrix, & vestra specialis Advocata MARIA.*

Plures gratiæ.

D. Bonavent. in Psalt. B. Virg. Mariæ.

CAPUT VIII.

Imagine Virginis Odigitriæ sua protegentes pectora, tum in acie, tum in alijs occasionibus prodigiosè ab armorum ictibus, & vitæ periculis illæsi.

57. HUc pertinet applicandum Divæ Nostræ quod Franciscus Petrarcha accinit MARIÆ, restitutum in Latinum à Philippo Beroaldo.

Petrarcha.

Tu Clypeus miseris firmus mortalibus una es
Ictus fortunæ contra, mortisque cruentos.

Clypeus Mariæ.

Norûnt illi, qui Odigitriæ Imaginis Imaginem, omni Bulla pretiosiùs gestamen, signum felicitatis, circumferunt. Novit & G. D. *Nicolaus Moczárski*, in castris annos triginta versatus, nunquam ex acie pedem retulit, semper adverso in omnem ictum fortunæ pectore. Suffragio fortitudinis, & felicitatis, bellicis admotus dignitatibus, inter missilia, globósque nihil læsus, & veluti aliqua styge lustratus videbatur, cùm lædi non potuit. At quæ Pallas sævâ Gorgone formidabili scuto, pectus & latera tutata est? Jam edixit, scripsitq; Cliens in Parthenia Ephemeride, protectione Mariæ vitã incolumem in acie stetisse, cujus Imaginis Claromontanæ Ectypum in pectore ferebat contra omnem fortunam securus. Quoties inchoanda belli proludia, primus ruit, illi se despondens, cujus Imaginem habuit pro pelta. Interpositâ conscientiæ huc retulit vota solvens Anno 1618. Quis non credat quod *Clypeus est omnibus sperantibus in se MARIA!*

Triginta annos extra periculum Imagine Odigitriæ protegẽs pectora.

Proverb: 30

L 58. Pere-

D. Bonavent: in Psalt: B. V. Mariæ.

58. PEregregiè D. Bonaventura de MARIA. *Qui habuerit characterem Nominis ejus adnotabitur in libro vitæ.* Addam: Qui portaverit Imaginem ejus cum fiducia in Deo, à vitæ præsentis periculis præservabitur. Exemplum probat in Viro Nobili *Adamo Strzałkowski*. Is sub Batovv ab hostibus interceptus, in sylvam tractus est immeritas capitis pœnas daturus. Iam procũbens in genua cervicem flectebat, verùm imaginem Divæ nostræ apprimens pectori, vitámque exorans virtute Numinis MARIÆ hostis ferire, ille mori prohibetur, cadente ferro, tremefactis manibus tartarus barbarum quid immurmurans cœpit placari. Nihilominus Erynnis innata suadet illi nocendum, quem aliquandò sibi nociturum in acie suspicabatur. Iterum adactus in genua fatalem ictum expectat; at idem è collo pendens amuletum appressúmq; pectori impendentem acinacem cohibuit, vim repressit. Hoc sub Batovv.

A morte servatus.

In conflictu illæsus.

59. ANno postmodum secundo sub Cudnov dum in acri conflictu in eos, qui latera stipabant, pericula mortésque dividuntur ictũ excepit adverso pectore, qui transverberato nexili thorace, ubi in Imaginem è collo suspensam, impegit, agnoscens Numen protegentis MARIæ, post extimam vestem, thoraceq; lapsus adoravit. Corpus illæsum, thorax ferro nexilis trajectus, globus grandioris bombardæ; (musqvetum dicimus) in Imagine vestigiũ, prodiderunt magnitudinem periculi.

In morbis & acie.

60. IDem in Sadek neglecto quodam in pedem defluxu, vitâ periclitari cœpit, nec enim capax erat remedij, lethali periculo absolvitur, medicam MARIæ manum implorans. Pertæsus otium domesticum, ad castra movit, hic duobus globis bombardinis petitus, dilectæ sibi Imaginis Clypeo munitus, mortem retudit. Tot bellicis, ac domesticis, de barbaris, de vulneribus, de fortuna, victorijs illustris, tot gratias consodalium testimonijs firmatas in Claro monte vota solvens subscripsit Anno 1672. Confide, & aude dicere cum Cosma Ierosolymitano: *Invitupe̜rabilem Deipara spem Tuam habens salvabor; defensionem tuam possidens Immaculata, non timebo. Persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens ut thoracem protectionem Tuam, & omnipotens auxilium Tuum ó* MARIA!

Cosmas Ierosolym.

Globo non læditur.

61. GEorgius quoque Kobylecki Vir Nobilis cum aquilonari Marte signa conferens majoris bombardæ globum pectore:

ctore excepit, sed veluti cautes respuit. Stupebat prodigium exercitus, Divamque nostram veneratus est, cùm vidit ejus Imagine pectus obarmatum. De morte victor, vota solvens, & gratiã enarrans, facti memoriam fastis intulit. Oraculum Sapientis provocat ad amores Divæ Virginis Proverb: 4. *Arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cùm illam fueris amplexatus, & coronâ inclytâ proteget te* MARIA.

Proverb. 4.

62. QVod Regum aures implevit, Exercituum Duces exhilaravit. In castris, colendæ Odigitriæ Imaginis consvetudinem roboravit, barbaros stupefecit, antequam Fastis Marianis insereretur, nunc propono Imaginis miraculum, quod ostendit, ubiq;, & in castris, & in tranquillitate domestica, & in captivitate Numen MARIÆ invocantibus propitium. Generosus D. *Andreas Iezowski*, Ductor Copiarũ Serenissimi Regis, impensa devotione colebat nostræ Imaginis Imaginem, quam velut fortunarum omnium auspicem secum ubique limbo argenteo circumductam in theca sericea, more nostris Polonis consveto, è collo pendentem circumferebat. Contigit sub Brahiłow Anno 1666. Affinis ejus Nob: D. *Iosephus Łąssor*, cum suprema ægritudine luctatus, hanc Imaginem, quam memoratus D. Andreas Iezowski, omnium expeditionum comitem habuit, sibi porrigi impetravit. Itáque manibus insertam dissvaviat, complectitur, apprimit pectori; conceptâ pristinæ sanitatis ingenti fiduciâ; cupiensq; eandem, ultimæ luctæ adstitem (si ità Fatis visum esset) habere, ad grabati latus curat appendi. Sensit moribundus præsens Virginis Numen, in flammis ab Imagine procedentib⁹: torpens mortis gelu incalescit vehementiùs, æstuat, ardet, demum incendio ferendo impar, Imaginem adductâ cortina velari præcipit; nihilominus salutaribus torretur ignibus; qui dum paulò post remissiùs agunt, in placidum somnum resolvitur. Incendium, quod jaculabatur Imago, quàm fuerit salutare, somno excussus intellexit, plenâ sanitate donatus. DEO, MARIæ, adscriptâ vitæ gratiâ, quam exinde studiosiùs venerari cœpit G. D. Andreas Iezowski.

63. REpendit ampliori beneficio venerationem suæ Imaginis MARIA. Anno eodem 1666 in Podolia sub Iazłowiec in villa Bazar nuncupata, subterraneæ specûs, in qua more Podoliensium, qui carent granarijs, frumenta longiori tempore servabant, ostium ut primum aperuerunt subditi, villicus pestiferâ exhalatione

afflatus subitò concidit extinctus. Conjux Gen: D. Andreæ Iezowski, præfatam Imaginem super mortuum, aut mortificatum posuit, invocans Matrem vitæ MARIAM votis supplicibus; quæ imago nuper jaculata flammas, moribundo sanitatem donavit, eadem vitæ spiritum in cadaver, in quo nullum explorare potuerunt adstantes vitæ vestigium, vigorémque membris infudit, sub illo enim dulci pondere suspirare cœpit, & suspicere, pauloque post plenâ valetudine potitus, se vitam debere MARIÆ recognovit.

64. ANno pòst decimo, scilicet 1676, sub Zorawno signa movens Gen: D. Andreas Iezovvski, individuam comitem belli secum tulit, & hanc Imaginem, dúmque minùs prosperè dimicatum est, ad Woyniłovv interceptus à Tartaris, & in hosticum abductus, ærumnas captivitatis, carceres, famem, verbera, quæ tribus per hebdomadam vicibus repetebantur, ejusdem præsentia, preces fundens, & lachrymas, solabatur. Aliquamdiu cœlare potuit sibi permultum dilectam Imaginem. Postquam vero melioribus vestimentis exutus est, & ille pretiosus thesaurus abscondi non potuit; venit in manus barbarorum Imago, quam lachrymis & precibus impetrare non potuit: at quia argento spoliata hosti visa fuit vilior in majorem Fidei nostræ, sacrorúmque contumeliam procul intèr equos abjecta est, pedibus eorum conculcanda. Iam longè gravior fuit captivitas absque Imagine, cujus jacturam deplorabat. Laboribus, & mœrore fatigatum somnus invasit. Evigilat, Imaginem ponè caput repositam aspicit, stupet, lætus excipit, cujns restitutionem adscribit miraculo. Sedulus captivorum observator Scytha, videns Imaginem ad Andream reducem, iterum totis obnitenti viribus eripere conatur; spectat pertinacem utriusque luctam; quidam ex maioribus Satrapis (Murias vocant) rapinam prohibet, finitque captivum aliquali ex illa Imagine frui solatio. Et in hostico religiosissimè deinceps Divam in hoc Simulacro coluit, cui precibus & votis suam liberationem committebat. Hac Auspice Libertatem adeptus coram Serenissimo Rege IOANNE nunc regnante feliciter, & Principibus Viris propalam prædicavit se semper Divæ MARIÆ, in Odigitria Imagine venerabili, auspicijs suam è captivitate vindicationem debere. Et ne oblivionis injuriâ tot gratiarum interiret memoria, Patribus Conventûs Nostri Varsaviensis ad Sanctum SPIRITUM in scripto tantorum magnalium fusiorem recognitionem porrexit, Belli Ducum, & Illustriorum Personarum (quæ in Archivo leguntur) manibus subscriptam, Actis Domûs Marianæ inserendam. Anno D. 1677 14. Ianuarij.

65. PLura exempla non refero, quamvis nudâ narratione relata exceperim plurima. Ea solùm memorātur, quæ propter veritatis authoritatem a testibus petitam, legitimè fastis Parthenijs illata sunt. Hac Pelta salutari Nobiles, Duces, Senatores, Principes sua pectora communiunt, uberem suæ devotionis mercedem accipientes in casibus adversis tutelam. Si in Aulis Principum, Regumq; in *Aureæ Fortunæ* locum successit (ut supra clarè monstratum est) in pectoribus appensa *Aurea Bulla* (quæ signum nobilitatis erat, quo victores donabantur) vicem occupat, quam Cicero in Verrem *Indicium, atque insigne Fortunæ* appellat. Hanc alij in argentea, alij in cuprea lamina pictam, in pectore deferunt, reperies Iro quoque pauperiorem, qui Procerum Regni, Nobiliumq; devotionem æmulatus, Ectypum hujus Imaginis, aut Scapulari, aut vesti assutum, aut in lamina è collo pendulum, suæ felicitatis, ut inquit de Bulla Iuvenalis.

Mos Odigitriæ Imaginis exemplaria appendēdi in pectore.

--- *Signum de paupere loro*

deferat. Et triumphantium, Bulla gestamen erat, in cujus medio seu corde, remedia contra invidiam (ut videre licet apud Pierium Valerianum Lib: 41. cap: 5.) veluti amuleta reponebantur. Hoc certè contra invidæ fortunæ odium novercale Clientes in sacra Imagine, veluti in *Aurea Bulla* amuletum habent, cum quo omnem ejus aciem triumphant.

Iuvenalis

Pier: Valer:



ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS SEV HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO V.

Pericula ab Elementis, & Elementatis Clientes cum Diva Claromontana triumphant.

Hic est

MVNDI DOMINA MARIA.

Domina Maria.

M*ARIA interpretatur* DOMINA, *hoc quoque optimè competit tantæ Imperatrici, quæ revera Domina est Cœlestium, terrestrium, & infernorum; Domina inquam Angelorum, Domina hominũ, Domina Dæmonum, Domina utique in Cælo, Domina in mundo, Domina in inferno.* ait D. Bonavent: in Speculo cap: 3. *Quia in primo instãti suæ conceptionis, Monarchiam totius promeruit, & obtinuit universi*, teste Bernardino Senẽsi. *Si enim* (ait Athanasius) *Christus Rex est, & Dominus, Mater quæ eum genuit, & Regina & Domina verè censetur.* Itaque *Verè rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit*, asserente D. Damasceno lib: 4. Orth: Fid: cap: 11. Hunc antehac semper Polonia attribuebat MARIÆ titulũ, ut vetusta Missalia Diœcesis Cracoviensis probant, in quibus inscribuntur *Missæ de Domina.* Et si *Dominam* à *Domando* dicimus; vide quomodo elementa domet nè noceant.

D. Bonavẽt. D. Bernard: Senen: D. Athanas: D. Damasc.

CAPVT

CAPVT I.

Ruinis terræ oppressos, profundisque foveis illapsos, desperato casu; MARIA viribus vitæq; restituit.

1. MAgna *Domina* MARIA, ideò magna virtus ejus, in terra, & sub terra. Viderunt omnia sæcula, & nostra. Exempla quæ mireris, accipe. Anno 1609. sub Ilkusio (Civitas est ab urbe Cracovia ad quintum circiter lapidem projecta, plumbi, argentique mineralibus opulenta) quinque operarij, *Iacobus Gola, Valentinus Lamiogonek, Iacobus Piwowarek, Simon & Ioannes Bedzinek* germani fratres, in lacuna ad 90 cubitos profunda; impendente mole terrea, 18. Augusti clausi, ad 22. Mensis ejusdem latuerunt, extra omnem auxilij humani spem. Vita, & spiritu Divæ nostræ vixerunt, cui se committebant. Vota, quæ cœlos penetrant, altitudinem terræ superarunt, eluctata ad aures MARIÆ, quæ pios animos Civib9 indidit terram egerere, & oppressorum cadavera solito Christianis more sepelire. Vivos inveniunt, supplicésque ad Aram Claromontanæ MARIÆ sistunt. Anno quo suprà.

In lacuna terrà obruti quatuor operarii illæsi inveniũtur.

2. MAtthias Glinká puteanus de *Ostrowie*, scaturigines aquæ rimatus in profundo, oppressus mole terræ, gemebat sub pondere, multúmque luctatus, dum incubantẽ glebam excutere conatur, succubuit. Desperato libertatem providit MARIA, ad cujus Aram suspirabat. Vicinus non procul à loco, in quo Matthiam noverat laborâsse, transiens, deflexit à tramite visurus operam, sed acclinis ad os putei, suspicari cœpit, qnod erat, ruina tumulatum. Accivit socios, qui non æquo tumulo conditi, justa soluturi, sarculis, ligonibus, manus admoliuntur, egestóque terræ ingenti pondere, in vivo miraculum inveniunt. Divæ nostræ sospitatu vivus, ad gratias animos spectatorum, enarratione beneficij coëgit. Relatum Actorum Præsidi, & fastis ritè adnotatum cum testibus. Sicut aliorum Omnipotentiæ suæ miraculorum, quibus negotium salutis nostræ ante secula præordinatum agebatur, MARIAM administrã DEUS effecit; ita horum omnium Opificem constituit. Testatur Chrysippus. *Horum omnium, quæ alia causa est, præter eam, quæ genuit hujusmodi miraculorum Opificem, id est Christum.*

Simile.

Chrysippus in Orat: ad Deipar.

3 Mari-

In profundo casu dura collisio & sanitatis gratia.

3. MAnanæ gloriæ semina, miracula, iterum è fodinis *Ilkusensibus* trahuntur. Anno 1643, *Ioannes Wieliczká* Civis Ilkusensis cum filio Laurentio per fauces lacunæ suburbanæ ad 60 cubitos demittebatur. Citiùs quàm sperabant, infeliciùs quàm cupiebant, rudente rupto, ad fundum decidui, venerunt. Collisione violentâ, laxata membra, solutæ nervorum compages, vires, & propè vitam ademerant. Protrahuntur bina funera, quorum casus miserabilis excivit ad 100 personas, quæ spondere vitam non præsumentes, lacrymas dederunt. Consilium fuit Divam Claromontanam, quam illa Civitas annuis excursionibus impensè colere svevit invocare, & invocavit, vota votis comulando. Preces, nō morata Maria jam jam intereuntem vitam revocavit. Grati cum redivivis Clientibus Cives, Divam homagio venerati sunt, qui extraordinariæ gratiæ spectatores, ijdem & testes.

Similes

4. IN eodem quoque sùburbano. *Stanislaus Kita* ad 50 cubitos in fauces mineralis fossæ deciduus, jamque animam agens, ad Mariam Czestochoviensem aspiravit. Sospitatricem, quòd habuerit, mirabiliter ereptus morti, miraculi secum extulit vestigia Anno 1610. Quicunque solatiorum expertes, in profundo miseriarum, aut quod longè miserabiliùs est, in profundo peccatorum viciniores Herbero delitescentes gemimus, inclamemus, & salutemus patheticis affectibus MARIAM, nostris calamitatibus intentam.

D. Bonavent. in Salve Regina.

Salve Virgo Virginum stella matutina,
Sordidorum criminum vera medicina.
Consolatrix hominum. qui sunt in ruina
ò MARIA!

Casus innocuus.

5. ALius à fortuna damnatus ad ossifragium (Christophorus nomine) incautè in puteum profundiorem lapsus, stipite obstante in ejus orificio, luctabatur, qualecunque sibi laturus auxilium MARIAM identidem appellabat votis, cum decreto Claromontanæ Visitationis, nihilominus ut periculum experiretur, & miraculum, præceps in profundum, casum frustravit; incolumis extractus, votum, quod Aris MARIÆ debuit, solvit Anno 1598. 5. Iunij.

6. ALios collidunt, alios dum favet MARIA in facilem sinum excipiunt præcipitia. Nobilis *Anna Krzyworecka* in Palatinatu Plosensi, nocte currum præcedens, in foveam lupis capiendis ador-

adornatam lapsa, cum prole, quam prægnans ferebat, periclitata, ad Matrem, omnium meliorem Matrem Mariam vota promisit, ad ejus Aram hîc supplex futura. Correxit errorem, casumque ejus miseratio, quæ matrem & prolem servavit. Recognitum Anno Domini 1593. 30 Maij.

Puella in lacuna oppressa.

7. VIlla *Grudzin* erutam lacunâ puellam, stitit cum gratiis ad MARIAM Anno 1613. 3. Maij. Hæc, Nicolai & Annæ filia, ad fodiendam argillam profecta, abrupta desuper impendente gleba, tumulata est. Serum laturi parentes auxilium, pondus amoliuntur, extrahuntq; exangvi pallore, livoreq; mortuali deformem. Cura satis impigra viribus revocandis adhibita est, sed letalis tepor studium, & industriā frustravit. Eundum erat ad Divinam, Divinæq; Virginis opem; sed omnes occupantur in exploratione spiritûs vitalis. *Sophia* vicina puella, consobrinæ miserata casum, innocentes manus, lacrymasq; Aris Claromontanæ Mariæ offert, & stupente natura, attonitisq; omnibus redivivam accipit. Confiteamur coram Domino Dominorum, miserationes bonæ Dominæ MARIÆ (cum Damasceno de Dormit: Virginis) *Quisnam immensorum bonum bonorum, atque omnem mentis captum, & cognitionem superantium Officina extitit, an non perpetua illa Virgo, quæ te in lucem edidit, MARIA?*

D. Damascenus.

CAPVT II.

Ex ædificiorum, Arborumq; summitatibus prolapsos; ferocientibus equis excussos, letaliterq; collisos, vocata Claromontana Virgo, pristinæ vitæ, viribusq; restituit.

Boter lib: 5.

8. NVtantium, lapsorumq; LEVANAM, MARIAM, Clientes experti, explodunt superstitionem Tartarorum, qui (teste Botero) ad ostium fluvij OBIC patrio ritu quoddam colunt idolum Anûs decrepitæ (*Anum Auream* appellant) quæ unum ad pedes provolutum, habet, alterum in ulnis gestat infantem. Quoddam telluris, aut generalis cujusdam Numinis credunt Simulacrum, cujus officij est, hominem à ruinis, aut præservare, aut relevare. Verùm posthabendo profana, Mariam, aut præservantem, aut relevantem à ruina, corporis & animæ, Clientum Bajulam, credamus; cujus munus expressit *Noëmi*, id est *Pulchra*, quæ gremio, sua Nurûs ex-

Idolum apud Tartaros.

Ruth 4.

 cipiens

cipiens infantem, *Nutricis, ac Gerulæ fungebatur officio.* Nam collapsis, quomodo non minùs faciles, quàm fideles, obvia casibus, ulnas explicet, adverte.

Admodum R.D. *Simon Ludovicus Zyglinensis* Parochus, Anno D. 1644. dum Svecorum prædatrix cohors Parochialem ejus Residentiam invasisset, è superioris cœnaculi fenestra præceps, viam evadendi quæsivit. Violento casu convulsus, dum virium impos jacet, apud hostes miserationem meruit. Sensim ergo recollectâ mente & spiritu in concusso corpore, MARIAM Czestochoviensem, ad ejus Templum, se adfuturum supplicem spondens, implorat, & Medicam in casûs desperati reparatione expertus est. Exclamet cum D. Anselmo: *O Femina mirabiliter singularis, & singulariter admirabilis, per quam elementa renovantur, infirmi medicantur, homines salvantur, & angeli reintegrantur. O Femina gratia plena! de cujus plenitudinis abundantia respersa reviviscit omnis creatura.*

D. Anselmus

Præceps ab alto & concussus sanitati redditus.

9. ATtonita Vrbs *Leopolis* ad prodigium, Divæ nostræ clementiam laudavit, Anno 1638. Fuit hoc in *Blasio Firlik*, qui laborans in erectione lapideæ, à summo culmine (quinquaginta cubitos numerabant) decidens, collisusq; ore, naribus, auribus fudit sanguinem. Sensus confusi, aliquod adhuc vitæ superstitis vestigium præferebant, animus autem adhuc suus, sanitatis suæ negotium suspirijs commendabat Divæ Claromontanæ MARIÆ, quod consecutus, se debere huic loco professus est Anno 1638. 5. Maij.

Simile.

10. SImilis ruina concussit *Benedictum Ludyszek* Malogostensem, Ab alto præceps, & in frequentia, quæ è muro prominebant obstacula, impingens, ubi desperatus appellavit votis Mariam, extemporaneas vires ad opus prosequendum accepit. Ad Aras Mariæ supplex, voto huc nuncupato beneficium adscripsit.

Convulsio, & ossifragium.

11. STanislaus *Alexandrowicz* apud RR. PP. Conventuales Sancti Francisci, in *Bytomie* à servitijs, è fastigio domûs prolapsus, non tantùm casu gravi luxavit nervos, sed penitus tibiam fregit. Ossifragium, & langvor in concusso corpore immedicabilis, ulterioris vitæ spem amputavit. Ipse miser, suæ fortunæ faber, & sanitatis artifex fuit. MARIAM sibi votis fecit propitiam, ad Basilicam Clari Montis iter decernens, quæ opem tulit sperato citiùs, & pedem consolidans, & membris vitalem vigorem insinuans prodigio. In Fastos gratiarũ adnotatũ Anno 1626. Quid dicam de manibus

nibus Mariæ, nisi quòd sint non tantùm Cœlestis Salomonis, sed & miserorum *Ferculum, hoc enim* (ait Rychardus à S. Laurentio) *ægris & debilibus necessarium, omne enim genus mortalium, tam peccatorũ, quàm pœnarum morbis ægrotat, & à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas, & omnes indigent fulciri patrocinijs Virginis gloriosæ.* Lib: 10 de Laud: Beatissimæ.

12. ÆQuè funestus fuit casus, ab alta arbore *Alberti Groslensis* à Bochnia mortuo, quàm vivo similior, domum reportatus est. Solus spiritus vix superstes secernebat hominē à cadavere. Domestici de funere, moribundus de Maria cogitat, ejus Imagini devotus. Miraculo indeptam vitæ reparationem, juramentum probavit. Anno 1591. 1. Maij.

13. SÆculi & anni ejusdem est beneficium Divæ nostræ, in *Valentino Tebczyk* de *Stryiow* propè *Niepolomice*, quem præcipitem ex arbore procera paralysis corripuit. Frustrata in arte medica studia coëgerunt vota ad MARIAM. Spondent amici ad ejus Aram homagium cum ægro & publico prodigio, viribus & sensibus restitutum accipiunt, sistúntque supplicem cum gratijs. Anno 1591.

Ex arbore lapsus, & Paralysis.

14. LEvanam Mariam habuit & *Bartholomæus Kolodzieyczyk*. Arboris præaltæ cacumen prensans, decidit, jacuit, mori cœpit. Transeuntes fortunâ vicini, manus amicas admovent, & moribundum ad proprium larem deportant. Iam leto vicinum, in mortuale stratum deponunt, complorántque precibus Mariam, ad prodigium lacessendo. Adfuit fiduciæ Christianæ meritum conferens, desperatæ valetudinis restitutionem. Votorum reus, Numen Mariæ beneficum in thaumaturga Imagine gratus adoravit Anno 1626. En quam salutem fatali casu, plectendo piacula mortalium, Patris indignantis aufert Iustitia, eandem Clementissimæ Matris MARIÆ restituit misericordia. Audi D. Anselm: *Sicut Deus suâ potentiâ parando cuncta Pater est, & Deus omnium; ita Beata Virgo Genitrix MARIA, cuncta reparando, Mater est, & Domina rerum.*

D. Anselm. de Excellētia Virg. Cap: 11.

15. NOn obsolescunt ætatum lapsu memoriæ gratiarum MARIÆ. G. D. *Nicolaus Czyzonski* à ferociente equo excussus, horis aliquot, interclusâ loquendi facultate, comploratus à familia, decubuit. A servis beneficium valetudinis accepit, qui eum Divæ Claromontanæ devoventes, ad vitam repararunt. Syngraphâ, quæ in Archivo fusiùs legitur, gratiam testatus est, Anno 1538.

Excussus equo.

Simile. 16. SImile dat miraculum Silesiæ, finibus nostris conterminæ pagus Bukwica. Hic *Ioannes Drzymała, Ioannis & Hedvigis* filius feriâ secundâ Pentecostes, illius territorij more, post ortum solis, eques in hyppodromum processit. Vbi iam

Æneid: I.

Ante urbem pueri & primævo flore iuventus
Exercentur equis.

ad metam cursum præcipitans, excussus à refractario, priùs vitæ, quàm alij victoriæ metas attigit. Reliquit mox nativus calor iuvenem, loquendi sentiendique perempta vis, non homo in homine domum deportatur. In pallenti frigidoquè corpore hospitem animam requirebant parentes, sed deficientem cùm advertunt, ad Mariam visitandæ Imaginis ejus in Claro monte propositum accelerant. Satis magna mœstis parentibus fiduciæ, & devotionis merces erat, die sequenti, filio plena sanitas reddita, quam miraculo adeptam, Pater, Mater, Soror, vicinique palàm testati sunt Anno 1624. infra octavas SS. Corporis Domini. Iure Levana MARIA, titulo ab Ecclesia Græca sibi attributo appellatur *Cadentium Erectio.*

Menolog: Græg.

CAPVT III.

Marianam Clarimontis Tabulam votis apprehendentes, Marina superant pericula.

Hæreticus in Mariâ invocat Mariam & salvus evadit.

17. QVàm salutaris Marianæ Mensæ sacra Tabula naufragis fuerit, illustre exemplum est in M. D. *Stanislao Łaski* Sepulchri Domini Milite, quem mare orare docuit, & aliter, quàm ante hac, de Rebus Christianis, de Sanctorum, Mariæquè suffragijs, sentire, cui Mons Clarus erat Portus salutis. Summam ex authographo, quod fusiùs est in Archivio tùm apud P. Goldonowski strictim percenseo.

Mirabilis Deus in Sanctis suis &c. &c, Maximam laudem tribuo Divæ Virgini Mariæ, ac prædico, quæ me in mari primo Baltico ex Anglia in Poloniam navigantem, tempestate valida in fines ignotos Moschoviæ, quos Moridagiam vocant, inter scopulos pulsum sic, ut nulla unquam, nec de vita, nec de reditu spes superesset, vivum ac sanum eripuit de morte, cui me devoveram. In mari iterum Adriatico, cùm ex Ægypto, Alexandriâ. Constantinopolim, iter velis & navigio facerem, magna ventorum vis in Phœniciam portúsque ignotos, ruptis velis, ac malo ipso, me, & alios cum mala sorte salutis nostræ, omni spe prorsus destitutos propulerat, ubi invocato Dei nomine, ac Virginis gloriosæ, in Czestochovia, voto emisso, ex mortis faucibus erepti fuimus, tempestate mox sedatâ. Demum tertiò, nactus Patriam, domumquè cùm morbo gravissimo, ac subitaneo correptus fuissem, in tantùm, ut omnes fratres, amici, & ego de vita iam desperarem, præsentem opem Deiparæ erga me adverti. Posito enim mihi in illo ad mortem impellente dolore, inter somnum & vigiliam, apparuit cujusdam elegantis viri visio, quærentis an sanus esse vellem? cúmque indicarem me maximè id cupere, cave (inquit ille) nè hæresi antiquæ & renovatæ ullatenus consentias, tùm te Virgini gloriosæ in Czestochovia devoveas, quod cùm feceris, te sanum fore, corpore, & animâ non dubites. Quod cùm linguâ exprimere non potui, corde id devotè feci, & post hæc obdormivi. Post somnum testor Deum, & fateor me crastino manè meis viribus, de tam gravi infirmitate, integris sensibus, sanum & incolumem surrexisse (qui moriturus eram) gratiâ Dei omnipotentis, precibus & meritis gloriosæ Virginis Matris Dei, pro quo sit benedictus Deus in sæcula, & hæc, quæ Virgineo suo utero Sanctissimo, & purissimo meruit portare eundem. &c. &c. Hoc indignus terrarum Sanctissimi Sepulchri Domini Hispaniarum, Franciæ, Angliæ, &c. &c. Miles & veneror, & fateor &c. &c. qui sum &c. &c.*

Stanislaus de Łasko quoad vixero &c.

Ad nostram promovendam in meritis MARIÆ dum Auctoratus MARIÆ ad ejus Aram supplex adorat, dicamus Virgini cum D. Bonav: *Tu mundi Domina, Cæli Regina, post Deum sola spes nostra; Tu salus Te invocantium; Portus naufragantium, miserorum solatium, pereuntium refugium ô MARIA?*

D. Bonavent. Hymno Te Matrem Dei Laudi.

Naufragus.

18. HVic quoque Aræ suam debet refertquè salutem per invia ferventis Oceani naufragus, vagúsque. Stirpis Odrowąziæ germen inclytum *Procopius Pieniąsek* Eques Militiæ Ierosolymitanæ Sanctorum Mauritij & Lazari. In defensione *Golesæ* duabus Turcarum Triremibus captis, in Siciliam ad Ioannem de Austria revertebatur, Dies novem noctesque continuò iactatus, duas è suis triremibus ami-

amisit. Littus, portúsque ponto deesse videbatur, sol Cælo serenum atra nox involuens, evadendi quoque spem eripuit. Comitum unusquisque, prout sua cuique devotio dictabat, Patronos implorabant, Procopius ad Claromontanam Pharum reflexit oculos mentis, & pristinos amores instauravit erga Mariam, quam in Imagine Odigitria colebat in Patria, spondens Aram ejus in Patria invisere. Beneficio voti continenti redditus, locoque sacro memoriam gratiæ fastis inseruit, cujus schema coloribus adumbratum prostat in publicis Exedris cum inscriptione:

Ecce Classis Melitensis
Velis per mare protensis
Mergitur naufragio,
Hic Pieniażek Procopius
Divam vocans securius
Enatat auxilio.

Simile in Mari Balthico

19. DVlcis MARIA, dulcorat maris amarorem. Quid mirere? Si est ut inquit Damascenus *Pelagus gaudii inexhaustum*? Libavit *Ioannes Zebrdowski* Serenissimi Regis Sigismundi Aulicus in mari Baltico fluctibus iactatus, qui usque ad vitæ desperationem actuariū præcipitabant. Sed una spes superabat MARIA, cujus cultui deditus Ioannes, Præsidem classis, & operas inutili fatigatas labore, iubet votis, vocibus, animo, Divæ Claromontanæ dexteram Auxiliarem implorare, spondens ad futuram indubiè invocantibus. Et adfuit. Sensit præsens ejus numen mugiens procella, iamque abliguriens classem ad malatiam coacta obmutuit, placidè ad portum deferens clientes deditos, debitosque MARIÆ.

In Naufragio, & in alijs discriminibus gratiæ.

20 CAlamitatum fertilis annus, supra millesimum sexcentesimum quinquagesimus quintus, gratijs, ac solatijs à Maria provenientibus est intertextus. Fidem verò facit Perillustris & Adm: R. D. *Antonius Michaël Hacki* Professus Monasterij Okiveriensis Ordinis Cistercien: Notarius Apostolicus, qui postea Prior ibidem, ac deinde Perillustris & Reverendissimi D. Nicolai Zegocki Abbatis Præmislen: in Noviciatu Magister, & in exteris nationibus Director fuit, Danti-sco in Belgium cum quatuor ejusdem loci socijs, Professis, profectus in Mari Germanico propè Norvergiam per turbinem malo maximo cum velis, in mare dejecto, anteriore quassato 26. Septemb naufragus ultra 24. horas iactabatur. Ædem D. Claromontanæ revisere dum

dum spōdet, placato, pacatoq; mari ferebatur. Ampliora beneficia se expertū testatur; sive Norvergiæ trib⁹ hebdomadis subsistēs; sive per Hollandiā peste infectā securè transiēs; sive varias, Belgij, Lotharingiæ, Galliæ, Germaniæ, & Austriæ, peragrans regiones, ubiq; sanus, & salvus. Domū redux vota solvit, gratias syngrapha testatus Anno 1663. 10 Octob. Quàm verum est, quod ait Epiphanius: *Tranquillitatē mari, id est Mundo attulit, dum Portū peperit Christū,* MARIA. Epiphanius.

Animæ, corporisq; naufragiū evadit Anglus.

21. IN Corporis, Animæq; periclitāti naufragio, Portū in mari dedit MARIA Anglo cuidam Sebastiano. Venit *Gedanum*, ejuratisq; Calvini dogmatibus, Ecclesiæ, Fideiq; nomen dedit. Hæresis abjuratæ contemptus, non latebat malè germanum fratrem, qui occasionem quærens avocandi fratrem à fide, svasit reditum in patriam, persvasitque, odium Fidei, quam aversabatur in Sebastiano interea dissimulans. Solvit è Gedanensi portu, Balticumq; navigat mare, in quo frater personatum fratrem deponens, verbis venefico melle conditis, multa promittens, & quidquid in vaferrima Calvini Palæstra fraudum erat, exerens, Sebastianum ad Fidei desertionem, contemptumq; urgebat. Sed intractabilis, sanctéq; pertinax animus novelli Christiani, risit, lusitque astum perfidi. Didicit tunc Sebastianus, quòd idem uterus misero fratrē dedit, & carnificem, qui Catholicæ constantiæ tyronem alligatum rudenti, in maris procellosi fluctus dedit præcipitem, & prætervolante pressit, mersitq; navigio. Quoties cum fluctibus luctantem retrahit, quærit num animum obstinatum mutārit? cur detestetur Calvinum? sed faciliùs fuit liquido elemento, quod sulcabant, duritiem persvadere, quàm ad impietatem Calvini Sebastiani mentem detorquere. Retrahit ergo in classem viribus fractū, exutum meliori vestitu, lacerna vili præcingit, stringit vinculis, in mare Confessorem projicit, Martyrem mox futurum. Cum Cliente Mariano mitiùs egit mare, cùm tribus horis fluctibus jactatum non præfocavit, MARIÆ identidem vota nuncupantem, ad ejus Imaginem thaumaturgam in Claro Monte solvenda, alienæqve classi fortunâ transeunti incolumem restituit. Gedanum redux, quæ sibi in mari fecisset MARIA, præco laudum liberalis, enarrat; demum in Claro Monte Anno Domini 1589. Si sæculum mare est, MARIAM Cynosuram, quæ in utriusque, corporis & animæ discrimine naufrago portū ostendit, respicite. Ildephonsi vos verbis appello: *Agite dilectissimi ut Lucifer ille, qui nescit occasum oriatur in cordibus vestris,* dum in hoc

Ild. phonsus serm: 1. de Assumpt.

in hoc sæculo estis, nam mare prorsus sæculum est, Stella autē B. Virgo Maria, de qua ortus est ille, per quem illuminatur totus mundus.

Aagramma ex Nominibus IESVS & MARIA.

22. DEcebat sanè, ut Mater in maria Filij potestatē usurparet, quia arcano sensu, in suo, Filijq; sui Augustissimo Nomine Viam Maris præmonstrat. Duo, quæ diem æternitatis in gloria Beatorum collustrant, Lumina, IESVS, & MARIA, in Anagramma coacta, revelant mysterium: ES VIA MARIS. Occumbite diurni soles, faculas vestras condite cœlestes ignes! modò in hoc mari, in quo tanquam *in vasis papyri super aquas*, in testea corporis modle navigamus ad portum æternitatis, alluceat solus Sol IESVS, & sola *Electa ut Sol* MARIA! E mari in Flumina descēdo, classemque remige pennâ dirigo, Tuis Clientibus excipiendis. Itaque

Isaiæ 18. v. 2.

Vetus Missa. le Eccles: Cracovien.

Vale Iacob micans stella, & illustrans maria:
Vale consignata Cella, Rubus in vi flammea
ô MARIA

CAPVT IV.

Ope invocata MARIÆ, *è Fluminum periculis erepti.*

In San naufragus.

23. PEriclitandi facilitas, & in fluminibus, lacubusq; Salvatricem MARIÆ dexteram habet. Testem appello Gen: D. *Stanislaum Watáwski*, qui Anno 1572 in villam cum Agnete consorte sua profectus, Fluvium *San* lembo traijciebat. Commotis ventorū vi fluctibus, extra hominum auxilia constitutus, Mariam, cum voto ad sacram Imaginem Odigitriam, appellans, Salvatricem expertus, hocq; loco professus est.

Simile in Vistula.

24. ET illud in vetustate sua authoritatem habet venerabilem, quod in Perillustri, ac M. D. *alberto Wilkanowski* Succamerario Plocensi, annus 1567 spectavit. Ad Wyssogrodum Vistulam liburna superans, dehiscente navigio, mergi cœpit. Proles in aquis paternis manibus gestata, priùs debebat experiri periculum, quàm nosse. Vocatū Numen Mariæ, cum decreta ad Aram Czestochoviensem peregrinatione, adfuit; nam partitum inter undas naufragium, fluctib' rapacibus carinā, parentē cum prole continēti dedit.

Simile in Warta.

25. GEnerosus D. *Nicolaus Poniatowski*, è territorio Siradiensi in *Warta* fluvio parem gratiam expertus est. Movens, in civitatem Sadek necdum solidè gelu constrictum superans cum famulis, rupto glaciali ponte, nec à comitatu, quem par discrimen sorbe-

sorbebat, sperans auxilium, frustra cum glacie fluminisque rabidi vorticibus luctatus, nè desperaret, spes animo insulsit MARIA, cui dum vota ad Aram Clari montis spondet, in se famulisq; replicatum prodigium agnoscit, Fastis adnotatum Anno 1597.

Simile in Pruth.

26 VNius fuga periculi, præcipitavit in aliud G. D. *Stanislaum Osedowski* Palatinatûs Łenczycensis Tartaros insequentes fugiens, in flumen *Pruth* appellatum prolapsus, & aquis haustus, summum hoc solatium habuit, Mariæ meminisse; quam invocans cum visitationis Claromontanæ; à duplici, Tartarorum, & fluminis periculo liberatus, littori, domuiq; redditus est. Gratitudine reciprocà Mariam veneratus, anathema appendit, gratiam subscribens. Anno 1623. Magna est potestas MARIÆ? *Glorificáte eam Cœli & terra, mare & flumina, ac fundamenta orbiū.* D. Bonav.

Illustris ex aquis liberatio, & Imaginis B. V. M. apparitio.

27 SOlennis recensenda est memoria Perillustris & Adm: Reverendi D. *Sebastiani Makonski* I.V.D. Auditoris causarum apud Illustrissimum D. *Stanislaum Karnkowski* Archiep: Gnesnen: qui, per multiplicia pericula vitæ, tractus ad interitum, comitem habuit Salvatricem MARIAM; cujus opem fideli cultu meruit. Ex authographo, quod fusissimè descriptum est, rem strictim adnotatam accipe.

Meum verò Diva misericordiarum Mater humile Anno salutis 1617. delatum, Sacratique Sacelli parieti, appositum votum, primâ hîc in fronte, æterna repetita gratitudine colloco &c. &c.

Subsidit glacies.

A Comitijs Varsaviensibus Divæ memoriæ Principem Stanislaum à Karnkow Archiepiscopum Gneznensem, Regni Primatem, secutus hyeme ad oppidum *Skwierniewice* rapidum flumen eques glaciali ponte superare volebam. In medio constitutus, partem abruptæ glaciei conspexi. quapropter in aggerem deflectens, ab equo descendi, hic à vertigine capitis oculorum aspectu sublato, lapsus, & in profundo mersus, per cataractas quâ exundantes aquæ defluebant, præceps ramum obvium prensavi, à quo una manu pendens, sublevatis oculis Sanctissimæ Salvatricis Imaginem filiolum gestantem in nube loco proxima conspexi, manumquè liberatricem porrigentem sensi, & votum subitò pedes, Clarum montem Divæ Sacratum visitare concepi.

Per plura pericula volutatus.

23 ACcurrunt interea famuli, & ipse loci Capitaneus G. D. *Hieronymus de Zelazna Trzcinski* Dapifer Sochaczoviensis, dato campanæ signo, frequens de oppido populus in genua provoluti Divinam opem comprecabantur; quidam de illo tumultu longum titionem molæ insistentes, ab una parte porrexerunt, quem apprehendens, horâ circiter integrâ aquis totum corpus alluentibus, hæsi; sed deciduus, ad proximum palum trusus, inde abreptus, & aquarum vi capite in profundum præcipitatus, memor MARIÆ, è profundo emergens, aquarum dorso, opinantibus omnibus, me jam aquis suffocatum, ferebar; & in saxo depositus, quod profundum fovebat, erecto corpore substiti. Abrepto à saxo, & in proximum vadum deportato, opem ferre conati nonnulli insiliunt, vestibúsque apprehensum ad littus attrahunt, chyrothecam tantùm unus illorum retinuit, me vis fluminis retraxit.

In aquis aquas non haurit.

29 SVccurrerunt alij, & in firmum littus deductum, postea in pagum ferventissimis linteaminibus curârunt. Mirum fuit me nihil aquarum hausisse. Die sequenti redux ad oppidum, in Templo exactis Deo omnipotenti gratijs, Matriquè ejus, conservatrici Mariæ iterato voto, dies meos servitio Matri misericordiarum, lociquè Claromontani quotannis venerationi obligavi. Anno illo fidem persolvi &c. &c. Hæc breviter ex autographo. Credo audivit à Maria promissum illud Isaiæ 41. *Cùm pertransieris per aquam tecum ero.* Ingruente cujuscunquè fortunæ tempestate, inclamemus auxilium MARIÆ deposcentes cum D. Bonav: *Extende ad nos brachium Tuum, Virgo gloriosa & ne avertas à nobis gloriosum vultum Tuum ô MARIA!*

Isaia 41. D. Bonav. in Psal. B. V. M.

Ad Cracoviam in vistula

30 NIhilò mitiùs egit Vistula cum Reverendissimo D. *Andrea Brzechwa* Abbate Tynecensi: Per glaciem littus adversum petebat. Subsidit oneris impatiens. Extra opem humanam cum famulis rebusque positus, Divæ Claromontanæ supplex, religione erga locum sacrum, vitam suam suorumque meritus, gratitudinem testatus est. Anno 1677. 9. Ianuarij.

In Narew simile.

31. AFfine est beneficium R. P. Gabrieli Cracoviensi Ordinis Minorum Strict: Obser: præstitum. In trajectu fluvij *Narew*, non priùs vento iactari desijt, quàm ejectus lembo, extra vitæ opisque humanæ spem poneretur, actus in profundum, animus, ad Templa Mariæ votum tulit, cujus merito restitutus littori

Cliens

Cliens Mariæ, ad Aram vota cum incruento Sacrificio Missæ persolvit Anno 1606. 21 Maij. Quod suspiravit ille, quod speravit, nos, imitati Seraphicum Bonaventuram precemur, ut perpetuo sulphurei torrentis, temporaliq; naufragio non sorbeamur:

D. Bonav.

Ave Virgo spes humana,
Preme ventos, fluctus plana,
Vt evecti mundi vndis
Emergamus de profundis,
ô MARIA.

Pueri Vistulam inundantem triumphant.

32. LVdentem in fluctibus innocentiam, si non vidisti, leges, ex relatione Illustrissimi Domini *Hyacinthi* de *Lubraniec Dabski*, Castellani Konariensis, succinctiùs quàm legitur in genuino stylo.

Ego Hyacinthus *de* Lubraniec Dąbski, *Castellanus Konariensis &c: cum mea Conjuge* Anna *de* Szydłow, *profiteor maximam nos accepisse gratiam à MARIA Claromontana in Filiorum, aquis jam oppressorum, recuperatione. Anno 1668. 29. Iulij, Vistulam sub Opatowiec iustò latiùs exundantem trajecturi, descendimus de quadriga, solis parvulis,* Andrea *&* Paulo *relictis. Anteriores rotæ in navis limen impingentes, adeo violenter navigium protruserunt, ut excussi vectores, cum rudente, pontonem dimittere cogerentur. Quadriga cum equis & filijs in fluctus præceps, absque ulla vitæ spe, à nobis Divæ Virgini Claromontanæ, è littore prospectantibus, commendabatur. Votis nostris propitiam vidimus, nam fortunâ appulit alia navis, quæ filios ereptos tutiùs servavit. Quadriga fluctibus immersa, rotis supernè volvebatur, equi mergebantur; attamen ejusdem Sanctissimæ Patronæ gratiâ, ad aliquot stadia natantes, in obvio quodam vado, inuersa iterum in rotas more suo rheda, substiterunt. Et quamvis apertis fenestris, hac, atque illac aqua perflueret, nihil tamen de rebus, quæ intrò servabantur, desideratum est. Hoc miraculum admirabundam populi multitudinem evocavit qui gratiæ testes, & spectatores fuerũt. Pro quo sit* DEVS *benedictus, eiusq; Matri gloriosæ Honor &c. &c.* Quod hic in hac charta scribitur, argenteæ tabulæ, quam supplices hic ad Salvatricis Mariæ Aram appenderunt, præsentes cum votis Clientes,

entes, inaratū legitur. In tam aperto discrimine dum servat MARIA innocentes, Arca Noë dici ne possit, quid vetabit? Optimè Hesychius: *MARIA est Arca latior, longior, & illustrior, Arcâ Noë.* *Hesychius.*

33. NEscio an quid illustrius orbis noster videre potuit, illo prodigio, quo G. D. *Nicolaum Wolski* Palatinatûs Siradiensis, MARIA insignivit, Anno supra Millesimū Sexcentesimū Septuagesimo. Quadam indomitæ animi dilaceratione exagitatus, dum licebat per intervalla, pacatâ mente cœpit nosse calamitatem suam, cui tollendæ dum non favent adhibita Medicæ facultatis studia, votis ad Imaginē Odigitriæ itabat, ad ejus Basilicā supplex futurus. Et festinavit promissa, in amicorum, vicinæq; Nobilitatis comitatu, mente sana, & ex toto sua. Ventū est ad lacum Koloniecensem, ad duo circiter milliaria in longum, latumq; diffusum; ubi, comitatu nihil simile suspicante, è rheda procurrens, in stagni illius altitudinem, ad duo circiter stadia ferebatur. Per solidum horæ spatium cum liquido elemento luctatus, mergi videbatur, nisi cœlum daret, à terra nullum habiturus auxiliū. R. D. Martinus Rolnicki, Curionis Paukoviensis Vicarius, viæ comes, vota cum alijs supplicibus, Nicolai votis addidit, Divæ Virgini Claromōtanæ patrocinio devovens desperatum. Nec multò pòst, recollectus in undis Nicolaus stare videbatur, quæ tamen solidum pedibus fundamentū dare non poterant, quòd ad sex, & amplius majores passus, in imum profunditas descenderet. Hoc ad crepidinem laci circumstantes Nobilium plurimi, demirati; cùm auxilium dare non possent, suspirijs, votisq; Tutanam Mariam, iterum, atq; iterum, implorabant. Stupendum! vestibus madefactis gravatus, incipit enatare altitudinem, lasso manuum remigio aquas subigendo, Duce tamen illa, quæ ut adesse dignaretur, votis implorata est: quod idem Nicolaus clarè verba excipientibus, fassus est inclamans: *Beata Virgo Czestochoviensis MARIA, ad quam lubenti animo pergo, ducit me ad vos. Gratias illi refero.* Enatavit, litus attigit. Per terram fusus, precabatur amicos, ut è genibus laudes, gratiasq; Sospitatrici MARIÆ dicerent. Actum anno quo supra, feria 5. ante Dominicā 6. post Pentecost: Præsens cum ijsdē periculi, & miraculi spectatoribus, & testibus, corpore integer & animo, plena sanitate donatus, vota solvit. Dicere potuit cum Divo Bonaventura. *Hæc in tempestatum fluctibus potenter tenuit me, MARIA.* *D. Bonavent. in Psalt. B. V. Mariæ.*

34. AVthoritatem à Posnaniensibus testibus habet, quod scribo. *Ioannes Katušek* Molitor, ad sistendum cursum aquæ è molestrina

lestrina circa medium noctis egressus, in cataractas delatus, favente periculo nocte intempesta, raptatus ad molarē machinā, præcepsq; horis aliquot non comparuit. Laborans in profluente, nullum aut habere, aut sperare potuit auxilium, quod in cœca nocte inutili conatu palpabat. Mariam advocat lasso gemitu, decreta ad ejus Czestochoviensem Basilicam peregrinatione. In suspitionem domesticorum venit mora non comparentis, quapropter egressi quærunt, post horas quatuor, & amplius; inveniunt prodigiosè ad ripam expositum, stupefacti ad beneficium quod obtinuit in casu per molarem rotam, incolumis servatus. Recognitū Anno 1598. 21. April. *Per cataractas illæsus labitur nec mergitur.*

35. PAr discrimen involuit, traxitq; in desperatum casum, *Andreæ Kokoßká* filium nomine *Simonē*, de Kunow. Circa præcipitis aquæ cataractas ad molendinū oberrans, in aquas prolabitur, hærens in aquis hora media inventus, Mariam vitæ reparatricem habet, ad cujus Aulam Claromontanam moribundū parentes devoverunt. Celebratum in Claro Monte beneficium, per contribules Oppidi Kunoviensis, qui cum A. R. D. *Valentino Sedurowicz*, Hospitalis Kunoviensis Præposito, præstitæ gratiæ testes aderant, Anno 1646. 25. Aprilis. Optimè in consimilib' periculis, curas Mariæ depinxit D. Amedeus: *Adstat ergo Beatissima singulari merito, præcipua, vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis: Illo enim edocta lumine, cui nuda, & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostriq; clemens, & dulcis Domina, Materno affectu miseretur, MARIA.* Similes. D. Amedeus Homil: 8.

36. MEmorabilis est & ille favor, quem meruit mulier quædam (nomen antiquatum in Archivo non lego) Cracoviensis. Processit ab Vrbe, ut mercibus coëmptis, in Cracoviensi foro lucellum aliquod faceret. Triginta tribus gallinis corbem impletum ferebat, dumq; flumen ad Oppidū Koszycki subjugat, incautè, prægravante corbe, retrolapsa, mergitur cū pondere. Vna hora per fluminis imum raptata undarū vi, necdū confusa periculo mente, votū concepit visitandi sacram Theotocon Imaginem in Claro Monte, & stupentibus per littora populis, liberata, vitæ discrimen evasit, Anno 1608. 4. Augusti. Feliciter itaq; navigant, qui ad Aram Mariæ suæ salutis Portum constituunt. Fatemur cum Clientibus ejus Patrocinia: hæc nunquam elegantiùs in compendiū complectemur, quam methodo Gregorij Nazianz: in Tragædia de Christo patiente: Similes.

Regina, Domina, Generis humani bonum,
Amica semper esto Tu mortalibus,
Maximáque quovis in loco mihi Salus,
Ô MARIA.

Gregorius Nazianz.

CAPVT V.

Aquis præfocati imperio MARIÆ vita restituuntur.

Aquis extincta reviviscit.

34. AB aquis ad Reginale Mariæ Gynæceum, trimula Nympha legitur, M. D. *Nicolai Rákowski* Vexilliferi Visnensis Filia. Curis, & educationi credita N. *Laurentij Sucki*, ancillam secuta, dum infirmum, tremulumq; gradum per scamna piscinæ molitur, non advertente famula decidēs hausit frigidam, quæ nativum calorem, & vitam extinxit. Longè pòst inventum cadaver tumens aquis, Laurentium, qui aliena solatia fovebat, ad Mariam coëgit. Cum Marita igitur peregrinationem ad sacra Claromontanæ Basilicæ limina decernens, religione in Divam Virginem, puellæ vitam mercatus est. Huc relatum Anno 1636. 6. Novembris.

Simile beneficium.

38. PArem beneficio gratitudinem exhibet G. D. *Albertus Dzierzanowski* terræ Rosanensis pro Filiæ vita. Circa domum oberrans puella, in piscinam præceps, absque anima rigens inventa est. Varijs artibus quæsitum vitæ vestigium explorari non potuit. Frustrati solatio, ad Mariam preces, & vota properant vitam exorantes, simulq; redivivam ad ejus Imaginem in Claro Monte sistere promittentes. Favit votis Maria, quæ perditi parentum solatia, in vita puellæ resuscitavit. Fastis Parthenijs illatum Anno 1638. 8. Iulij. Libet exclamare cum Ildephonso: *O quàm beata est Mater ista, quæ sinè contaminatione concepit, & sine dolore peperit Medicinā, felix (inquam) Mater, per quam generū nostri vita est reparata, quæ de Cœlo suscepit prolem, & mundi genuit Salvatorem MARIA!*

D. Ildephon:

Tertio die redivivus.

39 STipant Aram MARIæ Gnesnenses, sui Concivis gratiæ testimonium subscribēdo *Albertus Wesotowicz* Patricius Gnesnensis Anno 1611. sub tempus æstivum frigida refovendi corporis causâ, flumen ingressus, gelu mortis obriguit. Aquis turgens domū deportatus, amicorum lachrymis exceptus, ad tumulum parabatur. Tertia dies in occasum defecerat, quā omnia ad solennem funeris conductum pro crastino apparata fuerunt; cùm cœlitus inspirato, atque insperato consilio, nonnulli familiarium ausi Divam appellare pro Alberto, votis, precibusque vitam licitabantur, addito peregrinationis Claromontanæ decreto. O felix præpotensque fiducia, quæ ad vota placitaque tua, MARIæ miserentis Numen inclinas. Exul a-

nima, frigidum, lividum, putridum, informe, subit hospitiū, surgit cadaver, jam non cadaver, Gnezna attonita usurpat oculis prodigium, quæ & testimoniū prodigialis resuscitationis ad Aram dedit.

40. SImile vidit *Lovicium* seculo præcedenti Anno 1597. in *Paulo* de *Garnolin* solari flammâ acriùs percoquente corpus, in profluente Bzura (fluvij nomen est) calorem temperat: Condiscipulos lacertorum robore fretos, & fluvium, qui ex præviis imbribus intumuerat, natatu sæpiùs subjugantes, æmulatus subsidit sub undis morâ, urinatoriæ arti attribuebāt alii, alii alibi emersisse arbitrati, periculi suspicionem non alebant. At vergente in occasum sole, quærunt, inclamant Paulum, sed surdum elementū clamori tantùm immurmurans fluctuum ad littus allapsu, Paulum non reddidit. Post sex circiter horas fluminis ima perérrando, inventum aquis ebrium cadaver in continentem evolvunt. Tetigit amantes animos illa olim charissimi condiscipuli imago, subiit animo Thaumaturgam Virginem ex Aula Claromontis devocare; procumbunt in genua, heroicā fiduciā, de potestate Mariæ piè præsumentes, vitam impetrant mortuo, concussum enim motu violento cadaver, ructu frequenti fudit aquam; sensim intepuit, incaluit, & vivit, qui vixerat. Beneficium in celebres Mariæ memorias à Lovicensibus relatum Anno 1597. En MARIA clementi vultu respicit, & animat. Itaque asserente D. Bonaventura in Speculo cap: 3. *MARIA dicitur Mare propter affluentiam & copiam gratiarum, unde scriptum est* Eccles: 1. *Omnia flumina intrant in mare; dum omnia charismata Sanctorū intrant in MARIAM. Quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam capta gratia ad omnes defluxit; unde ipsa optimè dicere potest illud* Eccles: 24. *In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis SPES VITÆ, & virtutis.*

In aquis mersus revivicit.

D. Bonaventura.

Simile in Insula sub Zvvierzyniec.

41. ADhuc Vistulæ profunda rimare calame! produc trophæa MARIæ, quibus Aram suam urbemque Cracoviam coronat. *Albertus Krupá* ad suburbanum Cracoviæ, *Zwierzyniec* dicitur, infirma manu regens liburnam, excussis fluctibus, horis quatuor bibit frigidam. Audet, præsumitque Mariam invocare Marita, decernit peregrinationem ad Templa Mariæ, & attonita urbe Cracoviæ redivivum accipit Anno 1598.

Simile ad Arcem Cracoviensem.

42. ALbertum *Czekay* Alberto subnectimus. Vistulam ad clivū Vavelli collis, quem Cracoviensis Arx coronat, carina subjugabat; turbine dejectus, manuum remigio littus appetebat, ite-

rum at-

rum atque iterum retrusus, inimicâ vi aquæ haustus, in arena reclinatus, inventus, quos in vivis charos habuit, amantes, & mortuus expertus est; hi pias curas precesque ad Divam Claromontanam tulerunt, vitam mortuo ad Aram Matris viventium exorando, simplex ruditas, & nil nisi non peccare gnara, reducem animam apud Mariam meruit. Vivum ad Aram miserunt Anno 1644.

Mersus puer in Rudavva ad Cracoviam.

43. ET Rudawa (fluvius ad australem plagam alluens, suburbana Gracoviæ) animanda MARIÆ reddit funera. Ad crepidinem pusio vagabundus *Annæ Porębska* Civis Cracoviensis Filius, decidit & suffocatus est. Serò repertum pusillum cadaver; Filij umbrâ Mater ulnis excipiês, ac in genua procubês, meliori Matri Mariæ cum lacrymis offert, si viveret ad Aram in Claro monte sistendum: merito fiduciæ restituta in parvulo solatia recognovit mater cum testibus Anno 1638. 26. Iulij. Quæ interventu meritorum suorum vitam temporalem exorat, & impetrat, & ad ætenâ promovere non cessat. Audi, quid Petrus Comestor afferat: *Sicut per illam accepimus gratiam vitæ, quæ nunc est, itâ per illam habemus spem vitæ quæ futura est, & habituri sumus fructum gloriæ, quæ semper duratura est.*

Petrus Comestor.

Sub Mogilá in Vistula mersa mulier.

44. DE *Mogilá* est, quod subnecto (de pago sic dicto ad mille passus Gracoviâ est sortitus nomen à vicino tumulo, qui more gentilium *Vandæ* Craci filiæ olim Poloniæ Reginæ superjectus incubat) mulier absente remige deducêdo in adversum littus G. D. *Lesiewski*, impigram, at infirmam obtulit operam Liburna propellentibus ventis huc & illuc liberè vaga non tulit utrumque. G. D. Lesiewski cum decumano vitæ discrimine luctatus inter procellâ enatavit, mulier mersa à piscatoribus vix mortua inventa, à vicinis miserationem, & quale quis potuit præstare, habuit obsequium. Amica quædam defunctæ *Sophia*, cùm alii de funere cogitant, vitam reparare meditabatur. Itaquè Divam Claromontanam implorat, redivivam ad eius Aram sistere voto pacta; vota votis amici junxerunt. & ecce mulier oscitanti similis erigitur, vivitque. In Tabulas gratiarum MARIÆ relatum, Anno 1633. 8. Iulij.

Sub Zakročim puella mersa vivit.

45. IN pusillo corpore magnum vidit prodigium Annus 1596. Sub Oppido *Zakročim* ad ripâ Vistulæ, ludebat puella, quam abrupti littoris gleba traxit in ruinam, mersitque. Mater *Sophiam* (hoc puellæ nomen) quærens, cadaver offendit tumens Vistulâ. Lacrymis

lachrymis tepentibus perfusam, ad Aram Imaginis Thaumaturgæ in Claro Monte, despondet, & congratulantibus vicinis, acceptum à Maria beneficium, renatam habet.

Sub Warka mater cum filio mersa revixit.

46. DIvisum, in matrem, filiumque, miraculum seculi præcedentis est. Mulier quædam Sophia nomine, non procul à *Warká* cum filio, imperitâ manu lembum per Vistulæ fluctus regebant; excussi mersi, tribus horis errante per aquas marito, absque anima tumentes aquis reperti, Claro nôtanæ Virgin votis oblati, in frigida hospitia, stupente natura, reduces animas susceperunt. Supplex mapale ad Aram Mariæ, miraculû dixit, & gratias Anno 1593. 20. Maij. Quis obstupescens non exclamet cum Lactâ Ileo Doctore: *O admirandam, & omni honore dignissimam Virginem! ô Feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, MARIAM.*

D. Bernard. Homilia 2. super Missus est.

Mersa glacieq quassata puella resuscitatur.

47 IN unam classem commeant & in alijs fluminibus lecta magnalia, mortuos vivificantis MARIæ Agnes, Matthiæ Siedlecki, & Annæ, de Skwierniewice filia, flumen domui vicinum resolutâ stridens glacie calcans, absorpta, glacieq; pressa, profluentis impetum sequebatur. Matthias Kitá (sic vicino nomen) ad opem ferendam clamore evocavit viciniâ, quæ convolans vidit majus periculû conatibus humanis. Beneficiû visa est præstitisse undarû vis, quæ in dumeto littori vicino funus exposuit, aggere glaciei tumulatum. Calentibus parentum, amicorumq; lacrymis, calore vitali non restituto, M. D. *Ioannes Mielecki* Capitaneus Skwierniewicensis funeris spectator, misertus parentû orbitatem, Divæ Virgini Claromontanæ, glacie quassatum, livensq, cadaver despôdet: quanti meriti, fiduciæq; in curas Marianas projectæ, vir fuerit, vita puellæ restituta probavit Anno 1622.

In piscina mersa vitam resumit.

48. TRadidit nobis exemplum venerabile, liberalis vitæ Mater MARIA in quadrima filia *Petri Mielcarz* de *Kielczyglowy*. Ad piscinæ crepidinê acclinis, prensando florem lapsa in aquas interijt. Sat multò pôst G. D. *Nicolaus Vleyski* transiens, vestis advertit summam fimbriam innatare: protrahit in aggerem piscinæ cadaver, vocatisq; reddit Parentibus. Luctus humano solatio major videri potuit; temperavit illû memorati G. D. Nicolai Vleyski singularis, in Mariæ meritis collocata, fiducia, quam objecit mœstis Parentib⁹, svasitq, Matrem vitæ Mariam, è Clari Montis Aula invocandam.

O

candam. Vota ſua parentū votis addidit, Mariam appellando; quo factum, ut cum reduce vita puellæ ſolatia quoq; deplorata parentū reviviſcerent. Recognitum ad Aram MARIÆ Anno 1658.

49. NEapoli puella in lacū ædibus vicinū prolapſa, & ampliùs horis duabus inanimis, Marianis hujus loci liminibus devota viſitationis propoſito, animā exulē ſuſcepit. Relatū in Mariæ Faſtos Annó 1598. 18. Auguſti. Vbiq; & quotidie morimur, quia ſerpentinū virus bibimus. Dulcorat amarorē ejus MARIA, & hanc peſtem vitali gratiæ ſuæ latice tēperat. Appellemus eam cū Mellifluo Bernardo: *Loquere Domina quia audit Filius tuus, & quæcunq; petieris, impetrabis. Invoca nomen ejus bonum ſuper nos, ut curemur à vetuſta lepra hac carnis & ſpiritûs. Exurge virus hoc mortiferū exinanitura, quod de pomi ſui reliquijs Eva nobis propinavit, quando ſucci noxialis guſtu ebriata eſt, & reliquias dimiſit parvulis ſuis. Vtinam poculum ſuum ebria illa totum ebibiſſet, non item in nos affudiſſet.*

D. Bernardus in Deprecat: ad B. V. M.

50. GRatijs ad MARIÆ Gynæceum lectis, & Narciſſus jungitur. *Michaëlis Flanth* parvulus è laci crepidine formam ſuam contēplatus, cùm in imagine ſuæ complexū ruit, facili caſu extinctus eſt. Excipiunt rigefactū mortis gelu parentes Ad Thaumaturgam Claromontanæ Virginis Imaginem offerunt, & ſuæ religionis inopinatum meritū habent vitam filij Anno Domini 1598 19. Maij, Tabulis Marianis illatum.

Simile in puero.

51. ET qui Marianæ beneficentiæ magnitudinē intellectûs ambitu non complectuntur, miracula capiunt *Alberti Frankowicz* aliquot hebdomadarum puſio, à matre ad hortenſes operas profecta, relictus in balneo, ebrius calida, vomuit animam. Mater funus inventum lacrymis lavit. Mariam è Clari Montis Aula ſupplicibus invocat precibus, votivam peregrinationem pacta: quæ extemporaneo prodigio, filio vitam, matri in filij vita ſolatia renata, largita eſt. Anno 1598. 20 Maij.

Infans merſus in balneo vivit

51. MAjus iterum Marianam Clari Montis Aram, coronat florida ætate, ab aquarum profundo ſinu, poſt mortem renaſcente. Parvulus triennis honeſtorum Parentum de Villa Krawarz Diſtrictûs Oppavienſis torrentem tranſvadere molitus, tractus in foveā, ejectus deindè profluētis dorſo, per graviores caſus inanimis ferebatur Pater excepit in continentē modicū cadaver, ſubmiſſisq; genibus Mariam Claromontanā appellavit *Sanctiſſima Virgo* (verba deſūpta ex Archivo recito) *multa Tu præſtas beneficia ad Te confugientibus, indignus oro, digneris nunc mæſto parenti ſolatiū afferre, effice ut hic meus filius ad vitam revocatus vivat!*

Ex Sileſia ſimile relatum.

Audijt MARIA quæ idipſum ut à Cliente vocaretur, fecit; vitam filio dedit, cujus umbram in argento cælatam ſupplex parens ad Aram appendit, Anno 1620. 11, Maij. Intueamini in exemplis. Imò (cum lactimelleo Doctore loquor) *Altiùs intueamini quanto devotionis affectu, à nobis eam voluerit honorari Deus, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens, MARIA.*

S. Bernard: Serm: in Nativ: B. M.

53 IN profluente *Rudáwá* ad mœnia Cracoviæ, Civis Cracovienſis filia captans ad ripam flores merſa aquis ad vitæ nauſeam impleta, ſuffocata, præceps per cataractas in molarem rotam delata, per horam non comparuit, inter palos hærens in fovea. Inventa ob rotæ molaris pondus protrahi non potuit. Siſtitur cataracta, machina difficili cardine motâ, reddidit cadaver miſerè laxatis, diſtractiſque membrorum compagibus deforme, grande tormentum parentibus; Occidente jam ſole, miraculo debebat colluſtrari à Diva Claromontana, Cracovia. Offert ad ejus Aram puellā mater, cum votiva gratitudine, & poſt ſolidum horarum octo ſpatium, ſtupente ad prodigij magnitudinem Cracovia, vivam recipit. In Acta relatum Anno 1578.

In Rudavva ad Cracoviā puella merſa.

54 ALia domi naufraga, in dolio domeſticis uſibus aquâ impleto, in ſubmontana civitate Kenty, ſeroque inventa inanimis, dum parentes apud Divam Claromontanam caſum queruntur, peregrinationem voto pacti, vitam recepit Anno 1633.

Domi in eq quæ doli naufraga.

55. IN oppido Chęciny, (eſt marmoribus celebris locus) puella rediviva ſiſtitur ad Aram Mariæ Anno 1600 In profunda palude vicina domui, puella merſa, mortuali torpebat gelu. Parentes devotione fiduciâque in Mariam projecta, meruerunt accipere reſuſcitatam. Meruiſtis innocentes animæ Mariæ innocentis favores, ſalutate *pulchræ dilectionis* Matrem, & cum Bonaventura dicite, veſtræ renatæ vitæ, Auroram exorientem adorantes:

In Checiny ſimile.

Salve lux fidelium fulgens ùt Aurora,
Quæ es ſupra lilium pulchra & decora,
Omne quod eſt noxium tolle ſinè mora,
Et DEI auxilium pro nobis implora
ô MARIA!

D. Bonavent.

In Bzura mersus, & vitâ donat⁹.

56. HIc vitæ portum invenit & Vir Nobilis *Samuel Witkowſki*, Redux è caſtris latè inundantem fluvium *Bzura* ſub *Sochaczew* fidens equo riſu pertinaci ſuperare conabatur. Excuſſus ab equo, ad milliaris quadrantem raptabatur procella; inventum inanimem, & Divæ commendatum familiares redivivum ſalutarunt Anno 1628. Menſe Auguſto cum votis ſupplex adoravit.

Simile.

57. NOn abſimile diſcrimen, ſimilem habuit favorem MARIÆ *Gregorius de Zborowiec* Vniejovienſis merſus in aquis per ima fluminis tribus horis vagus, tandem ejectus in aridam lacrymiſque amicorum exceptus, ut ferventi devotione *Mariæ*, cum decreta ad Claromontanam Aulam peregrinatione recommēdatus eſt, vivit vitæ beneficium in faſtis Parthenijs teſtatus, Anno 598. Magna eſt gratia Mariæ, quæ mundum mundavit, hanc invenit, quam nos perdidimus. Adſtruit Angelus: *Inveniſti gratiam apud* DEUM. Optimè Chryſologus: *Hæc eſt gratia, quæ dedit cœlis gloriā, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam; Hanc gratiam detulit Angelus accepit Virgo, ſalutem ſeculis reddituræ.*

Petri Chryſologus Sermone 143.

CAPUT VI.

Aëre peſtifero contacti, ac Epidemiæ lue laborantes, patrocinio Mariæ, vitæ diſcrimina evadunt.

Lib: 12 de Laudibus B. V. M.

In peſte Cracoviæ ſalv⁹.

58. SIquidem Cupreſſus odoris violenti arbor, nidorem peſtilentialem arcet ùt teſtatur Plinius lib: 13. cap: 1. & Rychardus à S. Laurentio, MARIAM Cupreſſo comparans inquit, quod *Arbor eſt medicinalis, & medetur corporibus*, non mirum, quod Cupreſſina Domus Nazareæ Menſa virulentam peſtis violentiam propulſet: In Exemplis res eſt Cracoviam latè miſcens funeribus, & Perilluſtrem & Adm: R D. *Adamum Szyporwſki* involvit. Contracti mali ſigna jam circumferebat, quæ incapacia remedij letale vitæ periculum prodiderant. *Ad Cupreſſum* in Monte hoc *Mariam* recurſum eſt, quæ medicinali virtute repurgatis plagis peſtilentialibus, extra periculū conſtituit ſupplicem. Autographo recognitum.

In peſte de vita periclitati.

59. EAdem malignitas N. *Ioannem Łukowſki* corripuit cum Germano fratre ſtigmata fatalia prodebant periculum vitæ; ut primum hoc adacti, ſupplices Mariæ fiunt, ædem Claromontanā inviſe-

inviſere polliciti, contumax virus in corporibus impune graſſatum, extinctum eſt. Quàm verum eſt ô MARIA (quod ùt inquit Damaſcenus) *Tuum in Cœlum aſcenſum impuri atque in àëre verſantes ſpiritus perhorreſcunt, tuo tranſitu aër benedicitur, ſuperior æther ſanctitate afficitur* ô MARIA!

D. Damaſci Orat: de dormit: B. M.

Simile.

60. NOn mirum quòd inter medias mortes ſalvum & incolumem ſe ſe admiratus eſt Famatus D. *Ioannes Rußkowſki* Civis de Oppido Kenty, quia peſtium omniū Repurgatricē MARIAM, votis ſuis ad Montem clarum nuncupatis ſibi fecit propitiam. Anno D. 1677. Filium Cracovia tunc peſte fœdatâ, reducem domo excepit. Paulò pòſt mortuum ſuis ſepelivit manibus. In alios domeſticos partitæ mortes, in conſortiū contagionis, & Hoſpitem traxerunt. Alijs tribus filijs, dum in ejus oculis exhalarent animas, parentavit. Tres filias eadem clades, ex familia quæ domeſticis obſequijs operam navabat, itidem tres perſonas proſtravit. In Oppidum deinde, eadem hinc lues dimanavit. Quod ſolus ſalvus & integer ſit ſervatus, huic loco ſe debere profeſſus eſt, & ſubſcripſit Anno 1677. 12. Iulij. Argenteum munuſculum gratæ mentis ſymbolum ad Aram appendit. Teſtes gratiæ Archivum habet.

Dominus cū familia, & ſubditis in peſtilentia.

61. PErmagnum in acri peſtilentia beneficium expertus, voto ad Montem clarum ſervatus, Gener: D. *Andreas Oyrzynſki*, ejuſdem reddendi negligentiā, ultricem iterum expertus eſt, Anno D. 1605. aëris peſtiferi luem. Nutrix infantis filiæ, quæ mortifero ubere lac propinavit, & famuli tres extincti, in Villa nonaginta ſubditi eadem lue ſublati, commonefecerunt gratitudinis, ad hanc Aram debitæ. Appellat repetitis propoſitis MARIAM, & tantæ calamitatis, in familiam ſubditoſq; replicatæ, medicam expertus eſt, Ad amplitudinem miraculi, filiæ, quæ peſtilens lac ſuxerat, infirmitas ſervata eſt Vota reddituri parentes filiam in conducto reliquerant, ipſi ſupplices ad Aram MARIæ pro ſalute ejus Numinis clementiam exorantes; gratitudine novum meruerunt prodigium, nam ſub Sacrificium Miſſæ deformem vermium glomum ejecit puella, quæ anno medio fatiſcebat. Repetitæ gratiarum actiones Anno D. 1606, 19. Iulij.

Febres peſtilentiales.

62. QVid in Generoſo D. *Samuele Kaluſki*, Vice-Iudice Livenſi non auſa plaga peſtilens? hæc tamen uno invocationis MARIÆ amuleto propulſata eſt. Quartana hebdomadis octo, ter-

tianâ novem, quotidianâ tredecim laborans, miſeram vitam trahebat; *in* gremio maritæ proles animam exhalat, plena peſtilentialibus ulceribus, ſecuta nutrix fatum lactentis, auxit periculum. Relictâ ſede in qua liberiûs ſæviebat peſtis, cum tribus filijs, conjuge & famulo ſubijt mapale, ſecura exiſtimans omnia, in prædium vicinũ commeat, ubi febribus terrefactus patiebatur potius vitam, non vixit. Vnum erat in his caſibus funeſtis remedium, invocatio Divæ Claromontanæ, cui impenſam devotionem ſpondebant; ejus merito tribuendum, quòd extenuatis artubus ſex menſium cõtinuò in morbis variis tormento vivat. Tantæ gratiæ Imaginem ipſe Cliens gratus ad Aram Mariæ ſupplex appendit Anno 1620. 29 Iulij.

Simile.

63. NObilis Matrona *Vrſula Dorothea Lewina* cum marito olim apud Sereniſſimos Poloniæ Reges, Sigiſmundum III. & Vladiſlaum IV. Architecto, Varſavia peſtem attulit in Oppidum Czeſtochowa, unâ hebdomadâ in Mariana Baſilica devotionibus intentâ, trans limites in Tarnowskie Gory (Latinis Tarnomontopolim dicere licet) Civitatem argenteis mineralibus percelebrem movit. Hic malum crudele virus exeruit febris peſtilens, alternáque vice gelidus membrorum torpor, ad vitæ faſtidia proceſſit; eadem lue fœdata vicinia, ſenſit, qualem in gremium hoſpitem ſuſcepit. Cliens Mariæ, dedita ſuæ vitæ artifex fuit identidem Divam Claromontanam appellans. Adfuit Numen Mariæ, ad cujus præſentiam, dum ſternutationes repetitæ leniter concutiunt corpus, mortualem torporem excuſſerunt. Relatæ gratiæ Anno 1663. 8. Maij.

In peſtis medio incolumis.

64. ILluſtriùs Divæ noſtræ gratiarum inſignibus, quàm Regiorum Diadematum apicibus, coronatur, Regum Coronatrix, Vrbs Cracovia. De morte, morbis, hic exempla ſpargũtur. Nunc eſt ab aëris extincta malignitate. *Lucas Lewartowicz* Cracovienſis Aurifaber, totam urbem abſumente peſtilentiâ, ſpectavit cum ſuo, conjugis, liberorumque periculo, domum mortibus impletam. Et jam puſtulas, vomicáſque letales induta conjux, moriebatur. Prævenit ſummum diſcrimen pacto Claromontanæ peregrinationis voto, à quo medicinam, & ſalutis amuleta dedit Maria. Gratitudinẽ appenſo ad Aram Tutanæ ſuæ anathemate teſtatus eſt. An. 1613.

Domus integra in peſte circumque.

65. HÆc eadem Marianæ gratiæ diapaſmata, Civis Caliſſiẽſis Domum integram ab ingluvie mortis præſervârunt, eò

quòd

quòd Præſidem, Præſidiumq; ſibi votis conciliaverint Divam Claromontanã Virginem. Stupebant miſerabiles vaſtatæ Civitatis reliquiæ, unius domûs immunitatem, laudabantq; Mariæ protegentis clementiam, dato celebri teſtimonio de conſervatione miraculoſa, Anno Salutis 1608. 9 Maij.

Plures in eadem lue ſervantur.

66. SImile in Tabulas gratiarum MARIÆ dedit beneficium *Ioannes Piſkorz*, Civis Krepicenſis Anno 1623. 23 Iulij. Peſtis abſumebat Oppidum jamq; domum ejus invadens, duos è familiaribus ſuſtulit. Ex illo incendio fugit Ioannes. Fuga erat ad Montem Clarum, ad Mariam, adlectis ad votorum ſocietatem majoribus, & minorẽnibus, qui inter medias mortes verſati, peſtifero commercio valetudinem non commacularunt. Amemus ô Clientes, noſtram ſecuritatẽ, & amando quæramus. In Maria eſt, & per Mariam. Ad Te ergo, peſtium Repurgatrix Maria ſupplices recurrimus, vulnera animarũ noſtrarũ pandimus; & qui in peccatorũ peſtibus gemimus, à Te ſanitatis beneficiũ imploramus, ô Salus noſtra MARIA. Meam in hac peſte confitens miſeriã, Tuam appello miſericordiã, exemplo Anſelmi Tui factus Tibi ſupplex. *Regina Angelorum, Domina mundi, Mater ejus, qui mundat mundum, confiteor quia cor meum nimiũ eſt immundum, ut meritò erubeſcat in tam mundam intendere, nec dignè poſſit tam mundam intueri.*

D. Anſelmus.

67. CIvitatem *Stawiſzyn* ejuſq; territorium fœdavit aura peſtilens, quâ paſſim afflati, ſenſibus viribusq; ſtupebant; & qui mori cœperant, pro mortuis efferebantur. Idem contigit cum *Franciſco Fularycz* Patricio Poſnanienſi. Tractus in viciniam planitiem, tribus diebus mortuo ſimillimus jacuit, nemine contagij metu manus admovente ad funerale obſequium. Familiares nonnulli ſepoſita formidine venerunt, cadaver tumulo reddituri: unco trahũt in foveam, ſed rigente toto corpore, in ſolis pedum ſummis digitis vitæ veſtigium explorant; ideoq; retractis ab ultimo obſequio manibus, de vita cogitant. Conſilium erat Claromontanæ peregrinationi devovere moribundum. Contribules vota votis cumulãt, & calentem à Matre Charitatis Maria, vitæ radium impetrant, quo tactum præmortuum cadaver, vitæ, ſenſuumq; vigorem induit. Feſtinavit ad Aram Mariæ vota, oblato totius Civitatis gratiæ teſtimonio. Anno Domini 1633.

Peſtilentiâ rigefactus, pro mortuo derelictus ſanitati redditur.

68. PEſtis Vratiſlaviam populata Anno Domini 1506 quendam Civium proſtravit, qui conſueto Catholicis more Sacramentis

Anno Domini 1506.

mentis

mentis munitus, oblato in manum ſacro Cereo ad mortem diſponebatur. Aſtitit morienti ſenecio amictus candidâ veſte, & hæc ad moribundum: *Fac votum peregrinationis Claromontanæ, & Maria tibi vitæ prolongationem impetrabit* Paruit: ſuſpirijs, & gemitu piam voluntatem teſtatus, obdormivit. Interea malignum apoſthema diffluxit, exemptumq; periculo, Aris Marianis ſupplicem ſanum reddidit. Verum eſt Mantuani, quòd MARIA

Bapt: Mant.

Ante preces etiam nondum obſecrata favores
Donat; & ad miſeros Maternas explicat ulnas.

Binæ eiuſdē nominis mulieres in peſte ſervātur

69, PRopitia ſuo ſexui MARIA, in eadem lue ſalvavit Anno D. 1606 *Magdalenam Woydilina* de *Kokow* a *Borek*; & Anno ſequenti 1607 nominis ejuſdem *Magdalenam* de *Kolcin*: dum enim cœli gravioris intemperie premerentur, ad Montis Clari Templa vota ſpondent, ſolvuntque, beneficij memoriam recognoſcentes. Quamdiu vivimus, venenum bibimus, præmatura clade caſuri, niſi Maria, inimica nobis ad ſuos triumphos cogat elementa. Optimè D. Chryſologus: *Per orationem fit Moyſes Pharaonis Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi omnia mandat elementa; per orationem Virgo fit univerſæ tanquam Dea creaturæ.*

Petr9 Chryſologus.

Plures gratiæ.

70. ET è medio Epidemiæ Clientes legit MARIA, quos ſalute donet. N. Laurentium Przyłęcki videndi, audiendi, & loquendi facultate privavit hæc peſtilens affectio. Ad Divam noſtrā votis itum eſt, & illico filius loqui velle, proloqui deinde, demum loqui incipit. Votorum ſolvendorum neglectus, difficultatem loquendi anno integro cauſavit. Serò licet præſtitutum pridem iter proſequuntur. Ventum eſt ad *Suleiow*, (illac iter erat) cùm Laurentius ſacro Colli vicinior, perfectiùs videre, audire acutiùs, loqui expreſſiùs, adhuc non ſua valetudo, roborari ſolidiùs incipit, ſtupefactis ad replicata in filio miracula, parentibus Agnovêre numeroſi viæ comites præſens MARIÆ Numen vivificum, gratiæque tum domi, tum in itinere acceptæ, authoritate ſua, teſtimonium dederunt.

Cum coniuge & liberis à morte præſervatur.

71. COrnelius *Lipnicki* Civis Wislicenſis, in eius malignitate acri tormento, cum liberis, & conjuge anno integro fatiſcebat Fruſtratus humanis remedijs, apud Divam Virginem Claromontanam obtinuit, ut ejuſdem patrocinio, plures in hac acerbitate gementes relevarentur. Recognitæ, actæq; gratiæ Anno Domini 1598. 1. Maij.

72. Cru-

In peſte valetudinem, & viſûs gratiam conſequitur.

72 CRudeliùs ſævijt in filium *Ioannis Zeromſki Suleiovienſem*. Poſt ſenſuum cladem viriúmque, expugnatâ animi arce, rationem confudit. Hoc erat beneficium miſero, ſedata mentis afflictiſſimæ tempeſtate, intervalla ad liberum rationis uſum habere. Quapropter opportunè uſus beneficio, ſpondet viſitationem Ædis Virgineæ, atq; ſtupentibus domeſticis, ſubitâ valetudine donatus, viſûs quoquè gratiam, veluti ſub luce dubia inchoatam, demum, præſens cùm patronam adorat, plena claritate perfectam recepit. Oculis Illuſtrium perſonarum ſubiectum ad Aram Mariæ beneficium, teſtimonium habuit Anno 1624. 10. Iunij.

Noſtrûm oblivisci non poteſt Maria.

73 ECce opitulandi promptitudinem non impedit ad filij dexteram in Cœlis collocatio, quam nobis univit Materni amoris, & comparis naturæ cognatio; hinc rectè Petrus Damiani appellat Mariam: *Non convenit tantæ miſericordiæ tantam miſeriam oblivisci, quia etſi ſubtrahit gloria, revocat natura; non enim ita memorari Iuſtitiæ Dei ſolius, ut miſericordiam non habeas, atquè ita es impaſſibilis, ut ſis incompaſſibilis. ô MARIA.*

Petrus Damian.

CAPVT VII.

Mons clarus, Vrbes integræ, Oppida, Pagi, ſingulari MARIÆ *patrocinio à lue peſtifera præſervantur.*

Mons Clarus peſte circūdatus.

74 EAdem hoſtilitas peſtifera inſedit Clari Montis territorium, Anno 1622. Ab vrbe Cracovia per totam Poloniam proſerpens *Klobucium, Krepicium, Czeſtochoviam*, Oppida viciniora, pagóſque involvit ſubitaneis cladibus, immediatè ſequentibus annis 1623. & 1624. nihilò mitiùs agens in ſubiectam ad Clari Montis Clivum villam deſcendens, intra ſepta Monaſterij ſe inſinuavit, quòd tamen contagioſa calamitas, nec à religioſorum cætu, nec à familia quemquam abſumpſerit, non curis, aut fortuito caſui, ſed ſolius MARIÆ, protectioni, communi omnium ſenſu eſt attributum; quam luculentiùs exploratam habuit Mons Clarus Anno 1625. cùm iterum ſubiectus pagus, quinque Menſes eadem atrocitate in ſuperſtites reliquias deſæviret.

Peſte laborantes Montem Clarum viſitant.

75 ATquè ideò (ut ſemper facilis inter pericula ſuſpicio) fama fuit, omnes quotquot intra Monaſterij ſepta claudebantur, hâc func-

P

funeſtâ populatione ſublatos: Certè ponè ſeqventibus annis hoc fieri potuiſſe manifeſtè patebat, quando ex tota Polonia votorum ſolvendorum causâ, continuus populorum confluxus & refluxus templum, & mœnia implebat; illorum pars erat maxima, qui ſecum illatam peſtem primo in Pœnitentiæ ſacro Tribunali Confeſſoribus propalabant; alij ſe ex recentiſſimæ peſtis contagione ob vitam conſervandam ad hoc Propitiatorium confugiſſe. Exhorruit Mons Clarus ad illam temerariè piam peregrinorum audaciam, ſed propulſarûnt metum omnem aperta miracula, quando qui debiles, ac langvidi leſifera apoſthemata tulerunt, perfectâ ſanitate donati, canentes MARIÆ miſericordias, domum revertebantur. Alij perculſi Mariani Numinis præſentiâ palam audacis religionis veniam precabantur, quòd licet prodentibus ſignis exterioribus ſua nôſſent pericula, in medium frequentis populi, ac Mariani Sacrarij peſtem inferre præſumpſiſſent.

Apoſte liberatorum multitudo hic vota ſolvit.

76 SVperavit annorum præcedentium calamitatem ſupra Milleſimum ſexcenteſimum trigeſimus, quo idem peſtilens incendium totam Poloniam abſumere videbatur. In publicas actorum tabulas relatam memoriam ſecuta anno immediatè ſequenti 1631. populorum gratitudo, quorum numerus propè innumerabilis Montem ſacrum, Aramquè ſalutis coronabat. A triumphali Reſurrectionis Dominicæ Solennitate, uſquè ad omnium Sanctorum feſtivitatem, quo tempore annuis peregrinationibus Aula Virginea aſſolet frequentiùs impleri, adeò copioſa diverſi ſtatûs, conditionis, dignitatiſque perſonarum agmina, non in Centurias, at in legiones coaleſcentia, ſolebant confluere; ut certò conſtiterit, ab immemorabili tempore nunquam tantam ſupplicis populi multitudinem cum votis ad ſedis Marianæ limina confugiſſe, uno die ad 12, nonnunquam ad 15. nonnunquam ad 20. Millia populorum cenſebantur, qui Divæ noſtræ interventu, inter medios aggeres cadaverum, mortèſque vitam ſervatam precario profeſſi in Archivo generalem, unde hac deſumpta referuntur, gratitudinis memoriam reliquerunt.

Publicæ gratiarum actiones per Oratores Eccleſiaſticos.

77 QVo fit ut unaquæquè Civitas Oppidum in ſuo comitatu habeat, præter alios complures, peculiarem, aut è ſeculari, aut Regulari Clero ſocium, qui veluti omnium cordium Atlas, & affectuum interpres, ad Aram Magnæ Matris, liberali præconio Marianam clementiam dilaudans, gratias aut acceptas refert, aut immeritas precatur. Ab alijs Civitatibus, ut innocentiſſimæ Virginis favo-

rem,

rem, innocentum ora decantent, adornatæ apparatu comico, puerorum ad Magnificentiam theatralem, perſonæ, cum Rythmis idiomate patrio compoſitis ſiſtuntur, cum deportatis mortis ſuperatæ & peſtis extirpatæ trophæis.

78 PRoſtant Civitatum anathemata ab hac clade ſervatarum: Anno 1678. quo ab Vrbe Cracovia per Poloniam ſerpens inviſibilis plagæ hoſtilitas, plurimos abſumpſit. Adfuit in ſupplicatione ſolenni Pinczovia, Lovicium, Olborz, & complura alia oppida, pagiquè MARIAM in peſte ſoſpitam, alia à peſte Præſervatricem recognoſcendo.

Civitates anathemata appendunt.

79 DVm hoc annorum aliquot calamitoſo curſu, Orbis noſter gemeret ſub virga furoris Domini, fœdatus graſſantis peſtilentiæ contage, ipſa Metropolis Cracovia veluti ſarcophagus, aut vorago mortis, totumq; territorium funeribus miſcebatur. Plurimi huic loco ſe debere vitam cùm publicè, tum privatim ſpontaneâ gratiarum relatione, & recognitione teſtati ſunt. Inevitabile, & adeo pernitioſum malum, & nonnullas Ruſſiæ partes populabatur Exhorruit Polonia, ad tot acervos cadaverum plurimis computatos hominum millibus, in ſuum gremium proiectos, attonita. Quapropter nonnulli Magnatum, ſancto ingenio, à devotione, & affectu erga Divam Odigitriam ſuæ, ſubditorumq; ſuorum vitæ conſilium capiebant, & auxilium. Integras Imaginum Noſtræ Imaginis centurias, viſitantes hunc locum aſportârunt; alij per internuntios hîc ad Sacræ Imaginis contactum conſecrari fecerunt, quæ pro iviolabili Clypeo Civitatibus, Oppidis, Pagis, Aulis, Mapalibus, foribus, aut parietibus affixa contra peſtilentiæ graſſantis mortiferas acies opponebantur. Dicant qui ſervati ſunt à Domina, & communi cladi, quæ tot millia populorum involuit, ſubtracti. Ad rei veritatem comprobandam, omiſſis aliunde pluribus Illuſtrium Virorum teſtimonijs, Authoritatem interpono Illuſtriſſimi D. D. Feliciani in Podhayce Potocki, Palatini Siradienſis, Sokalenſis, Ropczycenſis, & Kraſnoſlavenſis Gubernatoris, qui ingruentibus, & circùm ſuas ditiones graſſantibus à lue peſtifera vitæ ſubditorum diſcriminibus, in domibus hoc Amuletum, Odigitriæ Imaginis Simulacrum, affigi curavit, ſanctéque aſſeruit, in mea pluriumq; Nobilium præſentia Anno 678. in Sokal: hac Imagine præmunitas ſubditorum ſuorum domos à peſtilentia immunes extitiſſe. Tanti æſtimat Deus criminum juſtus vin-

Ad munimẽ contra peſtem Imagines Odigitriæ exponuntur.

dex, Matris ſuæ Divinæ merita, ut illorum reſpectu ſepoſitis ſuæ juſtitiæ armis, ad miſericordiam inclinetur. En latè Nomen beneficum, Nomen ſalutare, Nomen odoriferum MARIÆ diffunditur, quo contagio peſtilentialis abſumitur. Hoc implet mundum, & implendo à peſtibus mundat immundum. Aſſertorem B. Alanum audi. *Cujus Nomen præconatur mundus, niſi Virginis hujus? Et eleganter fama, & gloria Nominis ejus oleo effuſo comparatur. Oleum eſurientem reficit, ægrotantem ſanat, membra defatigata mitigat: Odorem parit, flammam nutrit; ſed & in laude Virginis reficimur, exemplo ejus ad virtutum medicamina invitamur, adverſitatibus feſſi ejus patientiâ recreamur, vita ejus formâ illuſtramur. Nominis fama diffunditur, & non ſolùm oleo, ſed & oleo effuſo Nomen ejus comparatur. Quiâ ſicut Oleum effuſum magis redolet; ſic quanto magis Nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloriâ augetur.*

B. Alanus.

CAPVT VIII.

Flammarum & Fulminum incendia compeſcit & extingvit MARIA.

Inter flammas illæſa nova fidei Alumna.

80 B*Enedicite ignis & æſtus Domino*, cui creata benedicunt omnia, cujus privilegio datum eſt Clientibus, inter ignes non uri, inter incendia non conſumi. Hoc prodigium eſt in *Sophia Pokrzywinſka*. In Civitate Pruſſiæ *Sukno* oriunda. Patrem Martinum, Matrem Margaritam habuit, utrumquè Anabaptiſtarum Hæreſis tenaciſſimũ, maledicti fruticis ſurculus benedictus, peſſimorum parentum proles Optima. Eo intùs impellente, qui ſpirat ubi vult, ad fidei Catholicæ cognitionem anhelabat, in qua à domeſticis obſequijs famulam habuit fidei Magiſtram, dum per otium furtivum licebat, amores fide inſinuantem. Adolevit cum tempore, maturuitque miraculo, par erga Deum, Deiq; Matrem devotio, argumentis magnalium, quæ interventu Sanctiſſimæ Matris ſuæ patrat in Claromonte benignum Numen, propagata, cujus ardorem ut ſalutaribus undis temperaret, profuga inſcijs parentibus ſacro baptiſmi latice luſtrata eſt: Quidquid in parentum, cognatorumquè affectibus amorum, aut odiorum erat, exortum eſt ad retrahendum à fide ſanctè obſtinatum Neophitæ animum; dúmque nihil conatus proficiunt, conſilium fuit, filiam veluti parricidalis flagitij ream, ad flammas, & cineres damnare. Parentes & cognati ipſi iudices, & carnifices, in pyram ingentem ponunt ligatam puellam, hoc uno nomine ream, quòd Catholicam, hoc

impi-

impiam ſcelere, quòd piam in Deum, Virginem Matrem, & Cœlites, quibus ſe impensâ religione devovebat, ſacra Domûs Claromontanæ limina inviſere decernens in animo. Succenditur feralis rogus, ebullit flamma, incineratio puellæ, aut præfocati præuſtiquè corporis litio expectatur. Sed novum ſeculo noſtro Phœnicem ad cinerem damnatum, abſumpta pyra reddit; vivit puella, Divæ Claromontanæ ſæpiùs invocatæ ſuam liberationem attribuens. Stupefacti parentes, non ſunt auſi tollendæ filiæ quærere ſupplicia, cui Mariam & elementa propitia viderunt. Vt tamen Sophia Cliens MARIÆ novo initiaretur ſigno, ſtigma in latere inuſtum, illuſtris prodigij veſtigium retinuit. Permultis deinde perſecutionibus, & morbis divexata, vitioquè lingvæ laborans, ejuſdem Virginis Claromontanæ ope abſoluta, expeditaque loquendi facultate donata, Miraculi memoriam, quo Pruſſia, & Ruſſia, vicinæqvè Provinciæ inclaruerunt; in faſtos tulit Anno 1621. 15. Maij cum illuſtrium perſonarum teſtimonijs. Saluto Te ô MARIA tantorum prodigiorum opifex cum D. Ephræm. *Ave ſpes omnium proborum adverſis caſibus afflictorum, dulce converſorum ſolamen, & præſidium*: At Liberatricem ab incendio gratiam, quomodo miſer aut invocabo aut impetrabo? Dicam Nazianzeni votum ſecutus, & ſtylum, ad Te ô MARIA.

D. Ephræm.

--- Tuere me atquè ab æterno aſſere
Igne & tenebris, per fidem quâ juſtior
Sum factus, & per gratiam Tuam inclytam
Quâ nuſpiam ulla notior orbi fuit.

Gregor: Nazianz. in Tractatu de Chriſ: patiente

81 S*Eculum præcedens annum 1598. Divæ noſtræ miraculo illuſtrem proponit. Nobilis Viri *Chriſtophori Godzieſzewſki* domum flammarum vis involvit; tum rei familiari, tum perſonis periculum imminebat, viâ undiquè ad evadendum clauſa, fit cum ſuis Mariæ ſupplex, vota ad ejus Aram pollicitus. Et ſuam ſuorumq; incolumitatem huic loco ſe debere profitetur Anno quo ſupra.

Flammas & damna evadit.

82 HOc verò noſtris annis propinquius quod ſequitur. In prædio N. Viri *Petri Ochocki* Civis Cracovienſis ancilla cadentem in ſtratum ſcintillam aut contempſit, aut non advertit, donec in ſummos ædificiorum apices erumperet incendium. In deſperato caſu Prædij Dominus ex hoc loco MARIAM invocat, & Salvatricem expertus eſt. Recognitum Anno 1644.

Incendium compeſcitur.

83. Evi-

Mons Clar. inter incendia illæsus.

83 Evidentissimum MARIÆ in flammas imperium certè & Mons Clarus agnovit, integro cursu Obsidionis Sveticæ dum inter ignem Machinis balearibus fulminatum, veluti *Rubus ardens incombustus* apparuit, sed hæc ad suum locum referuntur. Quidni tuam imploremus umbram, dum urimur ô MARIA cum Seraphico Cliente. *Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris, expansio alarum Tuarum defendat nos à devorante ô MARIA?*

D. Bonav. in Psalt.

In Montem Clarum dæmones intorquentes fulmina.

84 ET in fulmina jus habet MARIA, quæ Tonantis Mater est. Agnovit Mons Clarus Anno 1621, & vidit R.P. Teretius seculo nostro Vir Apostolici spiritûs, dæmon enim visibili formâ nubes conglomerans, & contra aciem basilicæ dirigens, tonitruis & fulguribus äerem miscebat, jaculatus fulmina, quibus binas in turri columnas diffidit. Iterum anni ejusdem die 5. Augusti fulminibus prægnante caligine erepto ex oculis die, Montem involuens, immania damna moliebatur, attamen confugientibus ad Aram Mariæ Fratribus Numen ejus Machinationes dissipavit. Vlturus irritos conatus suos cruentus inveterator per maleficia immissus, rursus anno sequenti 1622. cum maledictis molitionum suarum architectis, à memorato Patre Teretio visus fulmina torquere in Sacellum Marianum, tectorum summitatibus insultans, at ubi turris per exorcismos à maleficijs repurgata est, à qua provolantem sæpiùs dæmonem Pater Teretius videbat; Mons Clarus Cœlum propitium habere cœpit, habetquè. Fulmen est Mariæ Nomen salvificum fulmini; quia ut Mellifluus Doctor ait: *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copiosam, sicut äereæ potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium.*

S. Bernardus

Fulmine læsus persanatur.

85 ANno 1560. 20. Maij. G.D. *Stanislai Chodowski* in *Chodow* propè *Klodawam* domum fulmen præceps involavit, & quotquot hypocausto claudebantur, prostravit. G.D. *Ioannes Boczkowski* letaliter sauciatus, præter foramen in extima veste, thoraceque quadratum, ad magnitudinem globi bombardini, in corpore duo vulnera in violaceum desinentia colorem, ad latitudinem auricularis excepit. Doloris acerbitate confusa mens ad Divam recurrit, habuitquè propitiam, nam sublevatus à terra, dum acriore ignis fulminei vredine præcoquitur, nuncupato ad visitationem Claromontanæ ædis voto, non tantum vitæ periculo, sed omni prorsus dolore absolvitur. Autographum quod fusiùs legitur, vota solvens, reliquit. Anno 1560 20. Maij.

86. Necessi-

Ictu fulminis prostratum relevat Maria.

86 NEcessitatibus beneficia, periculis miracula metimur. G.D. *Ioannes Miarnowski* de Miarnow, in cœtu convivantium ictus fulmine, diriguit. Dies quatuor in funerali strato absq; motu nutuq; decubuit, adhuc nonnihil superstite vita in calore & cordis palpitatione. Concusso corpore motu inopinato, vehementiori anhelitu cœpit laborare. Adest Curio, luctantem animam commendaturus superis, qui ab anima ad corpus curas detorquens, moribundum Divæ Claromontanæ devovet, atq; si cupito solatio potiretur, se itineris voto promissi comitem futurum despondet. Voti beneficio Ioannem vivere fecit, Virpius, supplicemque sistit ad Aram MARIÆ Anno 1654. 8. Septembris.

Ab ictu fulminis cæcitas, & uredines.

87 IN Viro quoquè Nobili *Gregorio Swieczki* de Swieczyn Magnus Mariæ favor enituit. Anno 1610. adustus igni fulmineo, sensuumquè facultate privatus. anno integro toleratam in oculis noctē, acriores uredines corpus depascentes ad vitæ fastidium, aliaque calamitatis tædia, loqui non potuit. Occurrit aliquando ægro Clari Montis recordatio, hic Divam gemitibus & suspirijs appellat, habétque benignam, quæ vitam robúrque pristinum extinctâ uredine restituit, oculis lucem, linguæ verba dedit, quibus beneficium recognosceret anno sequenti. 1611. Hoc dotale munus miserendi, quibuscunquè volet, accepit MARIA, cùm à Divinissima Triade eligeretur in sponsam, quandoquidem, (ut loquar cum Divo Bernardino tomo 3. serm: 11. art: 2. Cap: 3. de Assumpt: Virgin:) *Tota Trinitas uniformi & concordi voluntate inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam incommunicabilis charitatis, Cæli Reginam inattingibilis dignitatis, mundi Dominam impartiiabilis potestatis, Electorum omnium Genitricem piam, inexsiccabilis pietatis.*

D. Bernardi.

Fulmine prostrata persanatur.

88 ET mulieres beneficum Mariæ numen loqvuntur. Nobilis *Catharina Mierzenska* in Lublinensi Palatinatu cum famula ad Calentem focum sterit, quo tempore tonitrua äerem miscebant. Illapsum fulmen exanimata ancillâ, heram prostravit, & ademptâ facultate sensuum, vix spiritum reliquit superstitem. Quatriduo mortuæ simillima, demum remissa nonnihil vigoris vi, septem hebdomadas in immani tormento decumbens, suæ salutis auspex fuit. Divam Claromontanam imploravit, sensitque opportunam ejus medicinam quam extremo langvori medicorum studia conatúsque nec dabant, nec spondebant, miraculo vivens vota solvit Anno 1618. 7. Septembris.

89 Su-

Superiori simile.

89 SVper *Wloszczowa* ingravescens aëris intemperies, Anno 1646. fulmen in domum præcipitavit, vehementior vis nidorisque pestilens malignitas, Nobilem *Sophiam Przemianowska* tetigit, usúque sensuum penitùs privavit. Soror quæ non tentavit remedia, ut stupentem membris, & sensibus sororem persanaret: errans per studia medendi, speratisque solatijs frustrata, ad Divam Claromontanam vota tulit, fecitque germanam miraculi, salutisquè capacem per Mariam. Ambæ pro accepto beneficio gratæ, vota solvunt. Anno quo supra 20. Iunij Excellenter os aureum. *Non est fas, ô MARIA Te illum posse deserere, qui spem suam fiducialiter in te collocavit.*

D. Chrysost.

Ignis mercurialis extingvitur.

90 MErcurialis quoquè flammæ uredines extingvit MARIA, G. D. *Salomon Niezabitowski* Vir bellicosus vsque ad doloris, mortisque contemptum patiens, vulnus in sinistræ manus pollice ferebat. Temporis morâ sacri ignis incendium invalescens, per manum, totúmque brachium serpens, desperatam manus præcidendæ necessitatem fecit. A crudelibus Chirurgicæ consilijs, ad Mariam recurrit æger, decretâ visendæ Arcis Marianæ, in hoc loco, peregrinatione. Affudit Maria gratiæ rorem, qui depascentem flammam sopivit, extinxitque. Recognitum in Comitatu Lelovienfis Nobilitatis Anno 1614.

Immedicabilibus vulneribus & Mercurialibus ignibus medetur Maria.

91 NObilis *Petrus Malachowski* de Racieszyn aliquot globis bombardinis petitus, qui fractis ossibus, lacerato corpore, ruptis arterijs in profundis vulneribus hæserunt, à Chyrurgis intractabiles accedente ad ærumnarum cumulum hydrope, demum accensâ ignis Mercurialis flammâ, desperatus vel à morte beneficium expetebat, quæ vivendi, dolendique finem faceret. Peritorum fuerunt consilia, amburendæ aut præcidendæ dexteræ jacturâ, totius corporis salutem quærendam. Antevertit Crudelis decreti executionem Nobilis Matrona *Sophia Straszkowska*, ad Clarum Montem vota maturat, pro moribundo, & quidem feliciter. Adfuit medica manus Mariæ, quæ vulnera occulta reseravit; fluit cum tetra sanie morborum malignitas, sequuntur globi cruorem, demum pestilentiali uredine extinctâ, salus redonata est. Gratiæ redditæ pro gratia Anno 1626. 26. Maij. Quæ temperas exitiales ardores, extingve succensam peccatis DEI vindicis iram ô MARIA? nam (cum D. Petro Damiani omnibus fatendum est.) *Scio Domina quia amas nos amore invincibili, quos in Te, & per Te, Filius Tuus, & Deus Tuus, summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras*

Petrus Damiani.

ras iram Iudicis, cùm Iustitia virtus à præsentia Deitatis egreditur? in manibus Tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui tanta gratia concederetur ô MARIA?

CAPVT IX.

Febrium æstus malignos, temperat & extingvit MARIA.

92 MAlignos dixi, quo noveris vitæ discrimen immedicabile: Primum è flatûs prærogativa testimonium est. R. P. *Ferdinandi Wieniecki* Ord: S. Francisci Reformat: Conventus Leopoliensis. Ex itineris laboribus fractus, apud M. D. *Ioannem Korytko* Palatinum Visnensem, duodecim diebus & noctibus malignæ febris ignibus coquebatur. Hoc erat apud medicos miraculum, sic ardere & durare. Destituti à medicorum solatio curam gessit memoratus Senator, ad moribundi grabatum cum coniugè in genua prociduus, iam iam supremo langvore fatiscenti vitam à Diva Claromontana imploravit, impetravítque. Testimonium gratiæ in Mariæ fastos relatum cum attestatione M. D. Palatini cùm vota solveret ad Aram Cliens supplex. Rosa Medicinalis est MARIA, quæ febrium æstus restingvit, ideoque salutanda cum Adamo de S. Victore.

Febris immedicabilis & medicorum desperatio.

Salve verbi sacra Parens
Flos de Spinis spinâ carens
Flos spineti gloria;
Nos spinetum nos peccati,
Spinâ sumus sauciati,
Sed Tu spinæ nescia.

Adamus de S. Victore.

93. ÆTnam toto corpore sibi circumferre visus est G. D. *Balthasar Maslowski* in Vielunensi territorio. Erat febrilis ardor maior studijs medicorum, quorum labores frustravit. Adest A. R. D. *Adamus Rudzki* Custos Vielunensis, qui munitum Sacramentis ad supremam luctam initiavit. Et iam mortualis torpor totum insederat, cùm marita nuntiat Prælato, se coniugem Divæ Claromontanæ despondisse; addit votis vota, eadem & erga herum pietas domesticorum, & fida erga Divam religio promovet. Plus erat animo quàm pedibus ijsse & suspirijs, quàm exquisito, orationis apparatu salutem postulasse, nam subitò ad nativam temperiem reductus calor, extin-

Superiori similes.

cto letalis febris fomite, extra periculum moribundum posuit. Votorum alienorum, suorumquè reus, cum præfato Custode Vielunensi teste prodigij, supplex ad Aram adoravit, Anno 1641. 13. Aprilis.

Desperatus in Maligna febre salvatur.

94 IN districtu Siradiensi Nobilis *Alexander Karlinski* per duas hebdomadas in deteriùs proficiente maligna febre urebatur. Medicorum & amicorum desperationem correxit spes Clientis, quâ auspice vitam æstimatione prudentum amissam, resumpsit, solo peregrinationis Claromontanæ voto emptam. Recognitum Anno 1629. 25. Septembr: Quotquot sub nube protectionis Mariæ rorem salvificum anhelo pectore sititis, salutate Divam cum Ecclesia Græca: *Salve Divinum imbrem vehens lucida nubes, & Te beatificantium animas illuminans ô MARIA.*

Menolog: Græc.

Refrigerium in febribus à Maria.

95 SEu mavis MARIAM dicere umbrosam Platanum, ad refrigerium explicatam; experimento probavit Nobilis *Dorothea Paprocka* è Palatinatu Cracoviensi febrilibus incendijs exusta, liquoribus medicis, qui sopirent æstum, utebatur. Sed hoc erat oleo flammam extingvere. Pro aliquali solatio vocatæ, ex Illustrissima D. Dominici Familia Sorores Tertij Ordin: de Pœnitentia, ad Clari Montis Aram Mariæ ægram devovent, pauloque post plena sanitate donatam, stupentes excipiunt. Testatum à Parentibus fide Publica Anno 1623. 30. Maij. Fatentur fideles animæ, hic fundata Mariana Tempe, ubi *Arbor MARIA* protectricem umbram explicat. Et quidem, ut D. Bonav: in Speculo cap. 5. loquitur. *Rami hujus arboris, rami honoris & gratiæ sunt, virtutes & exempla, multæ ejus misericordiæ, & beneficia in his ramis libenter habitant, in his libentèr iubilant cœlestes aviculæ, id est anima sanctæ, & de ipsis etiam dici possit illud: in Ramis ejus conversabuntur volucres Cœli.*

D. Bonav. in Speculo c. 5.

Simile.

96 ALij umbram amant, undam alij, dum æstuant: Nobilis *Margarita Boglewska* igni maligno terrefacta, nullo fonte recreari potuit. Ad *Mare gratiarum Mariam* Claromontanam vota dum festinat, veluti è limpidissima vitæ vena salutare pôculum hausisset, stupentibus vicinis, ac domesticis, plena sanitate donata est. Relatæ gratiæ Anno 1598. 6. Iulij.

Simile.

97 ANna quoquè *Remißewska* Civis Loviciensis letali æstuabat incendio, quod adhibitas medicinas non tam respuit, quàm absumpsit. Suspirat ad Mariam statuto peregrinationis ad ejus Aram Claro-

Claromontanam decreto, unde vitæ venam profluens MARIA, nocivos æstus restinxit. Meritò Richardus à S. Laurentio usurpato Isaiæ textu invitat ad Mariam. *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Lib. 9. de Laud. B. V. M.

Pater cum Filio Refrigerantem Mariam experitur.

98 ANdreas *Crucis* Italus insignis Architectus cum filio, Monasterio *Klobucensi* reparando operam dabat. Tum labor, tum peregrini aëris gravitas, morbis non medicabilibus pugnavit in alienigenas. Sangvinis fluxus continuus, tædia usquè ad nauseam vitæ, diuturnis ærumnis desperatos exercebant. Vehementior febris accensa in exhaustis corporibus nullâ arte sopiri potuit. ægrè collectâ mente Pater & filius ad Divam opem Claromontanæ MARIÆ vota fecerunt. Aram ejus invisere polliciti, & piæ mentis proposito, capaces miraculi effecti, votis potiuntur Anno 1620.

Domi & in via æger, hic sanatur.

99 ALius conatu, pertinaci corpore vota secutus, ad miraculum venit Hospes, in æde Mariana *Andreas Borzecki* de *Zemborzyce* Vir Nobilis, per medium annum febre malignâ æstuavit. Accingitur itineri, ambulat, ducitur, portatur vehiculo, fatigatur, labitur in via, quia nondum attigerat *Portum salutis*. Fractus viribus collem ascendit, sacræ Domûs limen attigit, & in conspectu Mariæ prodigioso refrigerio recreatus, sensit prodigio vitam viresquè reparatas, Anno 1623. 4. Maij.

Superioribus similes.

100 PEtrum *Remer* de Chiſſow diuturnis febribus præustum, mors in spolium deposcebat. Votis despondent cognati Divæ Claromontanæ futurum supplicem, & extemporaneo miraculo relevatum excipiunt. Humillima gratiæ recognitio legitur in Archivo sub Anno 1608. En de plenitudine ejus omnes accipiunt & quod adhuc immeriti non accipimus, speramus, utq; speremus, spes nostra facit MARIA, quia illa, asserente Lactimelleo Doctore *Copiosissima Charitate debitricem se fecit, omnibus misericordia sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.*

D. Bernard. Serm. 1. de Assumpt.

CAPVT X.

In purgantibus flammis detentos ab incendijs protegit, liberatq; MARIA.

101 NOn tantùm vivis, sed & mortuis se præbet Maria benefi-

Q 2 com-

eam, ex hoc loco vetus ſeculi ſuperioris miraculum refero.

--- priſca fides facto, ſed fama perennis

Oſvaldus Illyricus, villa *Symonowe* oriundus ad oppidum *Prywidz* novit aliquando Claromontanam peregrinationem. Sed morte præventus non explevit. Filium adoleſcentem in vivis reliquerat, cui apparens ait: *Agnoſce genitorem tuum, vides tantam catervam hoſtium quæ me perdere conatur, & perderet, niſi gladio hoc, quem teneo, me tuerer, quem mihi tantiſper commodavit Virgo Sanctiſſima ad defenſionem, donec tu vice parentis iter ad Clarum Montem confeceris, ibidemquè primum Miſſæ ſacrificium celebraveris.* Lapſu temporis ſacris ordinibus initiatur filius, memorquè viſionis monita parat exequi, ſed prævaluit amicorum cognatorúmque perſuaſio, qui viſionem nuperam, meram illuſionem appellabant. Quâpropter in Patria Miſſam celebrare ſtatuit Et tentavit proſequi introitum, ſed mulctatus ſilentio, nec verbum poteſt proloqui. Hoc miraculum, vera fuiſſe quæ mandabantur, probavit. Svadent ergo qui diſſvadebant, iter proſequendum ad Montem Clarum, & ad Aram Mariæ ſacris operandum. Mutus iter ingreditur, hic loquendi facultatem ademptam conſecutus ad Imaginem Odigitriam rem ſacram peragens Patrem liberat Anno 1521. Hic MARIA oſtendit, quod Brigittæ famulæ ſuæ ſpopondit. Sua benignitate purgatorij pœnas remitti *Ego ſum Regina Cœli, ego Mater Miſericordiæ Iuſtorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum, nulla etiam pœna eſt in purgatorij igne, quæ propter me non remiſſior erit, & levior ad ferendum, quàm aliter eſſet.*

Apparitio, Parentis Filij loquendi facultas intercepta.

D. Brigittæ Revelat:

102 SEculi noſtri eſt quod ſequitur. G. D *Andreas Miaſkowſki* de *Potarzyca* æger ſeptennio decubuit. Morborum vis diuturnitate invaleſcens, tyrannide implacabili pugnavit in animum, ideóque eligens mori breviter, quàm diu pati, arreptâ bombardâ ſeipſum traiecit Error erat; & verè ſalutaris, non letaliter ſaucius cœpit ſapere, noſſéque mortem propinquam, ſacrâ Pœnitentiâ noxam eluit, unctuſqúe ſacro Ceromate Chriſtianus Atleta, dolendi, vivendiquè finem fecit. In illo itaquè loco in quo ſibi feralem ictum inflixit, ſub meridiem & veſperam hæc ejus vox lamentabilis audiebatur à domeſticis: *Vovi diebus Sabbativis iejunare & Claromontanam peregrinationem obire, rogo hæc pro me perſolvantur.* quoties toties importuna vox, illic, loci habitantes ſtupefecit, donec animoſior quædam matrona quis eſſet quærens, audijt loci Dominum inter purgantes flammas detineri, qui ſubiunxit *Tàmdiu vobis moleſtus ero, quàmdiu deſiderijs meis ſatis factum non fuerit. Dentur in eodem loco pauperibus Eleemoſyna pro me & ſacra Miſſæ*

Mortuus in Claro Monte ſuffragia exoravit habetq;

Miſſæ ſacrificia offerantur, tunc primò liberabor His de rebus conſors defuncti certior facta *Dorothea Konarzewſka* maritalem affectum, quem vivo debuit, & mortuo teſtata eſt, peregrinationem ad Aram Virginis Odigitriæ perſolvit, omniaque deſideria executa, coniugem liberavit. Anno 1623. 6 Septembr: Idem à te præcabor precorquè ô Protectrix MARIA cum D. Caſimiro

Pro me pete ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis
Stagni miſer obruar.

D. Caſimirus in Rythmo.

103 REcentius eſt, quod in Mariæ faſtis adnotatum Anno 1671. 8 Maij, ex authentica recognitione G. D. *Maximiani Krobanowſki* translatum.

In minori villa Krobanow *ſub* Sadek *Anima D.* Matthiæ Rayſki *Anno 1071. ſignis frequentibus ſe pœnitentem in ſalutis via & ſuas neceſſitates palam fecit. Die 8. Ianuarij, tria Miſſæ ſacrificia poſtulavit, novem pauperes, tres Presbyteros, qui pro ſua à flammis piacularibus eliberatione, peregrinationem Claromontanam obirent, enixè precata eſt, quinque Miſſæ ſacrificia, ad miraculoſam Imaginem tria in ſolenni cantu, duo lecta. Die 25. Ianuarij Pſalmum Pœnitentialem idiomate vernaculo.* Zal mi żem kiedy zgrzeſzył, &c. &c. *celebrem de Immaculata Concept: B. V. M. Rythmum.* Naywyzſza Mátko &c. *cantavit. 26. Ianuarij anni ejuſdem, ejus deſiderijs obſecutus menſam tribus Sacerdotibus, & novem pauperibus apparavi, ubi mihi ſigna lætitiæ exhibuit, & Sacerdotibus de Łaſko. Patri Fabiano tortam detulit, Patri Franciſco figuram, ſui ſimillimam cum vulneribus quibus confectus fuerat; Parocho de Marſyna fruſtum panis. Poſtulavi deinde ut ſi Spiritus bonus eſſet, afferret Imaginem Sanctiſſimæ Virginis, quæ ad lectum pendebat, fecit, & ſcapulare ante Sacerdotum ora depoſuit, & complura alia ſuæ jugis præſentiæ ſigna oſtendit. Pſalmos aliquos cum altero Spiritu in Sacerdotum præſentia cantavit, quod à multis hominibus auditum eſt. Ad menſæ limbum coram hoſpitibus varios Characteres formavit, Patri Franciſco manum de nocte deciduam lecto, levavit, & in pectore compoſuit. &c. &c. &c.*

Superiori ſimile.

Cantat Spiritus,

Relatio ſupraſcriptorum in Claro monte per prænominatum Generoſum D. *Maximianum Krobánowſki* facta eſt die 8. Menſis Maij, Anno 1671. Hoc in Claro monte cum intentionibus defuncti ſatisfieret, Sacerdotes oculati rerùm teſtes, & permulti nobilium, qui in Comitatu vota ſolvebant recognoverunt. Quàm verum eſt illud D. Bernardi Serm: 2. de Pentec: ad MARIAM oculos omnium reſpicere. *Ad illam ſicut ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum, reſpiciunt, & qui in Cœlo habitant, ut reſarciantur, & qui in inferno, ut eripiantur; & qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; & qui ſequuntur, ut glorificentur.*

D. Bernard: Serm: de Pentec.

Anima ad Montem Clarum peregrinatur.

104 SIc Deo placitum eſt, ad majorem ſuæ immaculatæ Matris honorem propagandum, & illos ad captanda ex hac Menſa ſuffragiorum, & gratiarum opſonia dimittere, quos extra merendi ſtatum collocatos, in pœnalibus flammarum purgantium clauſtris, vindex exercet Iuſtitia. Anno ſupra Milleſimum, Sexcenteſimum, ſeptuageſſimo audivimus, & ex manifeſtis, quæ non ſinè horrore oculis uſurpavimus, ſignis rei veritatem prodentibus, didicimus. Hæreticis conſcijs, & ad ſigna prodigialia ſtupentibus, actum eſt: apertis rebus occultam fidem adhibere coacti, & publicum teſtimonium dediſſent, niſi obſtinatio taciturnitatis legem poſuiſſet. Sufficit nobis in teſtimonium, tacitus illorum iudex, conſcientia. Res ſic habet. Generoſus D. *Martinus Stokowſki* ſeculo defunctus, in eadem aula, in qua fatis conceſſit, ſæpius, mortualibus induvijs amictus, candens undique flammis circumlambentibus, Virgini cuidam domeſticæ, apparere ſolebat, ſignificans non priùs ſe beatæ ſortis participem futurum, quàm in Claro Monte Czeſtochovienſi ad thaumaturgæ Imaginis Aram, amici ſubvenirent ſuffragijs; quò Domini Fratres, & familiares peregrinari, ibidémq; ad Sacram Imaginem quinque Miſſæ Sacrificia offerre debebant. Non pauci frequenter vocem audierunt; incognitos characteres, carbone, menſis & orbibus inaratos legerunt, horrore perculſi: inter quos fuerunt N.N. D.D. *Iacobus Stokowſki*, Frater demortui, *Valentinus Sczawinſki*; N. D. *Marianna Stokowſka* Coniunx, cum *Elizabetha* filia, & N. *Anna Klodawſka*. Cùm itaq; per Virginem votorum ſuorum internuntiam, & ſigna, deſideria ſua ſatis liquidè inſinuaſſet, defunctus, Cognati, & familiares, non differentes ſuffragia, peregrinationi ad Aulam Marianam ſeſe accingunt: adeſt & viæ comes Anima pluribus argumentis ſuam in illo itinere præſentiam propalans, quæ quandam animi geſtientis lætitiam pro-

dide-

diderunt. Contigit in Widawa, nam hac iter erat. Appetente veſpera hæretici cujuſdam ſubierunt conductum, cum tribus ex Sileſia mercatoribus hæreticis. Hi causâ peregrinationis intellectâ, fortaſſe nonnihil, quod Religionem Catholicam, Divumqûe honorem impiare potuit, tacitis premebant cogitatibus. Obviavit illorum cœcitati Divinum Numen; per inviſibilem viæ comitem, Animam defuncti. Vident, miranturqûe globulos precatorios viſibili motu, per aëra proijci; poſtero die librum precatorium amiſſum inviſibili manu in ſinum Elizabethæ Stokowſka demiſſum, ſtupent attoniti, ſed quaſi non vidiſſent, factum confuſi diſſimulant. Ventum eſt cum Adſtite ſpiritu ad Montem Clarum. Ante Divæ Virginis Imaginem, tum ad Privilegiatum pro Defunctis Altare Patres Noſtri Sacris dant operam: & hic præſens adeſt Anima; cruces, & peregrinos nobis videntibus format characteres, ſoli Virgini Mariannæ deſideriorum ſuorum apud cognatos interpreti, viſibilis. Poſtquam Devotioni, & ſuffragijs matutinum tempus impenſum eſt, regrediuntur in conductum Hoſpites, cum quibuſdam noſtris Patribus, aſſidentes menſæ; præſtò fuit & ſpiritus, qui ad orbis limbum, coram tot ſpectatoribus, ſatis confuſos formavit characteres; legunt aliquam ex illis ſignificationem eruere cupientes: Et quidem fuit, nam retrogradè hoc legebatur: O SI TIBI HODIE! Senſus adeo ambiguus quid exprimeret, adhuc ignotum erat. Exiſtimarem iam tunc beatorum conſortio adlectum, ſupernæ Patriæ delibaſſe delicias, nam placato hîc per actus pœnitentiales Numine, à Virgine, cui ultimò defunctus cum gratiarum actione apparuit omnibus gratitudinem pollicitus, didicerunt familiares pœnis abſolutum: quod & cereus ardens eo loci, ubi ſe pœnituiſſe dicebat, domeſticis omnibus apparens; & cœleſtis formæ juvenis zonâ aureâ præcinctus, ſoli virgini viſibilis, eundem cereum manu præferens, probavit. Actæ ſubinde Numini liberales gratiæ. Res plurium è Nobilitate teſtium juramento firmata, ad Apoſtolicos Eccleſiæ Claromontanæ Notarios, Faſtis Marianis inſerenda venit. Nec latebat hoc, quod Poloniam maiorem impleverat, Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Andream Trzebicki Epiſcopum Cracovienſem, Ducem Severiæ, qui cùm hæc Analecta typis evulganda apud ſe propè ad anni medium ſervata revolueret, hanc Animæ pœnitentis peregrinationem inter principaliores gratiarum memorias inſeri præcepit.

ANALE-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS SEU HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO VI.

Mortuos, Moribundos, Desperatos, Diva Virgo Claromontana, vitæ restituit.

Hic Lucet

MATER VIVENTIUM MARIA.

D. Benedi in Psalt. B. V. *SI in manu MARIÆ, salus & vita consistant, meritò Mater viventium appellatur. Idem sensus est B. Epiphanij Hæresi 78. Beata Mater MARIA per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut esset Mater viventium. Ab illa Eva omnis generatio ducta est in terra, hîc autem verè à Maria, hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret & fieret Maria Mater viventium;* D. Epiph: Hæres 78. Vitam à gratia huius *Matris viventium*, non tantùm animæ, sed & corporis pendere, exemplis docebere.

CAPUT I.

Natos exanimes animat Diva Claromontana MARIA.

1. INfelix illa fœcunditas, quâ matres utero mortes fundunt, vitæque primus thalamus factus tumulus, priùs experitur se gestare funera, quàm pignora. Unum adeò miseræ fœcunditatis est solatium, animandos MARIÆ peperisse. Animavit complures. Filium mortuum genuit Mater, quem Maria vivificat. Primum exemplum est in prole Generosi D. *Ioannis Strzyßewski*, cujus consors filium genuit exanimem Anno 1648. 26. Februarij. Lacrymis lustratum funus cunæ ferales exceperunt. Pater iterum Pa-

trem egit, votis ad Divam Claromontanam nuncupatis vitam exorans filio; eadem mens, eadem vota Matris ad MARIAM, quæ exulem animam ad corpus revocavit, vivamque prolem reddidit Parentibus. Relatum Anno 1650. 9. Maij. Optimè proinde Divus Amedeus: *Sicut in Eva omnes moriuntur, ita etiam in MARIA omnes vivificabuntur.* Amedeus Homil: 7 de B. V. M.

2. IN domo Nobili Gen: D. *Matthiæ Ciemienski* risit funesta mors expectatam natalium lætitiam. Natum cadaver absque vitæ superstitis vestigio, amantium, ac dolentium parentum, ad Clarimontis Aram, supplices affectus coëgit, quo felix fortasse partus non duxisset. Superiori simile. Sufficiebat insinuasse MARIÆ desideria, & miraculo illustrari voluisse; nam ope Mariæ rediviva proles, vagitu civit parentum lætitiam, quam grati Clientes Anno 1623. ultimâ Septêbris muneribus testati sunt. Quis non miretur quòd (in vitæ restitutione) *Tu sola simul cum DEO eorum quæ Dei sunt, partem habere digna fuisti, sola DEUM generans carne indutum ex DEO Patre unicè ac sempiternè genitum.* Methodi in Hypapa.

3. NObilis *Elisabeth Náderzinska* de *Grodzisko* ope medicâ, intractabili hydrope tumens, vitámque desperans; ad Mariam votis properans salutarem medicinam consecuta est. Iterum parientium doloribus arctata frigidum, inanimémque fœtum utero fudit. In matre, & mortua prole replicata gratia. Ad Aram vitæ *MARIAM* peregrinari constituit, Aulæ Claromontanæ limina revisura, & pio voto, fiduciáque invictâ, modicũ cadaver animæ perditæ, miraculique capax effecit. Cum resuscitata prole, actæ & in tabulas Mariæ consignatæ gratiæ, Anno 1572. Qui vitâ Mariæ vivunt, meritò profitētur cum D. Augustino. *Mater generis nostri, pœnam intulit mundo. Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria, Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit, illa percussit, ista sanavit.* S. Augustin: Serm: 18 de Tempore.

4. REplicatum in Matre & prole, vitæ & libertatis miraculum, produnt Fasti Mariani Anno 1598. 6. Maij. Anna Haliçensis ex Podolia in captivitate, servilem vitam agens, mortuum infantem peperit. Captiva mortuum generans, sibi libertatē, filio vitam impetrat à Maria. Lacrymis Divam Claromontanã appellat, cum decreto visitandæ ejus Basilicæ, & vitam priùs puero, impetrat; mox prodigio partam libertatem assecuta, cum filio præsens vota solvit Anno, die, quo supra.

Superioribus simile.

5. IN Oppido *Oborniki* Episcopatûs Posnaniensis *Anna* Obornicensis fabri marita, mortuã peperit prolem, quod casui fortuito imputatum est. Vertente tempore nascitur altera, sed mortua. Tertium lapsu temporis natum funus Divæ Claromontanæ supplices fecit parentes, qui lacrymis votisq; inanimi proli vitam exorabant. Infudit cadaveri animam MARIA, ad miserendum facilior, quàm homines ad implorandũ, Prodigium; dum gratiæ solverentur, testem habuit A. R. D. *Casparem Ianikowski*, Præpositum ac Decanum Obornicensem Anno 1631. Iure in orbis facie gloriatur per Ecclesiastem MARIA. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis, & spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.*

Ecclesi. 24.

Simile.

6. ET Diœcesis Plocensis Oppidum *Ciechánow*, compari miraculo illustravit MARIA: *Matthæus Pistor* annis quatuor sine prole suscepta vivens, munus fœcunditatis à DEO precabatur. Ea erat, quam habere noluissent, pristina sterilitate contenti; peperit filiam mater, quam in utero matris strangulavit mors. Ad Aram Matris viventium affectus, preces, votaq; vertunt peregrinationem ad Divæ Claromontanæ limina decernentes, & ejus beneficio Numine reanimatã prolẽ acceperunt Actæ cum votis gratiæ A. 1629. Feria 6 post Cineres. Verè secundùm Ildephonsum: *Introitus Vita MARIA.*

Ildephonsus Serm: 4. de Assumpt:

Simile.

7. NOn solas Nobilium Aulas, Vrbes & Oppida magnalium suorum luce serenat Maria, & villana gratijs suis implet mapalia. In Palatinatûs Cracoviensis villa *Nasiechowice*, Conjux *Alberti Woyćik*, gemellos minùs favente Lucina fudit utero, partitã mortem inter, vitamquè fœcunditate, in vota Mariam è Montis clari Regia precibus inclinant, & adest Mater vitæ, quæ mortuã prolem resuscitavit. Recognitum in Tabulis Marianis Anno 1631. Nonnè (ut D. Epiphanius Serm: 5. de Deipara), *Per Te mors conculcatur ô MARIA!*

D. Epiphan:

CAPVT II.

Pueros vitâ functos, ad vitam revocat MARIA.

Puer à puritate dicitur.

8. PVra est, & purorum amans MARIA, ut Damascenus ait, & si pueris à puritate vocabulum attributum est, pueros amat, si puerorũ innocens vita, in puritate nomini respondet. Hoc titulo suos à morte vindicat, & hîc orbi mortem triũphantes proponit. Binam primò cum parente prolem masculũ utrumque, Matrem à filiis non divido, quos in prodigiali vitæ restitutione Diva non sejunxit.

Mater cum duobus filijs ante Imaginem hic rediviva.

Civis Lublinensis Lanio, Martinus nomine, cum Vxore & familia domo egressus, duos filios bimulum in cunis, & quadrimum reliquit: hic, ut vidit parentem in macello jugulantem agnos, obvium cultrum arripuit, cunas repetens fratris guttur præcidit. Vt errorem artis, temerè tractatæ advertit, pœnarum actus formidine, repit in fornacem, & post lignorum struem latitat. Redux mulier, flammam lignorum incendio subijcit, quo præfocatus puer, exanimatur. Protrahit misera mater filium, sola serum ferens auxilium, super quo lamentata plurimùm, limen transgreditur, & propinqua cunis, alteram prolem inanimem sangvini innatantẽ offendit. Consternatam, propéque morientem, geminato funere maritus convenit, ratúsque uxorem cædis geminatæ ream, graviùs cædit, occiditque. In illa non pecorum, ast filiorum, uxorisque laniena, humani incapax solatij, amicorum tamen consilij tenax, ad majorem homine fiduciam erigitur; in carpento cõposita cadavera, per quadraginta quatuor milliaria, ad Clarum montem deducit, & in Ecclesia in conspectu sacræ Imaginis deponit. Solennes eo tempore à Choro Vesperæ cantabantur; ubi ventum est ad Hymni Mariani Versum: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Obstupefacto fat frequenti populo, mater cum filijs è funerali tũba surgit. Quæ tunc fidelis populi tanto prodigij spectaculo exultãtis lætitia? Factum Anno 1540. Non tantùm lingvis hominum, sed & Scriptorum calamis celebratum est tantum miraculum, verè ait D. Bonavent: *Salus & vita in domo illius, & in tabernaculo ejus, pax & gloria sempiterna.*

D. Bonavẽt: in Psalterio B. V. M.

In Templi vestibulo assurgit mortuus.

9. VIdimus in ipso Aulæ Reginalis limine, ad augustum Virginis conspectum huc deducta assurrexisse funera. In Moravia filium illustris Matronæ mors in sua jura traxit. Reclinato in loculum funeralem cadavere, quæ ad solennem funeris conductum facere videbantur, procurat. Verùm spes insinuata per tutelaris genij nuntium, mœstam parentem exhilaravit, cujus summa erat, vitam filio in Clari montis Templo redonandam. Et in seipsam, & in Divæ benignitatem peccasset, si abnuisset cœlestium nutibus obtemperare.

perare. Quapropter tabe confectum cadaver in tumba deducit, ac in Augustalis Mariani Vestibulo collocat. Vix attigit ædis Virgineæ limina, expergefactus à mortis somno adytis Marianis, prodigium redivivus intulit, stupente populi multitudine. Prostat eleganter coloribus expressum in publicis exedris Basilicæ Claromontanæ. Illud certè Virgineæ Domûs vestibulo applicandũ est, quod nonnemo affixit Lauretanæ Domui.

O Cælo dilecta Domus postesque beati.

D. Bernardi Serm: de Nativit: B. M. Actum Anno 1606. Pulchrè Mellifluus Doctor. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris Stellam, maris utiquè magni, & spatiosi. quid? nisi caligo involvens, & umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur.*

In ludo puerili suspensus, mortuusque reanimatur. 10. ET in puerorum ludo, mors suas partes agit. In villa *Zbożow* Palatinatûs Calissiensis, pueri tempus judicio fraudabant; alius Iudicis, alius Patroni, alius Spiculatoris, lictoris alius partes obibat. Nobilibus oriundus parentib⁹ *Valentinus Zeromski* reum agebat. Iudicatus, condemnatúsque in serto circa collum funiculo suspenditur, in saltu proximo. Sed pallere, trepidare, agitari, cùm cernerent Valentinum, frustra subvenire conati, mortéque perterriti, in vultu pallido, voce faucibus hærente, domum profugi, relicto in arbore cadavere, casûs tragici suspicionè tulerunt. Sub solis occasum quæritur à parentibus, & domesticis Valentinus; at nonnisi cadaver in ramo pendulum; non minori dolore, quàm horrore conveniunt, resecant, domum reportant, ubi parentes liberalibus lacrymis, luctuque, fatum filij querebãtur. Vnica pietati eorum fuit revocandæ vitæ filio, firma fiducia in Divæ Claromontanæ patrocinio, illi mortuum supplices devovent, & peculiari beneficio redivivum excipiunt attonito. ad prodigij magnitudinem orbe nostro. Ad Aram supplex cum parentibus filius, Matrem vitæ adoravit Anno 1598. 4. Iunij. Laudate clementissimam Matrem MARIAM, & cum D. Athanasio appellate *Matrem Regeneratricem.* D. Athanasi

Sub Claro monte mortuus resurgit. 11. ANno D. 1623. Nobilis *Stanislaus Gorzkowski* cum Consorte *Anna Iagodzinska* ad visitandam thaumaturgam Divæ nostræ Imaginem profecti, filium longâ ægritudine confectum secum tulerunt. Vt subierunt conductum ad montis radicem, puer ante medium noctis animam exhalavit. Mœsti Parentes contra sacram ædem prostrati, quod noctis reliquum erat, votis & precibus ad Divam dederunt, cui impensâ devotione mortuam prolem devovebant. Votis vota cumulavit, & frequens hospitum cœtus, in precibus perseverans. Miserata orbitatem parentum Mater Miserationum Domini MARIA, sub solis ortum gratiæ radium vitalem vibravit, & in pusillum cadaver animam infudit. Propagavit erga Divam religionem apud advenam populum tantæ gratiæ testem, prodigium, quod fastis adnotatum Anno quo supra 13. Iunij. Iure cum D. Sergio nuncupatur omnibus fidelibus *Fons immortalitatis* MARIA. D. Sergius de Nativit: B. V. M.

Puer ad funus præparatus è strato surgit. 12. EX eodem immortalitatis fonte vita promanavit filio Matronæ Nobilis *Margarita Zloczenska* in Podolia. In absumpto febribus corpusculo deliquia passus, animã ad exules à vita manes dedit. Parentum uterque ad Limina Divæ Claromontanæ votis mortuum despondentes, non tam ægrè tulerunt fatum chari pignoris; nihilominus affixi DEI beneplacito, mortuorum induvijs operiunt, cadaver, & in sequestro conclavi reclinant ad funus præparatum. Horis post balneum funerale duabus circiter, ancilla subintrat cubiculum, manuum pedumque motum advertens, nuntiat vivere filium, at minimè credunt parentes. Arbitrata sensus decipi, repetit conclave serva, & videt nictus oculorum veluti expergefacti, & adhuc dormiturientis; vocat parentes qui vivum suis ulnis exceperunt à MARIA, quæ D. Epiphanio appellatur. *Mater celeberrima.* Anno 1647. Mense Majo. D. Epiphan: Oratione de Laud: B. M.

Superiori simile. 13. IN Kamenecensis Districtûs Civitate *Vliatyn.* *Stanislao Waydzic*, erat filiolus unum inter Charissima delitium, nisi esse desijsset, pugnante in corpus imbecillum dolorum vi, captus è vivis Sabatho ante solis occasum. Noctis mœrorem, votis ad MARIAM in Odigitria Imagine celebrẽ, distrahebant, ad Basilicæ Claromontanæ Aram iter polliciti Parentes, si redivivam prolem viderent. Iam antelucanum sidus diem propinquum nuntiabat, cùm pater ex more Catholicorum ad mortualem lectulum, volens ignem accendere properavit ad Curionem, Cereum benedictum allatur⁹. Redit Pater, fert lugubrem tædam filio, vivum in mortuali strato reptantem deprehendit, ultróque se chari genitoris amplexibus insinuantem, excipit. Miscebant lætitiã dulces lacrymæ; Diva Claromontana prædicatur, cui gratus Pater votum, testimonium, filium; ac deinceps impensiùs colendæ MARIÆ propositum obtulit. Anno 1517. Numquid non ad rem D. Epiphanius? *Eva mortis causa*

causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum. M A R I A *verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius* DEI *advenit in mundum.*

Bis mortuus bis vitâ donatus.

14. BIs mortuus, bis vitam resumit, Divæ Virginis, & merito, & placito, Stanislaus, Hedvigis Ziemkowicowa Civis Sendomiriensis filius. Lacum ad usus domesticos impletum aquâ oberrans incidit, & suffocatus est. Quærit mater, vocat puerum, sed nec obedit, nec audit. Inventus, ab illo naufragio protrahitur, in quo nec minimum vigebat vitæ vestigium; Divam Claromontanam inclamat mater, & facilè liberalem experta est, quæ pro decreto ad ejus limina visitationis proposito, vitam proli redonavit. Non itâ multò pòst sub altioris domûs fastigium, quo quidvis audendi, videndi, attentandi præceps curiositas deduxit, ascendit, unde lapsum vita defecit. Advolat mater, sublevat mortuum, ferum obsequium, præstat in mortuali strato exanimem reponendo. Lamenta, & lacrymæ, quibus plurimùm indulsit, non extinxerunt pristinam erga Divam Claromontanam devotæ mulieris fiduciam, hâc freta pro filio peregrinationem decernit. Replicatur novo prodigio attonita Civitate beneficium, occulta virtute in suam legem divulsa coëunt membra, intepescit puer, calet, vivit, surgit, atque cum matre tot votorum rea, in Civium Sendomiriensium Comitatu, Templum, Aramque vitæ revisit. Dyphticis Domûs Marianæ illatum Anno 165 11. Maij. Alij experiuntur, alij vident, legunt, clamantque, cum Dionysio Carthusiano: *Mortis Destructricem* M A R I A M.

Dionysius Carthus.

Seneca.

15. QVemadmodum, asserente Seneca (de medijs Fortuitorum) *Natura est, non pœna mori*, ita gratia, & non debitum post mortem vivere. Quis hanc genuit orbi, nisi illa quæ *Gratia plena* Oraculo cœlesti salutatur? Hinc accepit vitæ gratiam Civis Lublinensis cognomine *Lysek* (nomen non invenio) filius cum Patre in sylvam profectus, in eam partem deflexit, in quam præcisa pinus casum propandebat. Cecidit arbor, oppressit puerum, animam extorsit. Confractum cadaver domum portavit mœstus genitor, ut, cùm dare vitam non posset, saltem justa ritu Christiano persolveret. Reflexit ægram mentem ad illustria Divæ nostræ thaumata; fit supplex Matri Viventium, vitam puero precatus spondet peregrinationem Claromontanam, & extemporaneo beneficio, attonita ad rei novita-

Arbore oppressus resuscitatur.

novitatē Vrbe totâ, integrum vivumque recipit. Quot letalia vulnera, tot mortes, tot vitas, tot prodigia numera. Acceptum ac recognitum Anno 1541, Prostat in Exedris Basilicæ expressum. Quid amat dicere, amantis M A R I A M affectus, nisi cum Ecclesia quod sit *Vita Dulcedo, & Spes nostra* M A R I A!

Eccles. in Salve Reg.

16. PRodigiorum fertilis ætas eadem, alterum adnotavit Patrem in Fastos Mariæ, qui & calamitatis idem artifex, & solatij, filium quem genuit, illicitè occidit Anno D. 1542. Civis erat Chęcinensis *Andreas Chrostek* filium subiratus ut percussit, excussit animam. Funus ante oculos corruens, sedavit animi furentis tempestatem, & lacrymas civit, quibus implorata è sua Clari mōtis Aula Clementiæ Regina M A R I A, adfuit præsenti suæ virtutis potentia, quæ in corpus reducto exule spiritu, iterum, illum, qui Pater dici, esseque non meruit, Patrem fecit reducis à morte filij. Adnotatū cum testibus Annó quo supra feria 6. post Octavas Corporis Christi. Verè Domina, (cum Ruperto in Cantica proloquor) verè in quam *Nos & qui venturi sunt post nos lætabimur in Te, & cantabimus dicentes, quia Eva nos plorare, Maria in necessitatibus nostris fecit exultare.*

Casu fortuito occisus à Patre reviviscit.

Rupertus in Cant.

C A P V T III.

Puellis mortuis vitam reddit M A R I A.

17. REginam Servæ, Dominam Pedisequæ Virginitatis Primiceriam virgunculæ sequuntur, quas ad Gynecæum suum vindicatas à mortis legibus adscribit M A R I A. Ad Casimiriam, ponè Oppidum Lutomirsko, Nobilis *Matthias Klinsiek* cum *Hedvige*, filiam è favore cœlesti susceperunt. Natum illud solatium nonnisi ad biennium productum fuit. Scilicet Levana lapsus, casusq; infantum observans desiderabatur. Gerula etenim Domus editiorem locum conscenderat, è cujus sinu filia præceps exanimata est, triduo domi servatum, & lacrymis lustratum cadaver, Divæ Claromontanæ commendatum est. Arbitrabantur parentes mortuæ puellæ, à Maria in Claro monte desiderari præsentiam, quapropter cadaver modicum vrna funerali clausum, carpente die quarta imponunt deducendum ad Odigitriam Imaginem (quod à Patre Goldonowski omissum fortasse brevitatis causâ miror, cùm in Archivo expressum legatur) movent domo, jamq; tertij milliaris spatium emensi, cùm vi-

Die 4' mortuam filiam in tumba ad Clarū montem ducētes redivivam in itinere accipiunt.

cùm videndæ prolis desiderio ducti loculum aperiunt, vident florere nativam labiorum, genarumq; purpuram, reductis palpebris gyrari oculos, & in parentum gratis obrutibus puellam subridere, inter confusam admiratione, & lacrymis lætitiam in gremium excipiunt, & ad Aram sistunt Anno 1598, in Festo Ascensionis Domini. Illustrium Personarum testimonijs probatum syllabum gratiarum auxit. Quàm benè ad sensum D. Athanasij Serm: de Deipara MARIA. *Nova Eva Mater vitæ appellatur, variegatáque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium.*

Iterum mortua vivit.

18. ANnam & *Margaritam* ipso nomine pretiosas MARIÆ Charites, Nobilem utrámque, utrámque benefico Mariæ spiritu post fata viventem scribo. Generosi D. *Ioánnis Wilczek* de *Chomentowice* & *Annæ*, Anna filia fatis côcessit impatiês tormenti, quod morbi acerbitas fecerat. Paulò pôst funebris honor decernebatur. Sed consilium erat, quod nondum advertit amantium parentum dolor vehemens, Divam appellare, & pro filiæ vita ad Aram Claromontanæ Virginis Mariæ votis peregrinatione despondere Successit, vivit filia quæ vixerat. Statuta ad Aram Virginis cum solennibus gratijs pro beneficio, cujus Imaginem in argento cœlatam deposuerunt. Anno 1653. 16. Junij.

Simile superiori.

19. ET *Margaritam* Gener: D. *Sebastiani Zuchowski* & *Vrsulæ* filiam gratia Mariæ pretiosam fecit. Contumax dolorum vis, arte nullâ placabilis, usque ad mortem in puellam pugnavit. Mutuo luctu conjuges immaturum filiæ fatum coram Diva Claromontana querebantur, ad ejus sacram ædem peregrinationem pollíciti, si in emortua prolis unicæ vita, vitam amissaque solatia resumerent. Miraculo itáque novam vitam filia vivit, nunquam naturæ tantû, quantùm Mariæ obligata, quæ vitam dedit. Relatum in Acta Anno 1647. 10. Junij, ritè probatum authoritate Adm: R. D. *Alexandri Trambinski* Parochi Posterien: Diœcesis Plocensis. Dum ad Marianæ gratiæ exortum tanta lux miraculi refulget, bellè secundùm

Chrysippus. Chrysippum Sermone de Sancta Deipara dicitur: *Ortus Solis nullum ferens occasum MARIA.*

20. DE *Brzeście* populosa Civitate Cuiaviæ, MARIÆ triumphantis mortem in hoc loco trophæum statuitur Anno 1598. In eadem Civitate ad ædificium Iudæi trabes viâ publicâ convehebant,

vehebant, quo tempore vicinâ domo puella prorepens in orbitam, consederat, hinc occasionem nocendi Christiano sangvini sumens hostilitas Iudæa, detortâ consultò in obliquum trabe, puellam oppressit. Reliquit mox anima imbecilli corporis hospitium. Solers amantium parentum dolor, ubi puellæ manibus per lacrymas litavit, arduo fiduciæ consilio, ad Divæ Claromontanæ adyta pervadit, vitam peregrinationis voto licitatus. Itaquè eâ potestate, paulò pôst, quam Deus cum Matre sua partitus est, resuscitata, præsens cum Parentibus, & testibus Divam Matrem supplex adoravit. Admiramini fideles animæ, potentiam, & clementiâ MARIÆ, & cum Doctore Seraphico in Speculo cap: 7. exclamate: *O fœmina plena, & superplena gratiâ! de cujus plenitudinis exundantia respersa reviviscit omnis Creatura.*

D. Bonavent. in Speculo cap: 7.

21. E Mapalibus quoque gloriæ curules ducit MARIA. In *Sadowie* (pagus est extra limites ditionis Poloniæ ad quartum lapidem) parentes ad campestres operas profecti puellâ *Margaritam* nomine domi reliqverunt. Absentiam parentum pertæsa, plorans patrium larem deserit, observatóque gradiens itinere, torrente desuper solis æstu, fatigata langvet, satiscit, labitur, moritur. Verò gente in plagâ occiduâ Sole, domû properâs mater, in filiæ cadaver offendit, quod rigatum lacrymis domum bajulans, salubre consiliû init votis Mariam in Monte claro miraculis celebrem, appellare. Appellat, spondet visitationem; Donat Mariæ filiam, quam perdiderat, & ex ejusdem gremio vivam recipit, cum gratiarû actione ad Aram offert, liberalis beneficij testis facunda. Stipant hîc thronum gratiæ Mariæ, Pueri & Puellæ miraculorum insignibus illustres. Quàm pulchrè gloriâ fulgentem Divus Bonaventura in Psalterio B. V. M. depingit: *Splendor est Solis, super Caput Tuum, Lunaris pulchritudo sub pedibus Tuis, sidera micantia ornant Sedile Tuum, astra Te glorificant jugiter matutina ô MARIA.*

In sole ardenti puellâ mortua.

D. Bonavent. in Psalt: B. V. Mariæ.

CAPVT IV.

Adulti sexûs utriusque mortui, vivunt per MARIAM.

22. MARIÆ debent, & se debere profitentur vitam, sincero propriæ confessionis testimonio & adulti. Procul hinc cedit mendax vt plurimum verborum fucus, ubi veritas, veluti fœcundum Marianæ gloriæ semen, in hac verborû palea prodit, & hæc

tamen palea, quia Marianæ ſegetis eſt, centuplum devotionis fructum, ſi repererit feracem cordis glebam, germinabit.

Mortuus poſt triduũ reviviſcit.

Illuſtribus oriundus natalibus *Simon Wrußewſki*, Territorij Branſcenſis Anno 1628. Montis Clari ſerenitatem auxit illuſtriſſimi prodigij teſtimonio. Letalibus langvoribus, qui facultatis medicæ peritiam excedebant, confectus, fatis conceſſit die ſacro Cœnæ Domini. Privato lacrymarum, & luctûs officio domi parentatum eſt ab amicis manibus defuncti; ne tamen pompa lugubris, quam ſolenniorem decernebant, feſtivitatem annuam Patientis, & Reſurgentis Redemptoris Noſtri confunderet, conſilij fuit uſque poſt Feſta Paſchalia cadaver in privato conclavi, mortualibus induvijs excultum, clauſumq; in tumba reſervare, honorificentiùs cum apparatu funebri, qui deceret ſtatum familiæ, tumulandum. Qui teneriùs amãdo defunctũ, vitæ cõſervadæ nullũ intermiſerunt ſtudiũ; & poſt ſupremũ obitum revocandæ à Superis imploravêre ſubſidium. Ad MARIAM frequentant vota, ſupplicem in Clari montis Aula ſiſtere promittendo mortuum, ſi mortis Domina ad frigens rigenſq; hoſpitium exulem è vivis animam revocaret. Tertium Solem cœlum reduxerat, qui diem Sabbativum MARIÆ ſacrum illuſtravit, ſenſit præſens Numen Virginis triduo invocatum, pallens cadaver, ſub ipſamque Sabbati Sancti Veſperam, reſtituta priſtinæ vivacitatis Imagine, deterſo informi ſchemate mortis, hoſpitem ſuſcipiens animam, ſurrexit è feretro. Amor timorem, admirationem lætitia confundebat. Intellexit redivivus nuncupata pro ſuæ vitæ redemptione familiarium vota; rata habet, nec ea moratur, in illuſtrium Perſonarum comitatu, qui miraculo fidem facerent, præſto ad homagium. Anno quo ſupra, poſt Ferias Paſchatis. Agnoſcite Advocatam Veſtram captiva mortis mancipia, & vitæ Matrem, ſi quorũ vitæ pretioſæ deſiderium inſedit pectoribus, amate, & implorate.

B. Amade?.

Hæc enim (verba B. Amadei Homilia 8. de B. V. M recito) *ut advertitis in manu potenti, & brachio excelſo tyrannorum fines egreditur, munitiſſima quæque domorum aggreditur; inferna ſub pedibus ſuis faciens contremiſcere, & principem mortis nimio terrore perculſum reſilire; denique ipſâ jubente, vehementer evomit prædam, quam in ventrem malitiæ trajecerat, reijciens cum dolore, quam cum ingenti ſuperbia detinebat.*

Simile.

23. NEctuntur miſericordiæ monumentis anni placabiles MARIÆ. Idem Annus 1628. ſtatùs conditione, & miraculo parem ſuperiori Nobilem *Iacobum Koßubſki* præſentat ad Aram Thaumaturgæ Virginis. In morbis immedicabilibus fatiſcens vitam ſperabat, uſque ad medicorum deſperationem. Poſtquam beneficam à medendo manum removerunt amici, ſpes quoque moribundum, demum & anima deſeruit. Plangentis Conjugis, orbitatis querelæ ad Montem clarum pertigerunt, quo vota pro mortuo ad Divæ thalamum ferebantur. Audijt MARIA Clementiſſima Mater, & conſortis animam in orbe alio exulem, ad nunc viventium convictum reduxit. Miraculi celebritas in gratiarum faſtos adnotata cum teſtibus, dum redivivus cum conjuge vota ſolveret. Quàm verum eſt, quod de MARIA D. Bonavent. loquitur in Pſalt: B. V. M. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, & manus ejus ad pupillum & viduam ſunt extentæ.*

D. Bonavent.

24. NObilis D. *Ioannes Sokolowſki* Terræ Sochaczovienſis, in diverſis ærumnis, quas morborum incognitorum quotidiana ſymptomata cumularant, miſeram vitam, non tam vixit, quàm paſſus eſt. Mors vivendi, dolendique finem fecit. Lavantur tabo confecta membra mortuali theriſtro obvolutum cadaver aptatur in loculum, & omnia ad ſolennitatem funeris curantur. Aderant amicorum nonnulli, qui gloriâ mirabilium Divæ Claromontanæ perſvaſi, ſentiebant vitam redituram in cadaver, ſi ad Clarum montem votis mortuus deſpõderetur. Non fefellit præſumpta fiducia. Quid enim confidentes in ſe Mater Veritatis & vitæ falleret? compellant Mariam nihil hæſitantes, & ecce ſurgentẽ è ferali ſponda excipiunt vivum. Veluti apprehenſus, ductúſque Divæ dexterâ, ſubjectámq; mortem premens, hic vitam Divæ acceptam refert cum Amicis Anno 1596. Illis credo Seraphici Doctoris verbis patheticis appellavit: *Tu es genitrix vitæ meæ, & altrix reparationis meæ ô MARIA.*

Surgit è feretro.

D. Bonavent. in Pſalt: B. V. Mariæ.

25. ET ſuo ſexui ſe *Matrem vitæ* præbere dignata eſt Diva noſtra. Nobilis *Regina Charzewſka* luſtrandi corporis, viriumq; reficiendarum causâ balneum ingreſſa, non multò pòſt mortua eſt inventa. Experimentum vitæ factum eſt acutiſſimis punctionibus, aduſtionibus, fricationibus, ſed exanimem comperientes, tribus horis mortuam lugent. Filia fœmineis ejulatibus Matris fatum deplorans ad commiſerationem viciniam excivit. Pulchro, recolligens dolore confuſum animum, pióque artificio Matrem egit ſuæ matris filia; facta ſupplex Divæ Claromontanæ peregrinationem decernit, vitam precibus licitando. Deprecatio Virginis, Miſericordiæ

Filiæ vota mortuæ matri vitam impetrant.

cordiæ Matrem Mariam ad miſerendum coëgit, ſurgit è ſtrato mater, in plurium præſentia, vivitquè. Authenticam miraculi recognitionem teſtes inſeruerunt faſtis Mariæ, dum vota ad Aram ſolveret Cliens Mariæ rediviva Anno 1646. 28. Iulij profeſſa eſt, per quam (ut D. Bernardus inquit) *Omnis mortalitas emerſit ad vitam.*

D. Bernardi Epiſt: 174.

Crudelior caduci morbi colliſio

26. NOn una via ad mortem itur. Et ſedendo & decumbendo, quem nobis procul abeſſe mentimur, fatorum termino propinquamus. Dura colliſione ad eum urgebatur Nob: *Margarita Grochalicka* Diſtrictûs Kijovienſis, morbi caduci furore ferebatur, ſeu clariùs loquar, jactabatur ad mortis metam. Semel ſic cadentem anima, vitáque defecit. Parentes, qui vitam filiæ dederant, cùm iterum dare non poſſent; à Diva Claromōtana, interpoſito viſitandæ ejus Domûs decreto; precabantur horis pluribus. Melior ſurrexit quam cecidit; Vivit meliorem vitam in functionib⁹ naturæ, quarum furorem placavit Mariæ benignitas. Gravium in Republica Perſonarum authoritate, fidem habet prodigium, quod Sintagmati gratiarum illatum eſt Anno 1550. 1. Septembr. Iudicate Mariophili; vobiſcum, & ad vos loquar cum Lactimelleo Doctore *Non erit abs re ſed valde optimum, ſi ipſam Reginam miſericordiæ vitam & dulcedinem noſtram dicamus, qui minùs experti adhuc vitæ hujus ac dulcedinis ſumus, ſed per ipſam ſperamus nos poſſe conſequi, quidquid totius Bonitatis Factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri.*

Idem ſuper Salve Regi

Civis Kamenecēſis mortuus, vivit.

27. NOndum adeo hoc ſeculū ſterile eſt, ut ejus anni, menſes, dieſq; miraculis veluti calculis in hoc Monte nō poſſunt adnotari. *Valentinus Kázánowicz* Civis Kamenecenſis Anno 1669. hebdomadis duodecim in palæſtra patientiæ torquebatur; luctatus cum doloribus ſuccubuit, & occubuit mortuus. Æternā Vicini precantur requiem, domeſtici funeralibus obſequiis intenti, rigefactum cadaver in terram reclinant. More ſolito lavatur exſuctum febrilibus ardoribus corpus, mortuorum induviis veſtitur, manus pedéſque faſciis ligantur, os, ac diſtortæ animam exhalantis mandibulæ in ſuam legem coactæ, vinculis componuntur, ad tumulū aptatur, pulſantur per Eccleſias æra campana, pióque more ad corpus defuncti accenſa lumina vitam extinctam teſtantur. Et poſt fata fidam conjugem defunctus habuit Dorotheam, & in Divæ Claromontanæ patrocinio fidentiſſimam. Cui tum ſuperſtitem adhuc, tum vitâ functum, cum ſerio viſitationis ejus propoſito maritum devovebat.

Quàm

Quàm facilem experta eſt, ut notum fieret, mortuum ſuſcitavit, qui loqueretur, quantâ gloriâ implêſſet Kamenecium MARIA, quæ latè vulgata populi fiduciam imbecillam roboravit. Movetur mortuus, concutitur, ſternutat, rumpit vincula, intelligénsque ſe MARIæ beneficio redivivū, quod uxor ſpoponderat exequitur Aulam Marianam reviſens, cum triginta Concivibus tanti miraculi teſtibus. Actum Kamenecij in præſentia R. Patris Gvardiani Włodorevenſis Ordinis Minorum. Senſit Marianæ gratiæ fragrantiâ Valentinus, valentior tantæ virtutis potentiâ reſurgens ad vitam. Perſvadete vobis Clientes. quos docent prodigia, quod teſte D. Bonaventura *Odor vitæ de Maria progreditur, & omnis ſalus de corde illius ſcaturitat.*

D. Bonavēt. in Pſalt: B. V. Mariæ.

Superiori ſimile.

28. NIhil refert à ſolisne Regum, aut Procerum Aulis miracula colligantur, an à Civitatum Domibus, aut Villanorum mapalibus, undecunque tandem veniant, paria ſunt, quia ad MARIæ potentiam, quæ ſibi ſemper par eſt, commenſurantur, & à fabrili incude, proficiſcuntur. *Martinus* Ferrifaber de *Naklo* in Sułeiow ſub Torunio in officina Vulcana, venditam pretio navabat operam. Non eam curam æger habuit, quæ infirmitati par eſſet, æger ſeptem hebdomadas. Quapropter debito deſtitutum apud inhumanum patremfamilias ſubſidio, mors uſurpavit. E lecto portatur ad feretrum, nondum ad tumulum. Quo tempore domeſtici de efferendo funere agitant conſilium, pia mulier, cui corporis cuſtodia demandata fuit, pro mortui vita negotium egit apud Divam vitæ Matrem MARIAM, obligatione peregrinationis ad Clari Montis Delubrum Marianum interpoſita. Tantum potuit fidentiſſimus in Divæ meritis mulieris animus, ut obtineret quod voluit. Surgit è ſandapila mortuus, horror alios qui funus laturi aderant diſſipat, alios ſtupefactos tenet prodigium. Receptâ prodigio vitâ, totum ſe votis exolvendis accingit. Præſens in Claro Monte cum teſtibus gratias agit Anno 1640. 16. Maij. Quod cùm totam viciniam non lateret, Cives Kłodavienſes, qui eo tempore ſolennem ſupplicationem inſtaurabant ad Montem clarum, gnari prodigij, rem teſtimonio comprobarunt. Eſt adhuc & à mortuis ulterior ad vitam tranſitus ad MARIAM Vitam noſtram, *Matrem Viæ Veritatis & Vitæ*; vocat omnes abſque delectu Eccleſ: 24. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Et certè ut loquitur ſvadendo Richardus à S. Laurent: lib: 12. de Laudib: B. V. M. *Libenter debet venire.*

Richard: à S. Laurent: de Laud: B. V. M.

Pauper ad divitem, ut locupletetur,
Pollutus ad fontem, ut mundificetur,
Debilis ad fortem, ut corroboretur,
Mortuus ad vitam, ut vivificetur,
Cæcus ad Collyrium, ut illuminetur,
Ægrotus ad medicinam, ut ſanitati reddatur.

A marito cæſa reviviſcit.

29. WIelicenſes quoque (leucis ſemi duabus Oppidum Wieliczka diſtat Cracoviâ) inſigni conſolata eſt miraculo MARIA. Hic intractabilis animi, ac pertinacis mulier, *Agnes Máßájowa*, nihil cognatum habens cum nomine, verbis maritum laceſſivit ad verbera; Cæcus furore vindicat injuriam illatam fuſtibus; fugit mariti crudelitatem conjugis anima, deſtitutumque corpus in oculis mariti reliquit. Parricidij ſeſe condemnans, qui mortis caſu fortuito illatæ cauſa fuit, egit & authorem vitæ, recollecta mente Divam Claromontanam precibus & votis implorans, vota peregrinationis cum rediviva conſorte nuncupat. *Agna immaculata MARIA* (ſic dicta Gregorio Nicomed: Orat: de Oblatione Deiparæ) Agneti ſe Matrem exhibuit, vitam dedit, quam ope gratiaq; Virginis reſtitutam, qui oculis viderunt, & lingvis in hoc loco cum utroque Conjugum ad vota ſolvenda præſentes, loquebantur, illudq; decantabant quod S. Germanus Archiepiſc: Conſtantinopolit: de Zona Virginis prædicat. *Omnia tua ſunt admirabilia ô Deipara omnia ingentia, & cunctorum vires ſuperantia!*

Gregorius Nicomed:

Germanus Patriarcha Conſtantini

Mortua vivit.

30. ET Caſimirienſes amat MARIA, & miraculis ornat. *Anna Ponicka*, tyrannidem morborum dolorúmque perpeſſa, licet nondum ſatis ad amicorum vota vixiſſet, mortua funeri parabatur. Collapſum cum marito conjugis animum erexit homine major fiducia, quâ vitam exorans à Maria ſtatuto peregrinationis Claromontanæ propoſito, impetravit. Vivit Anna & Patrem in marito maritumque in Patre habet, qui vitam exoravit. Soluta cum Concivibus gratiæ teſtibus vota, Anno 1637. 13. Maij. Verè ô Maria cum Eccleſia Eccleſiæ filij canimus, & gentes, quæ vitam per Te ſic, ex Te acceperunt ad laudes jubilúmque provocamus.

Tu Regis alti janua,
Et Aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

Caput

CAPUT V.

Mortificati ac moribundi huc per amicos oblati, vitæ & ſanitati reſtituuntur.

31. ORdo poſtulat mortuis moribundos jungere. *Thomas Malik* Civis Poſnanienſis gravi infirmitate preſſus, animam agebat. Anceps in rigefacto corpore ſpiritus, ſenſus omnes ſtupefecit. Quæſitum vitæ veſtigiũ, fruſtravit curas, & medendi ſtudiũ. Sollicitudo diſtrahit amicos, funerisnè curam faciant an vitæ? In dubio uſque adeò gravi, vota ad Divam Claromontanã Amici nuncupant, ut Diva ad vitæ favorem inclinet gratiam, precantes. Obviæ humanis miſeriis miſerationes MARIÆ, non tardarunt Clientum vota, qui nec vovere, nec precari, nec vivere potuit, vivit, relevatur, vegetatur; rata habet vota, & non ſua, ut ſua uſurpat, brevique plenus valetudinis gratiâ, ad Aram ſupplex reddit Anno 1577. cum Urbis Poſnanienſis teſtimonio, quæ gratiam in ſuo Cive vidit, & Divam in prodigioſa vitæ reſtitutione magnificavit. Si amica omnium neceſſitatibus MARIA (quæram audacter cum D. Bonaventura in Spec: cap: 8) *Quis eſt, ſuper quem ſol non luceat? Quis eſt, ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat?*

Mortificatus vitam reſumit.

D. Bonav: in Speculo cap: 8.

32. EX Daleſzyce oppido relatum eſt, quod ſequitur. *Regina Cyrulikowa*, domeſticam lanienam in infirmitate perpeſſa finem vivendi, patiendiq; feciſſe viſa, in ſenſuum membrorúmq; torpore inſveto, mortua, non mortua putatur, cujus nec ſubtilis halitus potuit explorari. *Agnes Rudnicka* de Rudniki Virago Nobilis, ad plagam, quæ Divæ Claromõtanæ Numen adorat converſa, pro vita agit Reginæ, precatur, lachrymatur, eamq; MARIæ donat, ad ejus Aras ſupplicem ſiſtere pollicita. Ne hæc ſuo, illa alieno teneretur voto, MARIA fecit, utrique ſolatium, huic in voto, illi in vita dedit, & utramq; cum contribuliũ teſtimonio ſupplicem habuit Anno 1630. Attende ſinceras Clientum mentes vocéſque MARIA, cum Tuo Ephræm (in Lament: Virgin:) Te appellamus. *Te nos ô pura & immaculata eademq; benedicta Virgo magni Filij ſui, univerſorumque Mater inculpata, integra & Sacro Sanctiſſima ſperantiũ atq; reorum ſpes collaudamus; Tibi ut gratiæ pleniſſimæ benedicimus, quæ Chriſtum genuiſti Deum & hominem, omnes Tibi procidimus, omnes Te invocamus, & Filium Tuum imploramus ô MARIA!*

In ſenſuum ſtupore mulier tabeſcens.

D. Ephræm.

33. Diſer-

Sugens ubi ber pestilēs moritur.

33. DIserta quoque puerorum balbuties magnalia loquitur MARIÆ; Nob: *Matthiæ Menczewski* unius anni filiolus inclinatus ad ultimum vitæ tramitem, vix Patri non fecerat, ne Pater audiret, amisso filio. Stitit periculum mortualis torpor è diuturnæ infirmitatis languoribus natus. Perniciosum malum, quod huc devoluit prolem, suxit ab ubere nutricis: quod toxicum interanea depascebat. Cunæ erant pro Sarcophago; amuletū contra mortis pestem quæritur, sed nullum est. Ad Aram DIVÆ Claromontanæ erat. Huc vota ferunt, & proli vitam fatiscentem reparant parentes. Meliùs habet: Venenum enim pestilens, quod puerum saginavit ad mortem, ejectum in extimam cutem desiccatum est. Negligunt vota parentes; pro parentibus votorum reis iterum filius plectitur, & alieno malo malè habet. Saniorem mentem reddidit, infirmitas desperata pueri. Divam offensam deprecantur & implorant, iterúmq; replicato in prolem & parentes beneficio votis potiuntur, Anno 1641. 24. Maij. Relatum in tabulas ritéque probatum authoritate illustrium personarum.

Puer moribundus.

34. VEtustiora in hunc ordinem recurrunt, quibus nihil nitoris ademit annosum tempus. Nob: Valeriano Linowski longa macie confectus puer, tribus vicibus visus exhalare animam, ac vitæ vestigio destitutus, penitus emoritur. Pater, quod comparare non potuit diviti pretio, effecit precibus. Eadem in Matre erga prolem affectio. Vterque cum prole in prole labantia solatia Mariæ devovent, facto ad ejus Sacrarium in Claro monte peregrinationis proposito. Habent vota in reviviscente filio, gratique Divam in Ara sua propitiam adorant Anno 1548. 1. Iulii.

Febribus malignis absumptus

35. TRimulus Gen: D. *Alberti Parzynski* huc spectat. Post morbos, qui tenellum corpus depascebant, febrilis malignitas vires absumebat. Idipsum miraculo datum, tantillo corpore adeo flagrantem Ætnam claudi potuisse. Mori cœperat puer. Ad venam vitæ MARIAM Claromontanam vota properant parentes refrigerium precati. Vno eodemque latice manavit à Diva, ad cujus limina votivum iter spondebant, & puero vita, & parentibus solatium. Compotes gratiæ votis humilibus Divam, cum prole venerati sunt Anno 1627. 6. Maij. Quicunq; fitiunt tuam dulcedinē ô MARIA, si non invenis innocentiâ pueros, fac gratiâ puros. Et (cum Seraphico Doctore tuum nomen imploro.) *Stilla Domina gratiam Vberum Tuorum & manante lacte dulcedinis Tuæ refice viscera puerorum Tuorum ô MARIA.*

D. Bonavēt. in Psalt: B. V. M.

Sex diebus moriens puer.

36 NObilis *Susanna Oleyska* de Constantinow ex Russia, ea curâ, quam requirebat præsaga magnarum rerum indoles pueri, Gregorium nomine filium educabat, ad sexennium feliciter. Exhaustus dissenteriâ, vixque ossibus hærens, contabuit, sex hebdomadis varia morborum sibi invicem succedentium symptomata passus. Successit tumor hydropicus, monstrum crederes adeo deformatum tumore venefico; Sex diebus moriebatur, utque ut moreretur, votum parentum erat, qui cùm à medicis beneficium obtinere non possent, à morte precabantur, quia vita adeo misera, morte ipsa acerbior videbatur, & erat. Vocantur ad suffragia, qui sex jam diebus luctantem animam Deo offerant, adsunt Alumni è Divi Dominici familia, & solito Ecclesiæ more, animam filij è genibus Deo commendant. Colebat pia Mater in conclavi domestico Nostræ Imaginis Imaginem, huc illapsa laxatis dolori frenis ærumnas, quæ absumebant filium coram Diva accusat per terram fusa, supplicis vota imitati Patres, monstrū illud vixque spirans cadaver impositū calcitræ post Matrem ad conclave deferunt, coram imagine Claromontanæ Virginis prostrati morientem offerunt; si superviveret ad ejus templa beneficij gratum sistere appromittendo. Res hæc seculo vix visa? ex templo tumor pestilentialis evanescit, restituitur vigor pristinus, deformitas membrorum in nativam pulchritudinem, adhuc in Patrū manibus cogitur, convalescit, & cum testibus extemporaneæ prorsus valetudinis ad Aram Virginis cum Parentibus vota solvit Anno 1635 20. Septemb: A Maria erat, quod accepit, vitæ beneficium. *Omnia enim* (testimonio D. Bernardi Serm: super Salve Regina) *hæc Regina Misericordiæ Domina mundi, Regina calorum contulit mundo, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, Lumen cæcorum, Iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum integritatis, Ipsa intercedat pro nobis.*

D. Bernardi sup: Salve Regina.

Vir moribūdus cum conjuge.

37 ET frigidæ Septemtrionis oræ incaluerunt, & inclaruerunt Sideris nostri benefico radio. G. D. Ioannes Anczuta è Palatinatu Novogrodensi cephaleam passus, indomitâ animi perturbatione exagitabatur. Felix quoddam intervallum nactus, quo impacatus furor in rationis usum non pugnavit, Divæ Claromontanæ vota nuncupavit, quorum beneficio perpetuam animi malatiam est

consecutus. Replicatur & in Conjuge Elizabetha Mogilinska par gratia. Diutius indomita morborum crudelitate Rexata mori cœpit, in terram deposita, jámque ultimum trahentis Spiritum, torpore mortuali, vig mibus manibus Sacer cereus ingeritur, & Spiritus Deo commendatur. Alio consilium conjunx vertit ad Divam nuper sibi propitiam cum votis festinat, & vitam. ab interitu vindicat. Votorum sui conjugis rea 146 milliarium iter emensa, vota ad Aram solvit grata Mariæ Cliens Nonne MARIA dum morientes hinc reficit; meritò appellatur à D. Methodio in Hypapant. *Altare animatum Panis vitæ?*

D. Methodi in Hypapi

Dolores cordis immedicabiles, & affectiones aliæ letales.

38 NObilis D. Ioannes Pietruski de Krosno tractus Sandecensis Anno 1641. 3 Februarij; repentino cordis dolore correptus, vix initium dolendi cùm fecisset, mori cœperat: peritiores in facultate medica, non præsumptum dixerunt periculum. Cordiales pulveres, & liquores adhibere, nil erat aliud, quàm flammæ cor depascenti oleum ministrare. Subintrat pleuthritis, asthma, cholica, & aliud innumerabile morborum satellitium, quod vitam de pectoris regia deturbaret. Langvet, viribus deficit, in amicorum manibus friget, & veluti in glaciem riget, fugiente calore spirans cadaver. Coniunx ejus *Sophia* cum pharmaca in deterius vitam urgent, ad MARIAM V: Claromontanam vota properat. Pauperes stipe diviti, utpote eloquentissimos Oratores in Aula Dei conducit, unam omnibus Sapiens Magistra suppeditavit materiem, pro vita morientis mariti perorandum. Coëgerunt pronum suapte natura animum MARIÆ ad miserendum stillavit rorem salutis, quo pestilens uredo extincta, Vitaque langvens refecta, ad pristinæ valetudinis beneficium moribundum reductum ostendit. Relatæ à Conjugibus gratiæ Anno 1645. 10. Iunij.

In pluribus morbis letalibus deficiens.

39 LOngum morbum, peracutos dolores, prolixum langvorem, desperatissima febris pestilentialis incendia, cæteraque mala incognita in M. D. *Simone Krzybowski*, Ensifero Łenczycensi verborum ambage quid edisseram? sufficiet ad miraculi magnitudinem, ex Medicorum iudicio, fatalia fuisse. Ipse æger dum per dolorum remissionem licuit, ad Divam Claromontanam suspiravit, & cùm loqui non posset, vota meditabatur. Votis moribundi vota super addunt cognati ex *Nazarea Mensa* vitæ alimoniam à MARIA exorando. Amantium se, confidentium in se voluntatem fecit MARIA, vitam Simoni

moni Clienti suo dedit, & cum gratæ mentis anathemate, argentea tabula, supplicem cum legitimis testimonijs ad Aram habuit, Anno 1643 18. Iulij. Prædicabo hoc ô MARIA, quod omnibus notum facit Doctor Seraphicus. *Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi, Tuo odore resco mortui reviviscunt.*

D. Bonav. in Psalt. B.V.M

in morbo caduco moribunda.

40 NObilis D. *Martini Skoruliski* filia post aliorum morborum tyrannidem, morbum caducum, febriles æstus perpessa, cōtabuit. Duobus continuo diebus moriebatur. Tormentum erat parentum adeo misera vita filiæ, mórsque jam pro beneficio imprecabatur. Ad MARIAM vota ferunt parentes peregrinationem ad Clarum Montem decernendo. Religionis uberrimus & desideratissimus proventus fuit vita filiæ, quam à Diva acceptam in fastis adnotavimus Anno 1591. 24. Maij.

Ad Imaginis B. V. M præsentiam moribunda vires resumit.

41. NObilis N. *Omiecinski* filia septennis infirmitate depressa agebat animam. Examen peritorum iudicavit letalia symptomata, & erant. Desperant omnes vitam Sophiæ. Iam clausis luminibus umbra mortis involuerat filiam, cùm Mater ad Divam Claromontanam recurrit, acceptóque ejus Imaginis apographo, ad morientis lectulum figit. In imagine Numen MARIÆ adesse credidisses, cùm ad ejus præsentiam puella reduxit palpebras, mersam confusione sensuum mentem recollegit, vigorem, nativum calorem, coloremq; induit, non multo pòst sana cum parentibus ad Aram MARIÆ beneficium & gratias enarravit Anno 1639. 28. Octobris. Profuit puellæ & præsentem in coloribus Patronam videre, viderique ab illa. Et hoc innocentum patrimonium est, adhuc in terra Mariæ Matris tantæ foveri deliciis. Nobis autem, (cum D. Bernardo fateor super Salve Regina,) *In illo decore Te videre, quo induit te Dominus fortitudinem, & præcinxit Te, non est hujus temporis, nec temporis vitæ nostræ vitiorum fætore sordentis. Stola immortalitatis Te indutam videre Domina indigni sumus, ostende nobis faciem miserationum tuarum ô MARIA*

D. Bernard. sup. Salve Regina.

Ab omnibus derelicta ac desperata ad Divam oblata, sanitati redditur.

42 ALtiori (ut ita dicam) cothurno pangendum esset, quod sub Anno 1637. 13. Maij. Archivum memorat prodigium in Iacobi Wierzchowski conjuge Catharina Buska. Sub tempus pestilentiæ ulceribus obsitum, corrosum, & ex parte absumptum corpus tulit. Quam corporis partem non exedit virus, hæc fætore intollerabili manavit. Eò ventum est, ut carnis vivæ frustis ab ossium compage

cadentibus; tota vulnus, tota in vulnere appareret. In tam crudeli tormento, una ſpes deſperatæ Maria, ad cujus Claromontanam Domum vota frequentabat. Deerant & illi, quorum in obſequio deſiderabat operam; & nonnulli Iobæam in ea plagam abhorrentes abominabantur contubernium. In ſupremo termino vitæ conſtituta animam agebat. Votorum ſuæ Conſortis gnarus Coniunx ad Divæ medicam opem impetrandam, vota reſumit peregrinationis Claromontanæ; & cùm eluſiſſet letalis plaga omnem medendi curam, prodigio, vult morientem vivere, mortalium fidem excedit, quomodo inopinato prodigio oſſa nudâ carnibus indui cæperint, cadentibus ac purè fluentibus ulcerum peſtibus: hiantia coire vulnera totúmque corpus cum viribus integrari. Votorum reus uterque conjugum, beneficam vitæ reparatricem in hoc loco adoravit. Anno & die quo ſupra.

Triduò moribunda.

43 EAndem viam univerſæ carnis ingredi videbatur & Nobilis Anna Brodzicka hebdomadis aliquot implacabilem morbi Herculei tyrannidem experta; ac ulterius ferendæ impar, triduo ſenſuum facultatibus privata decubuit. Quod à medicorum liberali ſtipendio beneficium emi non potuit, dedit heræ famulus, eam ad Aram Divæ Claromontanæ ſiſtere decernens, ſi ſuperviveret. Cum morte triduò luctata ad invocatum, præſenſque Numen MARIÆ vires & ſenſus reſumpſit, frigidum ſudorem triduo ſtagnantem in corpore deterſit; torporem excuſſit, ad ſolvenda vota MARIÆ expedita. Fit ſupplex cum gratiarum actione ad Aram Virginis Anno 1640. 9. Iunij.

Simile ex morbo caduco.

44 HVc quoque Sophiam Słupſka Nobilem Sendomirienſe territorium ad homagium ſtitit, votorum ream. Concuſſa indomitâ vi furoris Herculei longiori tempore, quidquid charum quidquid pretioſum erat in medicam opem profudit. Maior erat ſumptibus, humaniſque medendi modis, morbi contumacia; quæ tandem ad ultimum agonem vitæ deſperatam, ac deploratam inclinavit. Et moriebatur inter lachrymas, quas amantia pectora dederunt. Adfuit ſortem miſeratus piæ mulieris Eclefiaſticæ dignitatis (nomen non reperio) perſona quædam, Divæ Claromontanæ moribundam cum ſuſcipiendæ peregrinationis onere, offert; accedunt cognatorum vota probantium placita, ſua alij cumulant, quorum meritò reviviſcens repentina curatione domum totam exhilaravit. Vota ſolvit Anno 1640. 3. Iulij. Si tam illuſtribus ſ[e]xum ſuum Diva noſtra ornat prodigijs, nonne pulchrè admodum dicitur ab Ildephonſo Serm: de Aſſumpt: *Mulierum decus MARIA.*

D. Ildephons. Serm: de Aſſumpt:

45. Ab

Pater cum filio moribundus.

45 AB aulis Nobilium Civitates ingredior. Signant ſe miracula ſuo fulgore, & luce ſua produntur. Primum eſt in Alberto Pigiel Cive Radziejovienſi. Ingraveſcentis morbi, quo affixus decubuit, finis erat mors; hæc tamen in ipſo limine ſubſtitit Divæ nutum adorans. Acceſſit propinquius & agonizat Albertus. Adeſt A. R. D. *Laurentius Sniechowicz* Commendatarius Radziejovienſis, Divæ Claromontanæ ægrè trahentem animam offert, ſuique voti gratiâ, priſtinæ ſanitati reſtitutum domeſticis redonat. Alternatur Patrem inter prolémque letalis decubitus; patris mortuale ſtratum filius occupat, torquetur doloribus, coquitur febrium ignibus, depaſcitur, abſumitur, uſque ad ſupremum langvorem, qui moribundo fecit diem decretorium. Expertum in ſe genitor Divæ Claromontanæ patrocinium exorat filio animam exhalanti. Vivit natus vitâ MARIÆ, & voto Patris. Bis Pater eſſe meruit, dum genitam prolem educat, & morienti vitam impetrat. Se tamen cum prole Divæ fæcunditate regeneratum, debet Matri viventium, & ad ejus Aram ſupplicem cum gratiarum actione exhibet, teſte beneficij memorato A. R. D. *Laurentio Swiechowicz* Anno 1623. 21. Maij.

In Morbis gravibus vitæ diſcrimen.

46 SImile de Niemierow Civitate exemplum, in honeſto Viro Andrea Drobicki. Ad mortis limites morborum incognitorum, adeoque immedicabilium exercitu urgebatur. Stiterunt ad ruinam ſepulchralem caſum, vota Divæ Claromontanæ promiſſa, eorum religione, qui teneriùs morientem amabant, & vitam diuturniorem exoptabant; ſurgit ad homagium Virginis, quod ut exolueret peregrinationem ad Templa Virginis properavit, dante ſuper miraculi beneficijque gratia teſtimonium M. D. *Stanislao Niemiera* Herede in Niemierow Palatino Podlachiæ. Anno 1640. 16 Maij. Tibi ô MARIA, Reparatricis, ac Adminiſtræ ſalutis Noſtræ, titulum debemus; Namque (Damaſcenum Orat: 1. de Nativit: refero) *Ob Deum in vitam prodijſti, ut Orbis Univerſi ſaluti Adminiſtram Te præberes, atque antiquum Dei conſilium, hoc eſt Incarnationis Verbi, ac noſtræ Deificationis per Te, impleretur ô MARIA.*

Ex morbis incognitis deſperata.

47 VIlna Lithvaniæ Metropolis Sebaſtiani Pharmacopolæ Filiam vidit prodigio ab ultimo vitæ interitu vindicatam, Diva Claromontana illud votis à parentibus implorata, fecerat, quo & affectum Lithvanorum in ſui amores proniorem rependeret, & fiduciam deſperatis inſinuaret. ægra macie contabuit ſuper multiplici

morborum incognitorum natura, nihil decernere poterant peritiores medici, nisi letales esse. Vota ad Divam Pater, Diva sanitatem dedit. Dilaudatum miraculum fertur ad templa Virginis, & vivens in filia & in coloribus, quibus adumbratum in Aula Virginalis Templi appensum Anno 1539.

Ex langvore letali relevata.

48 NOn quæruntur, sed undiquè feruntur ad Aulam Marianam prodigia. Præsens est de Oppido dictum *Kolo.* Civis hic *Regina Kąsprowa* sensim fatiscens langvore mortuali, quem humanis viribus major ægritudo progenuit, moriebatur. Mori tamen non debuit, quæ signum salutis, ac amuletum salutare contra venena mortis gestabat in pectore, Claromontanæ Virginis Imaginem. providens enim prudens mulier, quòd imminebat vitæ discrimen, hunc contra tela mortis Clypeum assumpsit, & quoties letale deliquium fecerat periculum, utraque manu pectori applicuit. Stupefacti sensus, intercluſa vox, torpor mortis, in desperationem agebant domesticos; Sed Diva Claromontana, cujus peregrinationi sese impensè identidem devovebat, mortis telum retudit. Surgit sic defensa, optimè valet viribus, sensibus, animo, integra, constans. Hic in fastis adscriptum Anno 1646. in Festo SS. Trinitatis.

Fœtentibus apostematibus oppletus reparatur.

49 OMnium facta Mater omnes amat, omnium miseretur, nec tantùm illis qui divites, sed & qui pauperes plebis audiunt, succurrit. *Lucas Gachowski* de *Chrzanow* hebdomadis pluribus febribus æstuavit. Suppuratis oppletus ulceribus ac fætidum halans, ab obsequio & amicissimos arcebat. Tetigit & animam nidor pestilens, quo fugaretur. Ad Montem Clarum velut ad Montem Aromatum, vota spondet moribundus, & quod in labefactato corpore destructum fuit, hoc medica MARIÆ manus reparavit; profugum, prope à fætido corporis ergastulo hospitem, animam retrahendo, ad sociale cum corpore contubernium coëgit. In Acta datum prodigium Anno 1641 22 Iunij. Plena gratiâ MARIA quidni gratiam dispenset in miseros? Invenit gratiam quam peccato perdidimus. Sed quam? Audi Melli- lacteum Doctorem Homilia 3. Super Missus est. *Invenisti gratiam apud Deum, quod nemo ante Te potuit invenire. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem ô MARIA.*

D. Bernard.

CA-

CAPUT VI.

Illustriores personæ, ex ignotis, desperatisque morbis in vitæ spem, vitamque relevantur.

Sex annorum desperata ægritudo.

50 MAter *Sanctæ Spei* MARIA spem vitamque dedit G. D. Ioanni Eliæ Węzyk. hanc ex autographo Clientis acceptam, & nonnihil succinctam intellige.

Ego Ioannes Elias Węzyk *Widawski de* Widawa *testor quanta mihi fecerit Virgo Deipara. Morbo inexplicabilis naturæ me Deus afflixit, affixitque lecto per Sexennium. Medicorum notitiam fugiebat, alij caducum seu epilepsiam asserebant, alijs maleficia videbantur, Phrenesim alij putabant, omnes abominabilem me ac desperatum fugiebant morbi contagem metuendo. Tabe confectum, consumptumque in terram depositum me deplorabant, cùmque moribundum me Parochus inviseret, vota fecit pro me Divæ V. Claromontanæ; svadens eadem & consorti meæ, quorum uterque me ad iter pedestre despondent Visitationis Claromontanæ gratiâ. Factum est Divina ope, precibus & interventu SS. Matris, ut malum cætera indomitum, mitesceret; quo evanescente perfectæ Valetudini redditus sum. Pro quo sit Deus benedictus, & SSmæ. ejus Matri gratiarum actio. Positum Anno 1622. in Festo SS. Trinitatis.*

Cæsarius libro 7. capite

A quo recesserunt medici, Diva curandum suscepit, verè cum Cæsario lib: 7. cap: 15. indubitatum assero. *Medicina Beatæ Virginis nihil est efficatius nihil salubrius.*

Ex varijs morbis desperatus.

51 ÆQuè magnificum est, quod subijcitur beneficium in hoc autographo. Anno Salutis M. DC. VIII.

Deiparæ Virgini; cælorum Angelorumqe Reginæ MARIÆ, *toties vitæ patronæ, tempore verò quodam præterito multitudine gravissimorum diversorúmque morborum obruto, pene que oppresso mihi, dum vota & ipse, & pro me Sophia Ducissa de Zaslaw & Ostrog, Coniux familiaresque concipimus supra spem humanæ rationis miraculosæ liberatrici;* IoannesComes *de Ostrog, Castellanus Posnaniensis, Mariaburgensis, & Garvolinensis,*

Capi-

Capitaneus, vota ſolvendo hoc loco gratias ago reliquum vitæ, exitúmque, ac mortis horam Cliens eidem Patronæ commendo.

Idem qui ſupra *mn pp.*

Quamvis patiantur ſuas Ecclypſes Illuſtriſſima orbis Poloni lumina, hujus Sideris radio ſerenantur, & gratitudinis exempla imitanda relinquunt. Ad compellandum miſericordiſſimum Numen MARIÆ ſecum trahit Bernardus ſuper Salve Regina. *Levemus Fratres cor noſtrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei paſſibus amoris, immolantes ei hoſtiam laudis, reddentes ei vota noſtra de die in diem, de hora in horam, dicentes aſſiduè. Salve Regina miſericordiæ MARIA.*

D. Bernard:

Superiorib⁹ ſimile.

52 SImilia nectuntur. E Lithvania eſt recognitio Illuſtriſſimi *Ioannis Zabrzeznicki* Palatini Trocenſis, nec non Mareſchalci Magni Ducatûs Lithvaniæ, cujus tenorem hic accipe.

In notitiam univerſorum hoc admirandum, quod factum eſt venire velim, quod, cùm graviſſima ægritudine proſtratus longo tempore decumberem, & medici conſtantiſſimè iam iam me moriturum affirmarent, & omnes qui me videbant hoc prudenter confirmarent; ad locum hunc SSmæ Virginis Intemeratæ Mariæ, in Czeſtochowa, me venturum promiſi, ut primùm ab ægritudine convaleſcerem, mox itaquè in ea graviſſima infirmitate, qui vitæ ſupremum articulum expectabam, convaleſcere, & in dies præter omnium expectationem, ejuſdem Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis ope vires colligere cæpi, & plenè convalui per miraculũ & ad cujus perpetuam memoriam, hoc teſtimonium depono.

Gratus pro beneficio, ut feſtiva tanti beneficij memoria perennaret grandiorem argenteam bracteam, ſpeciale miraculi gratiæquè Schema, ad Aram Thaumaturgam appendit Anno 1627. die Dominico in Feſto S. Crucis. Fili Adæ, tam dulci vitæ fructu refectus conſilio Lactimellei Doctoris Homil: 2. ſuper Miſſus eſt: *Muta verbum excuſationis iniquæ in vocem gratiarum actionis &, dic. Domine, mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ & comedi, & dulce fuit ori meo ſuper mel, quia in ipſo vivificaſti me.*

D. Bernardi

53. SVperioris quoque ſeculi teſtimonium Sereniſſimi Sigiſmundi Regis Aulici, non antiquavit tot annorum decurſus. Scripſit illud non minùs pio, quàm grato animo G.D. *Sebaſtianus Modlenſki.* Cujus tenorem idiomate Latino refero.

Ego. Sebaſtianus Modlenſki, *Sigiſmundi Regis Auguſtiſſimi Pocillator, per annos quatuor in morbis decubui proſtratus à Deo Iuſto criminum vindice. Medicos & qui ſolicitam mei curam gerebant, cognatos, de vita dubietas conſternavit: nihilominus fiducia fretus, quam fovebat meus in Deum, & Virginem ejus Matrem Immaculatam, erectâ, promiſi viſitare ejus in Claromonte Baſilicam, & ita interventu meritorum Matris ejus & Virginis MARIÆ, dignanter me Deus à morte & infirmitatibus, quæ deſperationem fecerant, abſolvit. Anno 1542.*

Supplex ad Aram Cliens expertus eſt, docétque tam luculento miſericordiarum Mariæ teſtimonio, quòd ſecundùm D. Epiphanium Hæreſi 78. contra Antidicomarionitas *ægrotantium exultatio, & omnium ſalus MARIA.*

54 NVlla ſpes aluit victurum M. D. *Alexandrum Tyſzkiewicz* in Łochoyſko Palatinidem Breſtenſem in morbis immedicabilibus. Fefellit induſtriam jam agminatim, iam alternatim pugnans in imbecillem malignitas ægritudinum, quæ cum corpus impleſſent, redundarunt in animum uſque ad deſperationem torquendo. Vno anno & medio uſu patiendi, facilitatem tolerandi non adeptus, in votis mortem habuit. Error hic erat deſperantis; corrigunt familiares, útque vota Divæ Claromontanæ nuncupet, ſvadent, perſvadéntque. Idipſum erat vitam perſvadere, ut enim hæc concepit, ac frequentavit, ſenſit, & agnovit vitæ valetudinisq; beneficium à MARIA profectum. Præſens præco gratiæ, argenteam majoris ponderis laminã gratitudinis anathema fixit ad Aram Soſpitatricis MARIÆ. Invenit vitæ gratiam? *Et nos,* impulſu D. Bernardi, *quæramus gratiã, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt MARIA.*

Superiorib⁹ ſimile.

D. Bernard:

55. NOn amant ſolas quiſquillas, & mapalia morbi; pertingunt ad Aulas. Ad M. D. *Ioannem Podoſki* Caſtellanum Racieſzynenſem, Ciechanovienſem, & Dobrynenſem Capitaneum pertigerunt. Oppleverunt eum peſtes medicis intractabiles. Adeſt dies decretorius, vicinam ferens mortem. Ad Clarum Montem cum votis itur fidentiſſimo in Divæ meritis animo. Rependit affectum MARIA ſat abundè, uſquè ad votorum menſuram, cùm vitam extemporaneo prodigio, ſtupente medicorum, cognatorúmque cætu, in corpus exhauſtum infudit. Perennem beneficij memoriam voluit Cliens

Simile.

MARIÆ, ideòquè præſens in grandiori lamina teſtimonium gratiæ, fidemque fecit Anno 1622. 29. Maij. Portum, Portãq; vitæ ſalutavit *Mariam*. Salutemus & nos *Mariam* Salutis noſtræ Portum,

Porta Salutis Ave, per quam patet exitus à væ!
Venit ab Eva væ, væ quia tollis AVE
Ave MARIA.

Simile.

56. SAlutis vitæquè Portum quæſivit & invenit in Maria, Generoſus D. Conſtantinus Kurdwanski, Diſtrictûs Sochaczovienſis, dùm ad mortis jura, ad feretra, & Sarcophagum poſcebatur, novem hebdomadas morbis in corpus pugnantibus. Fraudavit ſumptus & conatus pertinax & anceps malum. Ad Divam Claromontanam peregrinatur animo, & ejus allucente ſereno, vitæ portam invenit, vivis redditus Anno 1647. ipſo die Naſcentis Virginis præſens. Generoſum Dnúm Staniſlaum Grodowski, & G. D. Stephanum Goski, anathemáque argento cœlatum, in beneficij teſtimonium dedit, aureo cum inſerto adamante annulo Divam ſibi in ulteriores favores deſponſando 8. Septembris, Anno quo ſupra. Cum Divæ noſtræ Cliente in feſtivitate ejuſdẽ auſpicatiſſimorum nataliũ vota deponẽte precemur in neceſſitatib⁹ par beneficiũ. Ergo

In Feſtivo Virginis die collætemur,
Ex qua lumen Luminis ortum confitemur,
Et ut omnis criminis cariè mundemur
Odâ noſtri carminis ipſam veneremur.

Letalia deliquia.

57. ET Pomerania novit, quid poſſit pius in Divam noſtram animus, novit in Viro Nobili Caſimiro Bartkowski è Palatinatu Pomeraniæ, Diſtrictûs Derſzovien: Tribus anni quadrantibus langvebat. Letalia erant deliquia per putidas rimas corporis cutisque, rubram fudit arenam, inſolitùm incognitumque malum, ſi quod applicabatur pharmacum laceſſivit non leniit acerbitatem; ob vehementiam dolorum manu tangi minimè paſſus, in ſola ſindone volvebatur, portabatur; motrice corporis facultate deſtitutus, cetera ſanus animo, ipſe ſui author ſolatii, Divam è longinquo appellat; & cùm nec vocem tollere nec manus poſſet, ſuſpiriis perorat, voto peregrinationis ad Eccleſiæ Claromontanæ limina concepto. Audiit MARIA, arefactos tabeque confectos artus, carne nova induit, in novam juventutem, vitámque renatus Divam ſupplex hic adorat,

E vulnerib⁹ rubram fudit arenam.

adorat, cum teſtibus Anno D. 1646. Anathema manus argenteas ſui mancipatûs teſſeram ad Aram deponit. Habet vitam à Maria vitæ Matre. Nam ut ait D Bernardus, ſuper Miſſus eſt. *Nihil nos habere Deus voluit, quod per MARIÆ manus non tranſiret.*

D. Bernard. ſuper Miſſus eſt.

58. MAgnificus D. *Ioannes Zacki* Capitaneus Samogitenſis, morborum tormento, qui nomen non habebant; aut habere non merebantur, vexatus fatiſcebat. Recedentibus medicis qui celebriores advocabãtur, maturuit creſcẽte malignitate ad miraculum. Fatalis lãgvor lingvæ negavit officiũ, & ſenſib⁹. Integra mens ſuſcepit cœlitus inſinuatam Divæ Claromontanæ recordationẽ, ad quam vota daret. Dedit, novámque vitam reportavit ſtupentibus ad extemporaneam poſt vota ſanitatem Patribus Societ: IESU, & Conjuge. Gratia teſtimonium habet, & à lingva recognoſcentis, dum præſens homagium præſtaret; & à liberalitate, dum argenteum anathema ad Aram appenderet, Anno 1646. 23. Iulij.

Senſib⁹ deſtitutus & deſperatus.

59. PAr eſt gratia in Nob: *Andrea Dziewaltowſki* Lithvano Territorij Oſmanenſis. Æger vocat medicos, adſunt, diem decretorium aſſerentes, recedunt. Precario vivere maluit, & debuit. Illuſtriſſimus Domin⁹ Caſtellanus Vilnenſis, qui præſens aderat, moribundo votis apud Divam Claromontanã vitam licitabatur, & obtinuit. Revaluit; cumq; vitæ ſuæ Promotore præſens gratiam recognovit Anno 1639. 23. Martij. Quanta per Te, & ex Te non habent mortales ô MARIA. Loquatur D. Anſelmus apud Bonavent: in Spec: cap: 1. *Per fœcunditatem Tuam Domina immundus peccator eſt juſtificatus, damnatus ſalvatus, & exul reductus: partus enim Tuus Domina mundum captivum redemit, ægrum ſanavit, mortuum ſuſcitavit.*

Superiori ſimile.

D. Anſelmus.

60. SAlutarem ab hac Menſa MARIÆ refectionem habuit & Gen. D. Alexander Zarembinski. Poſt febriles æſtus, quos medica facultas ſopire non potuit, poſt letalia deliquia, in quibus ſenſuum perempta vis, deſperationem auxerat, funeralis loculus ſupremum trahenti ſpiritum, parabatur. Cognati ad Marianã Menſam vota feſtinant, & fiduciæ merito, moribundum priſtinæ valetudini reſtituunt. Vota ſolvit, Anno 1677. 25. Martij.

CAPUT VII.

Insigniores Personæ in desperatis casibus vitâ periclitantes, vitam, sanitatémque deploratam recuperant.

Acum glutiens desperatus.

61. ADmodum Rev: Dominus Iurkowski Decanus Zatoriensis, Parochus in Polanka Anno D. 1627. in Hebdomada sanctâ acum casu glutiit. Quàm parvis veniunt summa mala principiis? Quatuor hebdomadis in educenda ab Chirurgis laboratum frustra. Dierum infelicium lapsu crevit vitæ periculũ. Tumefactũ collum saniem sangvinemq; fundebat, læsúmq; guttur nullam nutriendæ vitæ alimoniam admisit. Sic desperatus totam curam à corpore traducit in animam, Sacramentis omnibus ad mortẽ ritè munitus, Reliquum tamen spei suæ, quod esse potuit in moribundo, Divæ Sospitatrici Mariæ cõmittit, locum ejus in Claro monte venerari appromittens si viveret. Glutit salivam, acus sequitur in viscerum sinum, sed necdum liber omni periculo, qui mortis arma intra se ferebat. Divæ committit & alterum quod putabatur haud dubiè, vitæ discrimen, confirmando iterum piæ voluntatis erga locum Sacrum proposita, evadit. Vota solvit 8. Iunij. Rectè in Te confidunt ô Diva Spes desperatorum Maria, quia, ut inquit Petrus Damian: Serm: 1. de Nativit: B. V. M. *Data est tibi omnis potestas in Cœlo & in terra, ut nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem salutis relevare ô MARIA.*

Petrus Damianus.

Collum fractum.

62. NEc fallere Clientum expectationem, nec differre novit MARIA. Dabunt testimonium G. D. Raczynscij è Palatinatu Siradiensi, Ioannes, Valentinus, Sigismundus & Petrus. Anno 1613. ad Equestria Iudicia Siradiam Equites profecti, dum præcipitant cursum, ad cespitem offendit Ioannis refractarius, excussúmq; sessorem miseranda ruinâ terræ allisit. Stitit effrenem cursum lapsus, Germani subodorati periculum retrovertũt iter, officiosas manus admovent, sed fractâ gulam advertunt. Destituti medendi consilio, soluti in lachrymas, tribus & amplius horis, ut mortuo parentant. Occurrit *Petro* Divæ Claromontanæ memoria, insinuat eandem & Fratribus, socialique devotione concepta fiduciâ, Divam appellant pro vita Fratris, peregrinationẽ ad ejus limina decernen-

tes O

tes. O stupenda in prodigialium operum patratione Mariæ in vitam, mortem, casúsq; potestas! inter Fratrum lachrymas manusque occulto Virginis imploratæ Numine, detortum collum in suum ordinem reductum, attonitos tenuit Fratres & familiam. Integratis extemporaneo miraculo viribus surgit, & quod superest itineris, eques prosequitur. Et affectus & vota fratrum placuerunt Ioanni, rata habet, addit sua Divæ impensiùs devotus, adest 17. Septembris cum Fratribus, Reparatricem vitæ Mariam adorat, laminam argenteam, cui superjectum, exactéq; coloribus expressum rei gestæ schema, vivit in oculis spectantium, ad pedes Mariæ appendit. Adnotatum in Fastis cum testimonio Fratrum. Recognoverunt quod MARIA (ut Irenæus ait lib: 5. cap: 33.) *Et sibi & universo generi humano facta est causa salutis.*

Irenæus.

Guttur læsum.

63. PVlchro ordine unde procedunt, eò revertuntur miracula. N. Balthasar Zdrowski, in quodam casu guttur læsus, primùm loquendi, respirandi, deinde facultate privatus, ob recrudescens in dies vulnus nullum fovendo corpori satis diu nutrimentũ suscepit. In alia membra pestis à gutture dimanans, corpus totum insedit. Lusit intractabilis plaga studia medentium, usque ad desperationem chari Conjugis fatum acerbè ferens marita, ad Divam votis ivit, conjugem quem propè amiserat, donans Mariæ, locóque ejus sacro in Claro Monte devovens. Suscepit ægrum, reddidit paulò pôst sanum Maria. Gratus Cliens & lingvam in laudes, & calamum acuit, quo miraculi pangens gloriam, parodiam cecinit Virgini Sospitæ, quam idiomate vernaculo in Rythmum coactam, ac porrectam Actorum Præsidi monumentis magnalium Mariæ inseri postulavit Anno 1566. Benedicamus Mariam in operibus manuum ejus, & dicamus cum Seraphico Doctore. *Benedicta sint omnia opera manuum tuarum Domina; benedicta sint omnia sancta miracula tua.*

D. Bonavent. in Psalteri B. V. M.

Superiori similes.

64. NObilis *Martianus Lesniowski*, è Territorio Præmyslensi in Sadek, Nobilem quendam ictu letali sustulit, in illa tumultuantis multitudinis confusione ferro in collum adacto saucius, per os transverberati gutturis, cibum & potum, quem sumebat, fudit. Fatale & in collo vulnus. Homicidiũ exigentibus amicis occisi, vitæ pretio pendi debuit. Desperatus à Chirurgis, & à vulnere, & à tribunali decretorium diem præstolabatur. In Patronam causæ Divam Częstochoviensem votis poposcit, & ab utroque vitæ discrimine absolu-

 solu-

ſolutus, votorum tamen ad ejus Aram reddendorum reus, argenteā tabulam, ſymbolum gratæ mentis fixit & cicatricib⁹ in collo & gutture præſentatis beneficium Actis Partheniis inſeruit Anno 1623. 28 Maij. Credo confitebatur illud D. Bonavent: in Pſalter: B. V. M. *Tu ſalus mea in Domino, quæ me morti adjudicatum liberaſti.*

D. Bonavent: in Pſalt: B. V. Mariæ.

Gladio trajectus.

65. QVid in G. D. Sempkowski, nonnè admirabilis apparuit *Maria?* Anno 1644. mucrone (ſpadam dicimus) tranſverberatus, plura in uno vulnere letalia vulnera, trajecta interanea, cibum quem ſumebat, per hiantes corporis rimas egerebant. Mortualis langvor loquendi facultatem ademit. Æger ipſe ſuæ ſanitatis fit artifex, de qua conclamatū fuit. Ad Divam Czeſtochovienſem vota properat, & medicam virtutem ejus præſentiæ in viſcerum reparatione expertus, Divámque veneratus, Faſtis dignum ab orbe legi miraculum intulit, Anno quo ſupra 1644. 18 Novembris. Mirabile hoc eſt? ſed, (cum D. Bernardo Homilia ſuper Miſſus eſt, admiramini) *Quid mirum eſt, ſi Deus, qui mirabilis legitur, & cernitur in Sanctis ſuis, mirabilem ſe exhibeat in Matre ſua.*

D. Bernard.

Cultro trāsfixus.

66: MInora corpora grandium nonnunquam ut periculorum, ità & miraculorum capacia, cùm alibi vidimus, tum præcipuè in Gen: D. *Nicolai Nieborowſki* de Radoſzyce filio. Arrepto grandiori cultro domeſticis uſibus obvio, locum editiorem conſcendit, cum quo præceps deorſùm, illis familiaribus armis, & vitæ, & viſceribus viam pertudit. Accurrit famulus, cum tepido cruore fluentia per latiorem vulneris rimam introagit viſcera; feſtinat auxilium mater, ſed majus curis humanis diſcrimen, vitæ ſpem amputavit. Invenit aliud remedium, quod ars naturáque dare non potuit, extemporaneo verborum apparatu Divam Czeſtochovienſem precatur, & propitiam habet, nam Divæ ipſius credo præpotenti dextera, coaptatis ſuo loco viſceribus, coiverunt rimas agentia vulnera plenæ valetudini redditum *Sophia Nieborowſka* Mater, filium ſtitit ad Aram 1640. 24. Iulij. Læta gratias agit cum filio mater, quid mirum, ſi dolores, mœroréſque leniit, ac perſanavit. (Andreæ Ieroſolymitano dicta) *Lætitiæ Inſtrumentum* MARIA.

Andreas Ieroſolymit.

Simile.

67. SImile in Virgine Nobili Suſanna Działynska, Manu premens cultrum, per ſublimiores gradus ferebatur. Cecidit cultrumque in præcordia fatali colliſione adegit. Diſcrimen vitæ Chirur-

gus metiebatur profunditate vulneris. quod coſtas inter hiare fecerat culter uſque ad manubrium pervadens. Difficile fuit miſerè dolenti perire, quod volebat. Occupavit opportunè mentem, Divæ Claromontanæ cogitatio, ſalutaris erat; hanc invocat, & ad ſua placita votis cogit. idem agunt parentes & domeſtici. Succeſſit ſalutaribus auſpiciis negotium apud Mariam, occulta, occulto Numine reparantur vulnera. Adeſt, vota ſolvit, Anno D. 1628. 28. Maij. Affligimur, lædimur, periclitamur, perimus; ut quid ad vota noſtra non uſurpamus ſenſum, ſtylúmque D. Damaſceni B. Mariæ Clementiam inclinantes ad miſericordiam? *Inexpectatam noſtrûm lætitiam produxiſti, per Te enim mortis vinculis ſoluti ſumus. Veni ad nos ô Divine vitam ferens Theſaure, veni ad nos cupientes, quæ cupiditatem noſtram explevisti ô* MARIA!

D. Damaſc. de Dormit. B. V. M.

CAPVT VIII.

Status diverſi, ſexuſque promiſcui deſperati Clientes MARIÆ *patrocinantis experiuntur auxilium.*

67. MAgnificus D. *Martinus Kazánowſki*, antequam expeditionem bellicam, ex commiſſione Sereniſſimi Regis Sigiſmundi Tertij, contra Turcas, & Tartaros moviſſet, pro feliciſſimis auſpicijs, aliorum Belli Ducum, Principúmq; more, cum Conjuge, & ſeptenni filio Adamo, ad Montem clarum proficiſcebatur. Nè abſque auguſtiore miraculo ad Aram ſiſterentur, caſus fecit. Ad pagum *Gidle* filius è rheda deciduus, rotáque oppreſſus, curſum ſtitit. Adniſi viribus famuli fruſtra laborant in extrahendo filio, donec robuſtior ex haydonibus opem ferret. Animam agens filius, tormentum erat parentibus. Medendi conſilium, vota, vultúſque ad Clarum Montem obvertunt, & vivum funus è genibus Matri viventium commendant. Faxit MARIA ſupplicibus & filio, cui vitam ac valetudinem magno certè miraculo redonavit. Teſtatum in Actis Anno 1621. 14. Maij. Quidni ſalutem deſperatis daret, dicta Dionyſio Rychelio libr. 2. de Laud: B. V. M. *Mundi Salvatrix* MARIA.

Rotâ preſſus quaſſatuſq; puer.

Dionyſius Rychelius.

68. FOrtuna quoque periclitans Divæ noſtræ Numen adorat. Civis eſt Caliſſienſis *Staniſlaus* nomine, Cognomen ei *Fortuna* dedit. Os guttúrque trajectū globis aliquot, qui Chirurgis obluctabantur hærentes in vulnerum profundo, vitæ periculum fecit. Tem-

Globis aliquot læſus.

poralis

poralis vitæ à cura, quæ sedula fuit, ad animam traducitur sollicitudo. Sacramentis munitus ad agonem parabatur, sacro delibatus ceromate Christianus Athleta. Adsunt PP. Soc: IESU, & S. Francisci Strictioris Observantiæ, qui animam morientis DEO commendant. Aliò vertit iter moribūdus, animo supplici ad Divā ivit, solâ mente, cùm linguâ non posset, depromens vota peregrinationis ad Clari Montis limina. Ad reparandam sanitatem sufficiebat à MARIA sanari voluisse. Ad singultum, tussimque leniter commovetur, concutitur, globos eijcit, quibus mors in vitam, casus in Fortunam pugnabat. Agnitum à præsentibus miraculū, & huc relatum cum votis Anno 1615. Gaudium dedit ægro illa, quæ Andreæ Ierosolymitano in salutat: Angelic: dicitur *Mater sempiterni gaudij* MARIA.

Andr: Ierosolymit.

Læsus puer in guttere.

69. AMica innocentibus MARIA, quadrimo *Matthiæ* Civis Lovicïensis filio favit. Incurabilem plagam accepit in gutture casu fortuito. Fatigavit ætatem imparem vulneri langvor immitis, ut hoc ad prodigium accesserit moriendo pati non desinere. Retracta ab auxilijs humanis mens parentum, ad Mariam venit, cum decreto peregrinationis ad Montem Clarum, si viveret puer, atque morientem jam, fecit Maria vivere, cùm hianti gulæ, laceróq; gutturi medicam manum admovit. Laudes & gratias cum puero parentes hic ad Aram dixerunt Anno 1598. 17. Augusti. Apud P. Goldonowski senariis illigatum legitur. En Maria Spes nostra. Nam ut interpretatur D. Epiphanius Orat: de Laud: B. V. M. *MARIAM interpretari solemus Dominam, atque etiam Spem, peperit enim Dominum, qui est Spes totius mundi, nempe Christum.*

D. Epiphan:

Gladio in utrumq; latus transverberatus.

70. FOrtuna, mors, casus, & inter Assyrios mensarum luxus sua applicant aucupia. Res probat. Gen: D. *Sebastiano Poniatowski*, in quodam geniali convivio famulus, spadâ transverberatus in utrumque latus, liberalis lætitiæ finem fecit. Pertuso corpore, dilaceratis interaneis, vita cum sanguine fluebat. Tetigit fidelis famuli vulnus & Dominum; quem curæ Chirurgorum non suscipiunt, Divæ Claromontanæ cōmittit, appromittens eum ad Aram sistendum, si viveret. Ipse scit, qui suæ Matris meritis curavit, quomodo coiverunt vulnera, & in integrum coaluerūt viscera ferro lacerata. Vivit famulus, servit & Mariæ, & Domino, cui impensius? certè mortis, & vitæ Dominæ, quæ nulli comparandam

pretio

pretio servis suis, & temporalem, & æternam vitam tribuit pro stipendio suorum, servique sui votorum reus. D. Poniatowski adest ad Aram vitæ, gratiam in Fastos Mariæ scribens Anno 1596. Qui pulchra ambitione vitam à Maria desideratis (appello vos D. Bonaventuræ pathetico epiphonemate) *Exquirite illam à juventute vestra, & glorificabit vos ante faciem populorum.*

D. Bonavētin Psalt. B.V.M.

72. EIusdem generis est, & inter præcipua quidem censendum, quod sequitur. Iuvenis quidam de villa Bierkowa (tribus milliarib⁹ distat Cracoviâ) Petrus nomine, cultrū quem hodie emit, hodie in arma fatalia sibi cessisse expertus est. Hilaris illū, ex hausto liberalius potu, occupavit insania. Casu factum quòd eodem latus perfodit: Explorat periculum chirurgus, & ad ulnæ quadrantem vulneris profunditatem invenit & neque curam suscipit, nec vitam spondet. Ipse sui agit medicum author periculi. Cùm interclusisset dolorum vis loquendi facultatem, postulat tabulam, in qua hæc scribit: *Offero me præsentandum Deiparæ, pro ejus honore in Claro monte Czestochoviensi si pristinæ sanitati restituar.* Vlteriúsque signis petit à Domesticis, ut Divâ pro se Claromontanam deprecentur. Solvitur in crastino lingvæ vinculum, ceterum insanabile vulnus persanatur. Testimonium gratiæ, præsens cum votis, in Acta dedit Anno 1627. 29. Aprilis. Voces & animos jungimus, & vulnerum remedia petimus. Prælegit nobis precandi formam Mater Ecclesia (in veteri Missali Ecclesiæ Cracovien:

Cultro viscera læsus.

Vetus Missale Eccles. Cracovien.

ô MARIA, Mater pia, finis & exordium;
Posce natum, ut optatum det nobis remedium;
Quo sanati, sauciati, sine sorde vulnerum
Transferamur, & ducamur in sanctorum numerum;
ô MARIA!

73. GRegorius *Marußewski* apud quendam Magnatem in Districtu Łenczycensi servus, Dominum à Comitijs Varsaviensibus reducem secutus, casu miserabili sub currûs rotam præcipitem lapsus, hæsit pedis utriúsque fractâ tibia. Maturaverunt opem, & obsequium, qui currum sequebantur, at serum nimis. Pectori currus subversus incubuit. Amoliuntur pondus, quod pectore uberem sangvinis rivum provocavit, officio sensuum sublato, penitùs subveniendi consilium casus eripuit. Sola spes in MARIÆ liberali beneficio occurrit, ad Claromontanam ergo basilicam morientem devovent,

Vtraque tibia fracta & oppressio.

 utque

ùtque Gregorius idem faciat, ſurdis auribus inclamant. Feceritne, an non? ignoro. Adfuit tamen medica MARIÆ manus. Obſtupeſcat orbis prodigium! perempta ſenſuum facultas reviviſcit; coaleſcunt & ſolidantur oſſa, ſanantur vulnera, cohibetur ſcaturigo ſangvinis, ſurgit, aſcendit rhedam, deſcenditque alacriter, peregrinationem alieno voto decretam perſolvens, gratiam teſtibus ritè probatam Faſtis inſcribit Anno 1609. Rogari vult, ut ægris ſanitatem acceleret Maria. Confide, quemcunque vulnera conficiunt, nam, cum Mellilacteo Doctore teſtor Serm: 3. in Vigil. Nat: Domini: *Dedit tibi Deus Chriſtum per Mariam propter ſanitatem: Sed quia indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes, quidquid haberes, quæ per hoc quòd Mater eſt, genuit tibi Deum; per hoc quòd Virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani.*

D. Bernard.

75 ILluſtre eſt beneficium Mariæ in *Luca de Zebrzyce* Anno 1640. ferro ſincìput percuſſus tribus ſeptimanis deſtitutus viribus, ſomno, ſolatio, demum ſpe ipsâ inter clamores & ejulatus, quos vehemens doloris acerbitas provocabat, decubuit. Chirurgi novem diælem tantummodo vitam decernentes, negârunt operam, aſſerentes plagam immedicabilem, quæ cerebrum læſerat. Malum ex malo natum, paralyſis ex vulnere, corpus rigefecit, illæsâ mente; hac ſuperſtite uſus ad beneficium, vota peregrinationis ad Divæ Claromontanæ Baſilicam concepit. Reum votorum Diva teneri diu noluit, cùm omnes ſenſuum, ac membrorum functiones, expeditas fecit, brevi enim, qui antea lecto portari, componi, cibariq; debuit; ſurgit, ambulat. Manus MARIÆ, in læſo capitis vulnere malo quod impendebat, clauſit oſtium. Quæ in ſe Maria fecit jurejurando ſtabilit. Anno 1640. 10. Septembris, Divo Ephræm in Oratione ad B. V. M. *Spes deſperantium MARIA.*

Ex vulnere capitis deſperatus.

D. Ephræm.

76 ODiorum ac ſimultatum ferax aula ſupplicem hîc dedit Mariæ. Nobis eſt *Gallus Michaëlides*, ab obſequijs Illuſtriſ: D. Friderici Comitis ab Oppers-dorff Invaleſcentibus odijs, ad verba vêtum, demũ ad arma familiaria menſæ, cultros. Æmulus præoccupavit Gallum, ictumque cultro impegit in ſinum viſcerum ad manubrium. Vulnus enorme tractari non potuit ab chirurgis, qui fruſtra impendi operam aſſerebant. Dominus Patrem & Chirurgum meliorem egit, apud Divam Noſtram votis pro aulici vitâ laborans, quem ſpopondit ad Aram ſupplicem præſentare. Succeſſit ad votum deprecatio; co-

Cultro transfixus.

aluit cum interaneis aluus, qui rimas agebat. Comes gratiam Divæ prædicans, votaquè cum famulo ſolvens, teſtimonium fecit prodigio, deditq; ſpectabile coloribus in aulæ Virginalis atrio. Anno 1626. 18. Iunij. Itaq; *Confiteantur* (utor ſtylo Doct: Seraphici in Pſalt. B. V. M.) *omnes tribus & lingva, quia per Te ſalus reſtituta eſt nobis MARIA.*

D. Bonav: in Pſalt. B. V. M.

77 ET *Petricovienſis* Civis *Catharina Krzeczkowſka* in morbis exitialibus, unius anni eqvuleum paſſa, ad vitæ nauſeam, benignã Virginem Noſtram fatetur. Hebdomadale ſilentium cumulum calamitatum auxit. Sævijt peſtis & in animum, quem inſolitâ perturbatione dilaceravit. Letalis langvor continuus vitam vix ſuperſtitem abſumebat, Sacerdos qui è vivis diſcedenti opem ferret, ejus ſalutis cauſam egit apud MARIAM, ægram ad onus Claromontanæ peregrinationis obligando. Suſcepit ut Potens, ita Miſericors MARIA oblatam Clientem, quam primæ ſanitati miraculo reſtitutam ſupplicem habuit Anno 1627. 2. Ianuarij. Sileat ergo cum D. Bernardo loquor Serm: 4. de Aſſumpt: Sileat Miſericordiam tuam Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.

Morbi multũplices & langvor.

D. Bernard: Serm: 4. de Aſſumpt:

78 IN fætido promicat incendio fulgor MARIÆ. In Oppido *Mościſka* (Iaroslaviâ ſex milliaribus versùs Leopolim) *Valentini Sutoris* vxor, mulier vaga & bibula, ad Iudæorum vicinia ſe contulit, ubi uſqúe ad veſperam bibendo, ſanè mentis infame virus, crematum noſtris dictum, illâ peſte madida vix domum invenit. Multum vociferata labitur; ebullit illico ex madido oris barathro fætida cæruleo colore flammans ætna, & morâ creſcit incendium. Ignara conſilij familia, excivit contribules, adſunt, ſed opem ferre neſcientes, lac, oleum, cereviſiam, fundunt, ſed non ſopiunt incendium. Vir ſeriùs accurrens, fætentem maligno incendio domum invenit. Dolet, miſeratus maritæ caſum, & ob hoc ſatis, quòd cauſa mortis, mortem cæterum honeſtam infamabat. Ad vota effuſus, compellat Divam, limina Claromontanæ ejus Baſilicæ inviſere proponens, ſi gratiæ illius latex turpe ſopiret incendium. Et ſopijt: Extinctus infernalis ille rogus, titionem ſuum, diutino uſtulatum igne, conjugem, quæ mortua credebatur, reddit marito incolumem. Solutæ gratiæ ſupplices cum teſtibus Anno 1634. in Majo. Dotalia munera ſunt Filiæ Magni Dei Mariæ, & Sponſæ, tot virtutes mirificæ, quæ tot bona in mundum derivarunt. Tot prærogativæ Matrem amatam Deo te-

D. Chrysol. Serm. 140. stantur. Etenim ut fatetur Chrysologus Serm: 140. *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pavet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & una Puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat; eximpleat illud Propheta: Ecce hæreditas Domini Filij merces fructus ventris.*



ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS.
SEU
HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.
PARTITIO VII.

Cæcos, Surdos, Mutos, Claudos, pluribus insimul morbis & casibus, vitâ periclitatos, ope Divæ Nostræ, ad pristinam, Videndi, Audiendi, Loquendi, Ambulandi, Vivendique gratiam, revocatos proponit.

Hic Stupenda

CURATIONUM OFFICINA MARIA.

HAc parte permulta veniunt in miseros beneficia, quorum unoquoque MARIA novum gloriæ titulum meretur à Clientibus: ideoque, cæci, ut videant; surdi, ut audiant; muti ut loquantur; claudi, ut orbem pervagando, ferant Divæ Nostræ magnalia; ad pristinas sensuum Viriumque functiones, reparantur.

CAPUT I.

Dignitatis Ecclesiasticæ, & Illustriores sexûs utriusquè personæ orbatæ lumine, ope MARIÆ videndi gratiam recipiunt.

1. DIva Nostra quod Cæcos Cives Constantinopoleos, pro recuperanda visûs gratia ad imperiale conclave deduxerit, Ducis Imaginis (Odigitriam Græci vocant) nomen habet prout me- Odigitria seu Deductrix Imago unde?

 mini.

mini hîc parte 1. Cap. 4. Num: 9. Viget ejusdem virtutis vigor in Visûs redonatione, ponè sequens Divæ Nostræ imaginem: Exemplis rem declaro.

In Missæ Sacrificio cæcus.

2. ADmodum R. D. *Augustinus Cybulski* Sacris operabatur usque ad Elevationem Sacræ Hostiæ & Calicis feliciter; necdum re sacrâ perfectâ, captus utroque lumine attonitâ frequentis populi côcione, quod diuturniore intervallo rerum sacrarum cursum stiterit. Lucem MARIAM votis appellat, statuens Basilicam illius in Claro Monte revisere. Placuit Divæ propositum, nam adhuc ad altare constituto, videndi gratiam impetravit & impertivit. Memor gratiæ Mappam acu Phrygia pictam ad Mensam altaris dedit, dum vota solveret. Anno 1640. 13. Iunij. Hîc apparuit MARIA.

B. Alanus.

Sol radians, expers limi, tutela beatis,
Spes miseris, Medicina reis, Lux nubila pellens,
Proscriptis reditus, errantibus semita, Cæcis
Lumen, dejectis requies, pausatio fessis.

En Maleficijs cæcitas.

3. PHarmacentriarum operâ cæcitas inducta, Divæ Nostræ Radio propulsatur ab oculis *Stanislai* N. D. *Ioannis Iabkowski* & *Dorothea* filij è Districtu Calissiensi. Lædere parentes conatæ maleficæ filium tetigerunt; medicum fefellit ingenium, nubilum intractabile, quod humano studio nunquam amoveri posse dixerunt peritiores medicæ facultatis. Ad Matrem Luminum ejusque Templum Czestochoviense vota nuncupant, unde promicans gratiæ fulgor, velut fulgur operam principum tenebrarum dissipans, novo lumine prolem & parentes beavit Anno 1660. 23. Octobris. Ecce Maria (ut Fulgentius Serm: de B. V. M. ait) *Facta est Fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis Lumen, & per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos.*

D. Fulgent: Serm: de B.V.M.

Puella cæcitate percussa.

4. DIvam è Belzensi colonia apud nos Hospitam Hospitalemque votis & gressibus sequitur N. *Nicolaus Tulpi* de *Grabowiec* Districtûs Belzensis pro Filia *Margarita* supplex. Cæcitatis plagâ percussa à medica ope quam diviti pretio mercabantur parentes, lumen expectabat. Luserunt illæ tenebræ perspicacitatem medentium. Ad MARIAM itur. Visitationis ejus Imaginis Claromontanæ onus per longa terrarum divortia decernitur, & quod petitum est habetur. Anno 1515. Obtenta gratia hucque relata.

5. Nob:

Tribus annis cæca.

5. NOb: *Magdalena Swieczká* de *Swiecz* integro triennio noctem immeritam in oculis portavit, innocens puella. Adoleverat cæcitas ad miraculum, quod votis ad Divam Claromontanam nuncupatis & puellam & MARIÆ fastos illustravit. Anno 1611. 1. Maij. Qui cæcutimus, Sidus MARIAM appellemus cum *Ioanne Houdemio* Anglo Minorita lib: 6. Christiados.

Ioan: Houdemius. lib: 6. Christiados.

Quæ nos terrent, tere materies;
Et hanc noctem, sidus illumines:
Magni Maris vincas voragines,
Solis cæli, quæ polo præmines.

Cæcitas cum doloribus.

6. PRæcedentis seculi simile est in Nob: *Ioanne Wiertzyński* Districtûs *Nieświezensis*. Octo annis cæcus, amasset diutius suas tenebras, si dolores intensissimi, qui implebant oculos humano modo leniri potuissent; probatum est, non potuerunt. A medicis ad Mariam ejusque Imaginem Odigitriam versus, precario accepit, quod pretio consequi non potuit. Anno 1598. Cui suam affundit gratiæ lucem assurge cum D. Anselmo Orat: de B. V. M. ad extaticos homineque majores affectus dicendo: *Te, Mater illuminationis cordis mei, Te, Nutrix salutis mentis meæ; Te obsecrant quantùm possunt cuncta præcordia mea. exaudi Domina! adesto propitia adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ, ut accendatur tepor meus, quatenus sicut tua beata sanctitas super omnia post summum omnium filium tuum: ob gloriosum filium tuum, à benedicto filio tuo es exaltata, sic super omnia post Dominum & Deum meum, & omnium Filium Tuum, Te cor meum intelligat & veneretur, amet & deprecetur* MARIA.

D. Anselmus Orat: ad B. V. M.

Dum peregrinatur respicit.

7. NOb: *Iacobus Pomański* MARIAM Illuminatricem habere meruit. Captus utroque lumine, apud medicos Lovicij versabatur, liberalibus impendijs visum licitatus. Sed frustravit vota medentium impiger conatus. Quidam è *Divi Francisci* familia misertus tenebras viri, fidenter his appellat Iacobum: *Quid non pergis ad Divam Virginem Claromontanam, & ab ipso Sole radium poscis?* Insinuavit affectum cordi, animo fiduciam iam collapso; proijcit medicorum curas, itineri se accingit, & mox dubiam lucem haurit oculis, quò propinquior Claro Monti, eò visus clarior; ingressus templum, ante conspectum sacræ Imaginis, plenum visûs beneficium accepit. Ita est, quò soli quis propinquior, eò illustrior. Tot prodigij testes, quot in templo spectatores habuit: Actum Anno 1592.

8. Iaco-

Biennio cæcus.

8. IAcobus quoque *Iezierski*, vir Nobilis, è territorio Łukoviensi, morbis in corpus & sensus dirè sævientibus, lucis usura privatus, integro biennio inter medicorum & domesticorum manus versabatur. Sacratior flamma erga Divam Claromontanam gliscens in corde, in vota erupit, loci sacri visitationem decernens. Inclinavit Clementiam miserentis MARIÆ, quæ depulsâ deterság; nube ab oculis, serenitate sua lucem infudit luminibus. Anno 1600. 3. Iunij.

9. AVthographum *Ioannes Winarycki* gratiæ posuit in simili beneficio, quod recito.

Simile.

Ego Ioannes Winárycki *M. D.* Iacobi Łaski *Castellani Lenczycensis Notarius, palam testor, quod oculis meis Deus per dolores acutissimos cæcitatem induxerit; anno itaquè integro lucis usurâ privatus, promisi visitare locum Czestochoviensem dicatum Virgini Sacratissimæ, ut primum hoc protuli, eadem horâ respexi. Anno 1550.*

Ioannes Winárycki *mppa.*

Percense Magna Nomina Virginis, & comperies ex testimonio Magni Augustini: quod MARIA verè sit: *Fons Lucis omnem hominem illuminans.*

D. Augusti.

Quatuor annis cæcitas.

10 QVatuor annorum cæcitas Nob: *Annam Wisniowska* afflixit. Tantum desperationis accessit, quantum in medicos prodegit. Alio mentem saniorem vertit. In votis est visio & Mons Clarus, è cujus Ara collyria precabatur, & accepit, Divam secundùm Augusti nominis etymum *Illuminatricem* experta, Anno 1598.

Simile.

11 NObilis quoque *Catharina Grotowska* amissum domi lumen apud medicos quærebat, nec invenit, inanibus tantummodo spebus mentem pascebat lucis avidam. Destitutam solatio medicorum, visitavit G. D. *Sigismundus Łaski* Prodromus Lucis, ad Divæ Częstochoviensis templa votis ægram destinat, sequitur & Catharina facta supplex. Aderant nobilium nonnulli, quod non casu factum arbitror, qui testimonium facerent Lucis illico luminibus infusæ. Extemporaneo prodigio læta, gratias egit præsens ad homagium, Anno 1640. 13. Octobris.

CA-

CAPVT II.

Vrbium ac Oppidorum incolis præstita visûs gratia per MARIAM.

12 SErenitatem Divæ & Gedanenses viderunt in oculis *Stanislai Matysiański* Patricij Łukoviensis, anno integro nec unum solem vidit, adeo densa cæcitatis caligo oculos impleverat; Si quò movere gradum necesse fuit, manum oblatam secutus, ubi ad Divam cum votis pro lucis usura eundum erat, ipse sibi dux fuit. Invisere Clarum Montem destinat, & ne voti reus teneretur, oculis lucem, oculos luci Diva restituit, Anno D. 1610. die 8. Maij. Testimonium miraculo fecit literis. A. R. D. *Matthias Starzyński* Canonicus Posnaniensis, Præpositus Pragoviensis supra Gedanum. Ad Tui contemplationem aperi mortales oculos; *O Virgo Sacratissima quæ exercitus Angelorum, in stuporem deduxisti, stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier gestans Lucem in ulnis, stupendū miraculū, in cœlis alter Thronus Cherubicus.*

Anno integro cæcus.

D. Epiphani Orat: de Deipara.

13 GOstinensis quoque Civis *Sebastiani* nomine illuminatio miraculo facta, MARIÆ beneficio tribuitur, ad cujus Czestochoviensem Basilicam votorum cursus erat. Dolores quibus corpus exercebatur, caput invaserant mira acerbitate, in oculos anno integro pugnando. In corpus, caput, & oculos partitum prodigium, morbis & cæcitate Divæ supplicem absolvit. Anno 1597. Mense Iunio. Ex quo conijce, quod si quemadmodum sol noctem, ita MARIA cæcos illuminat. Secundùm D. Bernar: Serm: signum Magnum. *In Te MARIA perhibetur sole amicta, quæ profundissimam Divinæ Sapiētiæ ultra, quàm credi valeat, penetravit abyssum, vt quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, Luci illi inaccessibili videatur immersa: illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, ex illo igne Seraphim accenduntur, longè verò aliter MARIA meruit; non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi & tanquam ipso igne concludi.*

Cæcitas & morbi.

D. Bernard.

14. ITaque sicut à melle dulcor, à sole splendor, ita à MARIA Lucis Matre cæcis lumen promanat. Expertus liberalem hujus Lucis diffusionem *Iacobus* puer Civis Olboriensis *Alberti Garnis* filius. In lacunam liquidà calce plenam prolapso ipsa calcis acerbitas palpebras exedit, plenéque cæcum fecit. A casu loco beneficij habitum, quod non præfocavit diutius hærentem pestilens uligo, in qua mersum

In calce liquida visu privatus.

ſum plantæ quærentibus prodiderunt. Deſperata cæcitas in puero judicio omnium irreparabilis. Radium à Maria Luce Noſtra deſideraverunt parentes & puer, vota ad Divam nuncupant; Hæc filio viſûs gratiam reportarunt à Maria, quæ in Menologio Græco appellatur. *Soliꝰ inacceſſi vehiculum.*

Menologiũ Græcum,

Ex balneo cæcitas.

15. ALius ex alio balneo, dolorem primùm capitis intenſiſſimũ, cœcitatem deinde trahit. Civis eſt in *Czerlow, Stanislaus Płuſkiewicz* malignitas, quæ capitis tormentum erat, à maleficijsne, an ab aquis, quibus abluebatur profecta? ignotum, in caput dirè ſæviens, cùm in capite, quod non inveniret amplius, in oculos pugnavit. Cœcus Torunium, in Wrocławek deinde ſe contulit, ubi medici non pepercerunt laboribus, ſicut & ille ſumptibus, deſperatus tamen. Potiore ſui parte illuſtrior, viam invenit ad Mariam, & viam ad ejus Imaginem Claromontanam, quam vovebat. Subitò lux derivata in oculos corporis, tenebras expulit, Anno 1625 oſtenditque ad mentem Sergij Patriarchæ Conſtantinop: quod ſit: *Tenebrarum expultrix MARIA.*

Sergius Patriar. Conſtantinop:

Oculi ex ſua ſtatione egeſti & cæcitas.

16. AVget gloriam, faſtos illuſtrat Mariæ longè illuſtrius beneficium in Marita Civis Præmyslenſis *Ioachimi Wolowicz.* E morbis in totum corpus diffuſum virus adeò affecit oculos, ut ſuâ ſtatione naturali egeſti frontis planum excederent. Malum impatiens tractari medicâ manu, omnes viſûs reparandi ſpes amputavit. Turgentes, ac mephyti nociva ſupernatantes oculos, qui viderunt, effluxiſſe pupillas dixerunt. In illa doloris acerbitate, mors in votis fuit vitâ potior. Hic primùm ordimur ad Opem Divinam implorandam vias, ubi fatigatæ, ac veluti ad ſuum terminum impingentes mortalium ſpes procubuerunt. Errans per omnes medendi conatus indice cœlo Clarum montem invenit maritus, conjugem Divæ devovet, quæ votis obſecuta, Lucem oculis affudit, organa viſûs reparando, perfectas vires labefactatæ indidit ſupplicemque ad ſuas Aras habuit. Anno 1597. 4 Iunij. Hoc fecit Ioanni Damaſceno dicta *Mater Luminis MARIA.*

17. LOvicio allatum ſequitur. Civi cuidam *Catharinæ* hydrops intercus caput offudit, & lumina extinxit. In ſtatu vitæ ancipitis, de qua inter peritos conclamatum erat, ſolatium illud erat, quòd Divam Clari Montis Indigetem, dato ad ejus limina peregrinatio-

nationis promiſſo invocaverit, quæ ſua Luce & nocivum humorem ſiccavit, & amicum lumen oculis infudit. Patebat Lovicienſibus miraculum, quod ſolus improbare poterat, quem longè teterrima nox in animo cæcum fecit. Anno 1623. 10. Maij. Quidni illuſtret Eccleſiæ filios ſecundùm D. Bonavent. in Speculo B. V. M. *Lucerna Eccleſiæ MARIA.*

D. Bonavent: in Speculo,

18. RZeſzovienſes dixerunt, teſtatique ſunt, in ſua Cive *Chriſtina Swieſzkowna*, Divæ Claromontanæ miſericordiam in viſûs redonatione. E morbis immedicabilibus noctem in oculos traxit, & paſſa eſt. Cætera ubi miſeræ non ſubveniunt artis medicæ ſubſidia, poſt peregrinationis Claromontanæ decreta, Numen benignũ Virginis Sacratiſſimæ ſubvenit. Anno 1623. teſtatum 14. Maij. En MARIA ſervit votis Clientum, atq; ideò peroptimè Arnoldus Carnotenſis, in Tractatu de Laudib: B. Virginis, Sacratiſſimi Nominis arcana ſcrutatus proſequitur. *MARIA lingva Syriaca, Domina dicitur, Chriſtus Dominus, Maria Domina, & licet ipſa ſe Chriſti profiteatur Ancillam, hoc ſervitutis genus omni Regno ſublimius eſſe intelligit. Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam, & quicunque IESV curvat genua, Matri quoq; pronus ſupplicat, & Filij cum Matre gloriam non tam communem judico, quàm eandem.*

Arnoldus Carnotenſis Tractatu de Laudi. B. V.

CAPVT III.

Alienigenæ ſortiſque plebeiæ Clientes, per MARIAM, viſûs gratiâ potiuntur.

19. QVemadmodùm Solis uſura, ità Sideris noſtri MARIÆ benignitas alienigenis quoque non eſt invidenda. Bohemiam colluſtrat in *Georgio Arnoldo.* In officina vitraria, ad caminum ardentem laborans, viſivam facultatem læſam ſenſit. Morbi doloresque nati totum corpus depaſcentes auxerũt calamitatẽ, quæ ſenſim de toto lumen oculis ademit. Vbi modica domûs anguſtæ ſupellex non dat ſubſidium, nec periti conſilium, extra patriæ limites evagatur animo Divam Claromontanam exorans, ut Mater Lucis lucem oculis daret. Tempus erat quo è vicinis Vrbibus, oppidis, pagiſque ad ſolvendum Divæ noſtræ peregrinationis debitum, Bohema multitudo conglomerabat, hoc tormentum erat Georgio, contribules ſequi non poſſe. Sequitur tamen animo, & proſequitur con-

ceptum antehac peregrinationis propositum, quo factum; ut miraculo restituta lux oculis roburque corpori dignum faceret, non tantùm animo, sed corpore sequi contribules; quorum testimonio beneficium se accepisse prorsus extemporaneum professus est. Anno 1653. 19. Iulij. A MARIA habet, & illi debet Lucem suam, *Quam* (ut ait Rychardus de S. victore in Serm: qui incipit Nondum erāt abyssi) *DEVS in Lucem gentium prædestinavit.*

Richard: de S. Victore.

20. EX Silesia est, quod legitur, scilicet Anno 1609. 2. Maij. in Oppido *Namyslow* Civis *Anna Rogozowa*, jacturam lucis biennio portavit in oculis. Sumptus pro medicis & spes miseram defecerant. Adm: R D. *Gaspar Namyslovienfis Parochus* ingerit à Clari Montis Diva lucem petendam, & votis juvat. Vtriusq; voto donata lux oculis, Fastos Parthenios illustravit, accedente testimonio gratiæ memorati D. Parochi Anno quo supra. Diva mea, qui in tenebris ambulo, Lucem peto cum Seraphico Doctore in Psalt: B V. *Obtexit caligine animam meam hostis, in visceribus meis Domina lucem fac oriri.*

D. Bonavent: in Psalt: B. V. Mariæ.

21. NOn uni natum angulo, in angulo mapalis abjecti reperio prodigium. In *Maliny* (pagi nomen est) Ioannis cujusdam (cognomen non inveni) conjunx prolem in lucem dedit, non ad lucem, quia cœcam. Attributa cœcitas novercæ naturæ sedecim annis crevit cum puella. Si quæ adhibebantur in tenui domo remedia, nonnisi ad desperationem proficiebāt. Adolevit cœcitas ad prodigium. Serò imploratur Odigitria cœcorum. Dux Virgo, at seriò; nunquam tamen sera sunt Divæ beneficia quocunque tempore venerint. Ducere puellam ad Basilicam Divæ Claromontanæ decernunt ex voto, & priusquam ad MARIÆ conspectum accessissent lucis usurâ donatam habent. Totâ viciniâ gratiæ testimonium perhibente, Diarijs Marianis illata memoria Anno D. 1598. 21. Maij. Memento filia tantæ Matris *Filia Lucis* Fontem Luminis MARIAM, Solem vitæ tuæ diebus affudisse, & profitere (cum D. Bonavent: in Psalt: B. V. M.) *Tu es Mater illuminationis cordis mei! Tu es nutrix refovens mentem meam.*

Cœca nata videt.

D. Bonavent: in Psalt: B. V. M.

22. INnocentia & constans fiducia miraculo capiendo præparat fideles. Vtroque delectatur Maria innocens, quæ illos tantùm favore peculiari Clientes complectitur, quos beata, ac nihil nisi peccare nolle sciens, rudium simplicitas commendat. Hanc in suo se-

xu sexu sat admirabili prodigio illustravit Maria. *Catharina Niziołkowa*, si genus petitur plebeia, si patria *Plesovienfis*, si conditio miserrima, tribus annis videndi facultate privata, noctem diuturnam vixit. Vt cœca, duce Lucis ambitu per humanas vires & consilia vagabatur, sed frustra desperata spes venabatur. Erravit Lucem intudit animo Maria, & ad Clarum Montem viam præmonstravit, huc festinat vota peregrinationis, & necdum Claro Monti propinqua lucem accipit Anno 1613. 17. Maij. Vmbram suæ gloriæ in cœcorum luce revelat Maria; quia ut verè pièque asserit Petrus Damianus Serm: de Assumpt: B. V. *Illa inaccessibili luce prælucens Virgo, sic utrorumque spirituum, id est hominum & Angelorum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.*

Petrus Damiani.

CAPVT IV.

Cœci, dum ad Clarum Montem peregrinationem festinant, lucis usurâ in via donantur.

23. VErum est, quòd quisquis luci propinquior, lumen captat largiùs, lucet clariùs, inardescit vehementiùs. Sentiunt hoc Clientes, qui ad Divam Lucem nostram accedunt *Stanislaus Buszkowicz* Vilnensis Lithvanus, triennio nube cœcitatis impleta lumina, nihil proficientibus ad visum sumptibus, quos prodegerat, dolebat. Gratiarum Divæ Nostræ memoria in animum illapsa devotionem accendit, quâ dictatrice, intellexit apud Divam Claromontanam oculis lucem quærendam. Movet Vilnâ prius auspiciis viæ sumptis ad tumulum Divi Principis CASIMIRI, ubi nonnihil sensit oculis lucem dubiam illabi, proficiscitur; quotque passus in via facit, tot claritatis auctus recipit in ipso Basilicæ Claromontanæ limine plenâ visûs facultate donatus Anno 1608. Testimonium deinde gratiæ & cœcitatis dante in literis tum Illustrissimo D. Benedicto Woyna Episcopo Vilnensi, tum ipso Magistratu inclytissimo Vilnensi. Clarificat coram populis sibi devotos Clientes Maria, quis ab ea prodigium profectum negabit. *Quid enim* (ut inquit D. Ambrosius lib: 2. de Virginibus), *Nobilius Matre DEI? quid splendidius ea, quam Splendor elegit?*

D. Ambros. lib: de Virginitate.

24. DAt aliud Leopolis Russiæ Vrbs Princeps. Hic *Andreas Zielonka*, ex haustu fontis pestem bibit, quæ in caput, oculos,

 totum.

totumque corpus dimanavit. Præter dolores acutissimos, qui manum medicam pati dedignabantur, oculis albuginem squammæ similem induxit. Plagam à manu DEI peccata vindicantis arbitratus, per Divæ interventionem Numen Divinum placare constituit, profectus ad clarissima miraculis loca *Sokal* & *Lezaysko*, ubi dubiam lucem adeptus, leviùs cœcitatis tormentum ferebat. Miserum illud erat solatium, quo brevi extincto dolor recruduit. Iterum cœcus longiùs à patrio lare decernit quærere lucem amissam; cum conjuge & filia annorum quatuordecim Claromontanam peregrinationem apparat urgetque. Vix domo ad alterum lapidem viam emensus, doloribus absolutũ se miratur, pergit alacriùs, & priùsquam cursûs sui metam attingit, perfectæ visionis gratiam obtinet. Anno 1623. 20. Maij. Iure fatemur cum D. Bernardo apud D. Bonavent: in Speculo cap: 3. (D. Bernard.) O MARIA! *Tu virtutum Tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem Tui nos provocas, sicq; noctem nostram illuminas, qui enim vias Tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

25. ERrant in vijs prodigia, & ad suas natales cunas Aram Divæ Nostræ recurrunt: *Georgius Piotrowski*, à tenero apud Magnificum D. Palatinum Podoliæ in obsequijs moratus, primò vitiũ lippitudinis, cœcitatem deinde contraxit, & toleravit in Aula annis duodecim. Vsque ad vitæ contemptum passus ærumnam noctis continuæ. Lucem cogitare cœpit MARIAM cum statuta ad ejus Czestochoviensem Basilicam peregrinatione. Cœcus viam ingreditur, & sic aliquot emensus milliaria prius votorum, quàm itineris terminum præhendit; nam beneficio lucis donatus, à Diva, cui se impensis affectibus devovebat, lumen in oculis & miraculum tulit consignatum in Actis Marianæ Domûs Anno 1646. 24. Iulij. Ne incumbat umbra mortis, da mentis serenitatem ô Lucis Mater! cum Seraphico Cliente te appello, utinam & affectu pari (in Psalt: B. V.) *Emitte lucem Tuam, & gratiam Tuam, & præpara denuo vitam meam, & conscientiam meam ô MARIA.*

26. E Submontana civitate *Kenty* (Patria est B. Ioannis Cantij in Alma Academia Cracoviensi, virtutum & literarum Doctoris) puella *Sophia* nomine propè unum & alterum annum è diversis infirmitatibus natam cœcitatem toleravit. In votis erat visus, sed desperatum fecerat aëris malignitas, quæ pupillas læserat. Ad Sacrarium Divæ Częstochoviensis animo vota proponit, & ne

rea pro-

rea promissi teneretur manûs ductricis obsequio non impigra capit. Ne manui, quam sequebatur, visitationem Claromontanam deberet, Diva fecit; reparatis enim visûs organis, lucem dedit oculis Maria, sola sine duce exultat extemporaneo prodigio, iter captum prosequuta Anno 1639. 1. Octobris, Syllabo gratiarum cum testibus miraculum dedit. Constat inde, prout Doctor Angelicus Opusculo 8. dicit, quod: *Convenienter vocatur MARIA illuminata in se, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum, ideò assimilatur Soli & Lunæ.*

27. PRopinquum ædibus MARIæ prodigium sua se luce prodit. Perillustris D. *Philippus Wolucki* Palatinus Ravensis, dum nocte concubia per viciniam debacharetur incendium, cum domesticis exemplo laturus opem, concitato passu, non quà planum, sed quà rectum properabat. Impegit oculo in arboris recisæ stipitem, in quo prius oculi extinctum lumen, quàm incendium. Eodem loci oculus effluxit. In examine medicorum & Chirurgorum plaga incurabilis inventa. Frustratus humana ope, quam profuso pretio mercabatur, ad Divæ Claromontanæ Basilicam proficisci constituit. Adest sub vesperam cum Patribus Societ: IESV, & in conducto ad Montis clivum crastinæ devotioni se præparat. Nox erat in suis tenebris prodigium illustre visura. Gratam quietem somni beneficio captant alij, solius Philippi oculus quietis impatiens insomnis vigilat. Vir devotissimus optimè illo usus tempore Divam precibus appellat, solatium in visûs reparatione exorando. Et quia secundùm *Nazarium* In Panegyri Constantini Augusti (Nazarius in Panegyri Constant: Augusti.) *Flagrantiora sunt animorum desideria, cùm oculorum solatia perdiderunt*, vehementius incaluit æstu devotionis, quam oratione constanter nutriebat. Dum itaque in votis perseverat, concussit caput fragor insolitus, fragorẽ sangvis & sanies per vulnus largè profluens sequitur, proluitur totus, exundante in terram sangvinis rivo; novitas rei clamorem excivit, adsunt famuli cum lumine, itinerisque comites PP. Societ: IESV, & qui cœcus erat, jam non cœcus, videt omnia de nocte, ad lumen visum explorat, mandat porrigi librum, legit, relegit, & videntibus stupentibusquè omnibus, præsentem Divæ votis imploratæ gratiam agnoscit. Itum de mane ad Sacellum comite miraculo, qui virũ casumquè noverant, stupent, gratulantur, Deumque in Maria & per Mariam mortalium votis propitium prædicant. Perennem beneficij memoriam facturus, primum Apelleo opere in colorum umbra casum exactè proponit, paulò pòst grandiorem bracteam argento cælatam,

latam, quæ rem expressam descriptamquè ferebat, gratitudinis ergo ad Aram appendit Anno 1613.

28. Post acceptam Divæ Nostræ merito visûs gratiam, annus quinquagesimus nonus decretoriam diem ferebat Illustrissimo Viro. Cùm ergo satis DEO, Patriæque dixisset, oculus idem non absque præsagio mortis effluxit. Cognovit usque ad hoc tantummodo tempus commodatum oculum à Diva, ideoque ad præsentem Confessarium hæc prolocutus est: *Reverende Pater jam tempus imminet mortis meæ, quando mihi hic oculus effluxit, quem habui à Diva Claromontana commodatum, quo integris quinquaginta & novem annis sum usus, apparet, quòd eius usu non egeam, & hoc est præsagium mortis meæ.* Relatum à RR. PP. Societ: IESV, Adm: R. Patri Augustino Kordecki Provinciali Claromontano per Poloniam, Anno 1671, 17 Septemb. Candido in Divam Patronam animo illud credo professus est Illustrissimus Cliens Mariæ. Sapien: 7. v. 10. *Super salutem &* Sapient. 7. Vers. 10. *speciem dilexi illam, & proposui pro Luce habere illam, quoniâ inextingvibile est Lumen ipsius, venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, Candor est enim Lucis æternæ, & Speculum sinè macula DEI Majestatis, & imago Bonitatis illius* MARIA.

CAPVT V.

Cœci, in Sacello illuminati, Divæ vident Imaginem.

29. PEregrè allatus in conspectum sacræ Imaginis filius Nobilium Parentum *Andreæ & Helenæ Swáydlin* de villa dicta *Gyňavá* ex Vngaria ad miraculum Anni 1628 diem 16. Maij illustrem fecit. Cœcus natus, cœcus educatus triennio satis longam noctè in oculis portavit. Quærunt apud medicos lucem filio, & censu liberali frustra mercantur. Portatur à Parentibus ad Lucem Nostram MARIAM, ante eius sacram Imaginem sistitur cum votis: cùm pusio prurientibus oculis manus admovet, tergit impatientiùs, lachrymari velle incipit, pluit lachrymas, quibus repurgati oculi prius Mariam in Imagine admirabilem, quam Solem, parentesquè viderunt. Anno quo supra. Alienigenis quoque si propitiam Maria Te exhibes, profectò ut Bernard: super *Salve Reg*: fatetur: *Omnibus est* D. Bernard: super Salve Regina. *amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis, Sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, Radius Divinitatis, nec est qui se abscondat à calore Tuo ô MARIA!*

30. Talem

30. TAlem vidit, talem expertus est, sensitque in Imagine & ex Imagine Divam Nostram Nob: *Iacobus Stupowski*. Mordacium humorum immitis acredo visum abstulit. Luxerunt cognati lucem amissam, ad cuius reparationem profundunt locupletem domûs opulentæ gazam. Fefellit sumptus & studia, tristis in oculis umbra. Ad Divam Claromontanā peregrinatur, subintrat ædem amico familiarium obseqvio deductus, ut intelligit Virgineæ domûs transiisse limina, ante Imaginem prostratus lucis gratiam precatur. Favit votis MARIA; priusquàm enim surgeret ab oratione, pleno visûs beneficio donatus, serenitatem Marianæ Lucis in sacra vidit Imagine. A Cliente & Hospitibus, tanti prodigij testibus actæ gratiæ Anno 1597. Illabere cordib⁹ nostris ô Lux beatitatis nostræ! voto Seraphici Bonavent: in Psalt: ad votum nostrum precamur; Serenet corda nostra Lux Misericordiæ Tuæ, & recreet nos Tuæ pacis dulcedo ô MARIA! D. Bonav:

31 PAtritius Posnaniensis *Martinus Obiatiński* adolescens in multiplicibus morbis triplex damnum accepit in visûs, auditûs, & lingvæ facultatibus. Annis quatuor infans, cæcus, surdus, vitam tot septam ærumnis vivens, ad sortis melioris spem eluctari non potuit. Divam Claromontanam, Cives Posnanienses secutus, ivit solatium aliquod petiturus. Subintravit sacellum MARIÆ, gemitu Tutelaris Patronæ gratiam precatur, perseverat in votis, quæ tacita mens promebat. Mutus Orator sensit priùs, quàm vidit Divam subvenientem; infulsit lux oculis, auribus auditus, infantis lingvæ soluto vinculo, attonitâ ad miraculum multitudine populi primùm in ea verba prorumpit: *Sit Tibi Laus Christe cum Matre Tua* MARIA. Quadriennales ærumnas abundè compensavit illo solatio Consolatrix nostrùm MARIA Actum ad Aram Virginis Anno 1597. Laudaverunt Deum in MARIA. Mariamque supplices populi, qui tanta viderunt prodigia; Sed nunquam satis, quia ut Damasc: Orat: 1. de Assumpt: ait: *Eam non hominum lingva, non mundo sublimior mens sât dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam intueri nobis datum est.* D. Damasc: Orat. I de Assumpt:

32 DE *Zamoscie* Civis quidam Paulus nomine Opificio Sartor, conditione miser, in morbis fatiscebat usquè ad visûs auditûsquè privationem, quæ viliorem vitam fecerat. In Templo Claromontano solatium petere decrevit. Vadit longiorem viam, nec videt, it, & sequitur alterum, miserrimum cæco, surdoque solatium, ducem

& co-

& comitem. Augustale Marianum ingressus, sensit, quadam interna dulcedine delibatus, se in conspectu Imaginis sacræ adesse, cùm valetudinem roboratam (æger enim introductus erat) experitur. Visûs, auditûsque facultas restituta in facie populorum, Divam ad vota miserorum acclivem probavit. Actum in Sacrario B.V.M. Anno 1609. Iubilate animæ devotæ, & excusso torpore internorum sensuum, usurpate, Divi Poloniæ Principis Casimiri stylo vos animando.

D. Casimir. in Rythmo Omni die.

Omnes mei, sensus ei
Personate gloriam,
Frequentate, tam Beatæ
Virginis memoriam.

33 ALbertus *Ferrifaber Ilkusensis*, ex nocivo defluxu cæcutiens, demum & cæcus annum medium vixit. Svasu contribulium dat se peregrinationi Claromontanæ, non minùs religiosæ tenax fiduciæ, quam in MARIA collocârat, ac luminis cupidus; ipso Sanctissimæ Trinitatis festo Anno 1639. quo tempore complura peregrinorum millia commeare solent, tecta Domûs Marianæ subijt. Non protraxit desiderium sûi videndi MARIA, suæ gratiæ illapsu: dum supplex ad Aram adorat, tenebras dissipavit ex oculis, detersitque, partita cæcum inter, populumque hospitem lætitia. Verè ô Diva! *Illuminatrix MARIA* (tenore verborum D. Bonav: in Psalt: Te appellamus.) *Tu es Lux & Spes confidentium in Te ô Maria!*

D. Bonav: in Psalt: B.V.

34 FIliæ Lucis esse merentur & fæminæ, dum hic Numen propitium Virginis colunt. *Stanislai Bozowski* Civis Leopoliensis marita, *Barbara* nomine, ignotum unde natam ecclypsim in oculis triennio passa, Divam cæpit in oculos usurpare Claromontanam. Damnatis Leopoliensium medicorum curis, quæ desperationem auxerant, proficiscitur ad Clarum Montem, ut sacra attigit limina, Lucem cæca, iam non cæca, vidit Anno 1610. 19. Maij. Rectè D. Bonav: *Maria est illuminatrix plurimorum, per exempla lucidissima vitæ suæ, ipsa est, cujus vita gloriosa lucem dedit seculo; ipsa est, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: oret ergo fidelis anima & dicat, quoniam Tu illuminas lucernam meam.*

D. Bonav:

35 ITerum Leopoliensis patritiæ venit memoria. *Regina* est *Stanislawowa*, in quodam casu oculos læsa, lacrymas fudit opportunas lustrationi, quâ ad prodigium parabatur. Constituit ire ad Clarum Montem, adest cæca, & ad Lumen pro lumine perorat ante Imaginem. Quod intulit, perdidit tenebras in lumine stupendo miraculo, Anno 1617. 8 Maij. Et oculos & animos sola post Deum Virgo beare potest, beatque luce Maiestatis suæ, ut meritò fateatur Cæsarius lib. 7. Exempl: *Sicut in creaturis universis, Matre Creatoris nihil est sanctius, nil dignius, nil præcellentius; ita ejus visione nulla sanctorum visio dignior, nulla iucundior, nulla eminentior.*

Cæsari. lib. 7. Exempl.

36 NEminem miserum tecta Mariana suscipiunt, quem non aliquo inundantem solatio dimittant. *Smolenscium* in testimonium evoco. Dat fæminam *Reginam Morzy*, ex arce sua. Cæcitatem sex annis toleratam ad Montem Clarum ex voto, pro miraculo tulit. In spe erat, quam medicorum iudicia desperata labefactare non poterant: votorum metam attigit, Anno 1617. 13 Augusti, duobus diebus Sacram Imaginem, quam non vidit, adoravit in spei fiduciæque pia pertinacia perseverans. Ipso solenni triumphalis suæ in cælos Assumptionis die, lucem Diva dare decreverat, usque huc protrahebantur matronæ sperata visûs solatia; ut aliquot hominum millia, quæ ad eum diem, ex diversis Provincijs devotionis causâ assolent commeare, miraculo fidem probarent. Fervebat frequentis populi devotio, in cujus conspectu oculis detersa est caligo. Qui in vitiorum caligine cæcutimus, Te imploramus cum D. Bonav: in Psalt: *Miserere nostri Domina Mater Luminis, & splendoris, illumina nos Domina Veritatis & virtutis.*

D. Bonav: in Psalt: B.V.

37 PAr & illud est, quod nostris annis vidimus in puella de Civitate *Strykow Gregorij & Magdalenæ* conjugum filia. Cum longiore cæcitate, sufficientissimo ad miraculum argumento adfuit. Ad Clathros sanctuarij constituta, dum ad solennes Vesperas efferretur Augustissima Eucharistia, respexit, viditque Deum sub speciebus Eucharisticis, Matremquè Dei in Imagine gratiarum dispensatricem. Cæcus erat, aut esse merebatur, qui non vidit miraculum Anno 1637.

38 REcentius est, quod scribo, G.D. *Paulus Oleski* non ita pridem à dogmatum Calvini tenebris in lumen fidei tractus, hic fidei, fiduciæque suæ emolumentum ad Thaumaturgæ Imaginis præsentiam, consecutus est. In Dania, abhinc annis circiter viginti quatuor, dum Poloniam Svecus popularetur, acri conflictu dimicans, ex vulnere capitis oculi dextri iacturam tulit annis viginti. Famam miracu-

raculorum, quæ hic MARIÆ meritis Numen Divinum patrat, ex voto pedes secutus, ante Imaginem sacram prostratus, desiderati luminis gratiam precatur, obtinet, surgit, oculum tergit, moxque retracta cæcitatis nube Illuminatricis MARIÆ videt Imaginem. Actû in sacello Mariano Anno 1676. 6. Maij. Quicunque Cæcorum instar erramus; hanc votis stellam Mariam deprecemur, quia, ut Lactifluus Doctor inquit Hom: 2. super Missus est: *Ipsa est Nobilis illa Stella ex Iacob orta, cujus radius universum Orbem illuminat, cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia; ipsa inquam est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis MARIA!*

D. Bernar: Hom: Hom: 2. super Missus est.

CAPVT VI.

Surdis Auditus, Mutis lingva solvitur ope MARIÆ.

39 SVrda mutaque naturæ portenta, dum audiunt & loqvuntur MARIÆ magnalia, obturentur, & obmutescant increduli. Digna à mutis celebrari, à surdis audiri fama Divæ Nostræ sumpsit incrementa in Nob: D. *Nicolao Boski* Districtûs Czerniechoviensis. Ex morbis, quibus per sex hebdomadas torquebatur, utraque auditûs, & lingvæ facultate privatus sex annis & in auribus & in lingva patiebatur silentium. Movit ad Clarum Montem Vilna Lithvaniæ metropoli, surdus & mutus, sumptis viæ comitibus. Divæ Larem ingressus, vota ante sacram Imaginem tacitus promebat. Supplicem audijt Maria, utramque audiendi & loquendi facultatem restituit, stupentibus viæ comitibus, & laudantibus MARIÆ miserentis gratiam. Actum, scriptumque, Anno 1628. 8. Augusti. Inter gratiæ momenta lingva computet, quod Mariam laudet. Et (verè Mellelacteus Doctor asserit Serm. 4. de Assumt:) *Licet dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita locutio parturire non possit, de ea tamen silere devotio non patitur.*

D. Bernard: Serm: 4. de Assumpt:

40 EO loco, modoque, quo *Nicolaus* usum audiendi & loquendi accepit, *Lovitiensis* Adolescens *Ioannes Vniejowski* sub annum 1570 literis dabat operam, ubi gravissima infirmitate pressus, sublata auditûs, & lingvæ facultate, scire tantummodo, sentireque sua mala, non loqui potuit. Absolutum cæteris ærumnis, sola tenuit cum surditate

te infantia annis quatuordecim. In votis animi erat peregrinatio Claromontana. Adest in sacrario Virginis, ubi attonita viæ comitum, præsentisque populi frequentia, MARIA gemitibus implorata lingvæ silentio, aureisque surditate absolvit Anno 1587. *Bene omnia facit (MARIA) & surdos facit audire, & mutos loqui.*

41 PLena est gloriâ Domina Templum Dominæ. Credite quod muti loqvuntur, auscultate quod & surdi percipiunt. Mutus venit; mutus ad Aram Divæ procumbit Honestus Vir *Georgius Kulka* de *Chelmek* ab *Oswiecim*, mutus quas in latebris conscientiæ lentiebat noxas, lacrymis eluit; placando iratum Numen, mutus tacente lingva, calamo ad expianda piacula usus, confitetur, mutus absolvitur. Ad mensam Angelicam reversus, à sacro pœnitentiæ tribunali, cum populo communicaturo procumbit ad Cancellos, velleque dicere conatur præloquente Mysta *Domine non sum dignus &c.* & verè conatus prosequitur *Domine non sum dignus &c.* Mirabantur infantiam incurabilem voti beneficio sublatam præsentes, ijdemque gratiæ testes Anno 1646. 1. Maij. Laudate in Mirabilibus MARIAM. *Quamvis enim* (loquor cum Sophron: Serm: de Assump: apud D. Hieronym.) *non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli cessare à laude, quia inde tibi promittitur venia; (unde & omnibus) ut laudes.*

Sophronius de Assumpt:

42 ANno Domini 600. in Villa *Orzyca* (7. ab Vrbe Cracovia milliaribus pagus distat) domum *Alberti Rzyblik* fortuitum incendium corripuit, quod uxorem lecto affixam langvore diuturno in cineres redegit. Filia Matris fatum lugens intemperatiùs, corporis vires, & lingvæ facultatem amisit: infans aliquo tempore vixit. Impatiens immeriti silentij, advertit cives de Oppido *Kossyczki* prætereuntes, intellexit votorum solvendorum causa ad Montem Clarum tendere, adhuc imbecilla viribus, se jungit comitem, muta pergit, muta venit, muta ad Aram Divæ Numen adorat per terram fuso corpore. Nondum orationem compleverat & festinum, festivumque sensit MARIÆ beneficium in lingvæ solutione in Laudes Divæ Tutelaris 26. Aprilis, Anno quo supra. Quis dignam non censeat omnium lingvarum præconio? Iure teste D. Athanasio Serm: de Deipara *Beatam Te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ, quæ & in cælis benediceris, & in terris Beata prædicaris ô MARIA.*

43 ILlustris Matrona *Hedvigis Bogdańska* in supremo langvore de-

sperata, fatiscens vitium, ab infirmitate traxit in lingvam, tres dies muta. Ab humanis remedijs, quæ nullam spem alebant, tam vitæ quâm loquelæ, itum ad Divina. A domesticis huc oblata, morbis pertinacique silentio absoluta, gratias ad Aram supplex egit Anno 1628 29. Septembris. Magna vbique & in omnibus virtus Mariæ, quia (Ildephonsus inquit serm: 2. de Assumpt:) *Sicut est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile præmium, quod meruit.*

Ildephonsus Ser: 2. de Assumpt:

44 Magdalena Swieczka, Virago Nobilis, filium Gregorium nomine, qui feriâ secunda Pentecostes Anni 1610. igne fulmineo adustus, cæcitatis & infantiæ anno integro plagam incurabilem tolerabat. Cæcum mutumque sistit ad Marianam Basilicam in Claro Monte, dumque humilibus Divam interpellat precibus, solatium geminat MARIA, solvit lingvæ vinculum in laudes, oculos aperit ad videndam suæ pulchritudinis ideam; tot testibus, quot spectatoribus res manifesta Anno 1611. in fastos relata gratiæ memoria. Dulcedinis Mater Maria stillavit gratiæ rorem & sanavit. *Benedicat ergo Te* (D. Doctore Seraphico prælegente precamur) *omnis lingva, & Nomen Sanctum Tuum confiteatur omnis caro, Spiritus enim tuus super mel dulcis, & hereditas Tua super mel & favum ô MARIA!*

D. Bonav: in Psalt: B. M. V.

45 Eiusdê Nominis paris gratiæ fit particeps, *Gregorius Porzadowski* Civis Iaworowiensis. Agminatim irruentibus morbis dejectus, cum viribus corporis, videndi, audiendi & loquendi facultatem amisit. Quatuor hebdomadis domesticum patiebatur eculeum. Animo, nobiliore sui parte integer, ut sensit ludi côtumaci malo, curas mortaliû, peregrinationê ad Sacram Imaginê Claromontanæ Virginis decernit. Nunquam confidentem in Domina Nostra spes fallit, nunquam fefellit, ad illius enim Numinis Clementissimi præsentiam, tot ærumnarum exercitus dilapsus, pristinum, virium & sensuum usum restituit. Ritè probatum Actis Marianis intulit, vota solvens Anno 1598, 6. Martij. Majora sunt humano præconio Virginis Magnalia, ut merito D. Anselmus de Excellen: Virg: cap: 2. dicat: *Ea quæ incunctanter de Virgine vera existunt, tantâ laudis materiâ sunt referta, vt quicunque in laudando eam morari desiderat, necesse est, ut facultas ejus magnitudini rei & veritati succumbat.*

D. Anselmus de Excell: Virg: cap: 2

46 Ioannes Bâynuk, de Minsko Civis, Paralysi tactus, vigorem artuû & usum loquendi amisit; vtcunque recollectis medicinæ sub-

sidio

sidio viribus, lingvæ facultatem non adeptus, infans tribus annis vixit; serum cogitavit auxilium & consilium Divam Claromontanam invocare, statutam ad eius Templa peregrinationem prosequitur & quidem feliciter. Attigit propinquiorem Claro Monti limitem, è quo spectari potuit Divæ Basilica, pronus in genua Divam adorat, & in terram prolapsus sentit nonnihil remissum lingvæ vinculum, non tamen plenam loquendi facilitatem; festinat iter, iam inchoató beneficio lætior. Sub vespertinarum horarum tempus, procumbens ante aram MARIÆ, casso vocis motu labiorum mutus orator perorat. Cônatum sequitur vox, vocem communis consodalium lætitia, ex integro virium & lingvæ beneficio nata. Actum 19. Maij. Anno 1621. in sacello Virginis. Optimè Cæsarius lib 7 de Assumpt: cap: 26. *Medicinâ Beata Mariæ Virginis nihil est efficatius, nihil est salubrius, nec mirum; ipsa Medicum genuit, ipsa medicinam generis humani ex se produxit. Quid mirum? si apud ipsam sunt medicamenta sanitatum, quæ hortus est Aromatum.*

Cæsarius de Assumpt: lib: 7. cap: 26.

47 Diem Sabbativum (fuit 9 Iunij Anni 1680.) venerabilem fecit Divina Mater grandi miraculo, cui testimonium, tum solito frequentior hospes populus, tum Cœnobium totum Claromontanum tribuit. Genere, quam fortunâ clarior *Martinus Osikowski* è Palatinatu Podlachiæ ab annis circiter quindecim mutus, cum peregrinis vota soluturus advenit, pro Festo Assumptionis B. V. M. Anno 1679. Hic, quidquid conscientiam angebat, pœnitentialibus mysterijs expiaturus, ad Confessarium accessit, schedam Confessionis indicem mutus exhibuit, tunsione pectoris, nutibus, gemitibus exoratam absolutionem obtinuit. A 15. Augusti Anni 1679, ad 9. Iunij sequentis Anni 1680 in Cœnobio nostro Claromontano Mediastinum egit; toto illo decem mensium decursu, quidquid in obsequijs præstandum fuit, nutibus excepit, nutibus responsa dedit. Imminebat festivissima dies Pentecostes, in qua ad sacratiorem facundiam per ignearum lingvarum illapsum Spiritus Sanctus Discipulos erudivit; atque ideo, ut se ad tantam solennitatem rite disponeret, lingvæ solutionem impetraturus, octavam Iunij spontanea transegit inedia. Adest in crastino ante Aram super benedictæ Virginis, per integrum Maturum Missæ Sacrificium, quod solenne tunc A R. P. *Tobias Czechowicz* SS. Th: Doctor, nunc Provincialis celebrabat, fusus toto corpore per terram, lacrymis, & gemitibus, sât eloquens suorum desideriorum, & calamitatis interpres, aliquale solatium exorat. Fiducia & devotio, matura miraculo fuit. Surgit, ad solita obsequia ex Aula

Lingvæ vinculum solutum coram Imagine.

Virgi-

Virginea properans, ignarus fert secum miraculum. Pulsat culinæ fores, voce clara, & intelligibili sibi aperiri poscit, stupentibus ad rei novitatem omnibus domesticis. A præside loci, & Notarijs Apostolicis examinatum, probatum, cognitum, Fastis Parthenijs insertum, postero Sacratissimo die Pentecostes, cum gratiarum actione ex publico Ecclesiæ suggestu promulgatum, ostendit in Misericordiæ dispertiendis muneribus nondum abbreviatam Mariæ manum, quæ quolibet momento supplicibus suis, si se capaces fiducia, & devotione probaverint, se mirificam præbet, & beneficam.

48 SVrdis nunc loquor & scribo, ab his quoque vult audiri sua Magnalia MARIA ut à cæcis videri, à mutis prædicari. De Villa *Rzarzew* non procul *Cracoviâ Catharina Petri Kotula* conjunx tempore messis ad agrum profecta, vitium in corpus à labore traxit. Ægritudo contumax, ut discessit, surditiem reliquit. Integro anno sub eadem calamitate gemens, frustra quæsivit ab hominibus remedia. Fovebat in sua domo seniculam; hæc altrici suæ, ut potuit, nutibus persvasit, votum ad Divam Claromontanam faceret, futurum fore appromittens, ut solatium consequeretur. Junguntur vota, reparantur organa, audit, quæ nec altercatoriam vocem percipere potuit. Recognitū Anno 1625. 7. Maij. Audit supplices MARIA & auditur in famæ præconio, quæ in Menologio Græco appellatur: *Harmonicum Monochordium MARIA.* (Menolog: Græc:)

49 AMat MARIA, & in mapalibus conversari cum humilibus, si devotam, ac fiduciâ decoram inveniat simplicitatem. In pago *Olewin* terræ Vielunensis *Anna Swießkowa* surditatis qvinqvennæ tædium, patiebatur, ut vovit iter ad Divæ Nostræ Basilicam, audivit, & futuris seculis dignum legi miraculum testimonijs allegatis in Fastos Parthenios dedit Anno 1644. 29. Septembris. Hæc pauca è plurimis in sensuum reparatione exempla, admiranda magis sunt quàm enarranda: quia par lingvæ præconium inter mortales non habent. Pulchrè Mantuanus lib: 1. Parthen:

Nulla adeo vivax animi solertia, nulli
Tam felix aderit florentis gloria linguæ,
Vt MARIÆ possit laudes æquare loquendo,
Quæ data sunt illi: Nunquam mortalibus ullis
Antea concessit, nec post concedet Olympus.

(Baptista Mantuanus lib: 1. Parthen:)

CAPUT VII.

Claudos, & Mancos diversæ conditionis curat MARIA.

50. PORrigit collapsis dexteram, ancipiti gressu labantibus ulnas explicat, *obvians quasi Mater honorificata* MARIA. Auxiliarem ejus manum imploravit & habuit Adm: R. D. *Albertus* Rożkowicz de Radomie: Cracoviæ ad Ædes D V. MARIÆ in Circulo annos quatuor ignotis ac peregrinis morbis pressus decubuit, accessit dolor acutissimus, qui mensibus octodecim torquebat; & si leni cōtactu pedes movere conabatur, subitis deliquijs satiscebat. Requisiti facultatis medicæ peritissimi, super mali natura nihil decernere certum potuerunt, id solum professi pharmaceutriarū præstigiis inductam pestem, nec ulla arte domandam. Rectà à mortalium auxilijs desperatis, ad Divina mentem vertit, familiarium Sacerdotum conducit stipendio suffragia, quæ, dum in Sanctissimis Missæ Sacrificijs peraguntur, obvius in manum venit libellus Divæ Claromontanæ gratias & miracula complectens; volvit, revolvit, ex lectione spem cōcipit, & obvertens oculos ad Prototypum Imaginis Claromontanæ ex adverso lectuli pendens, votum peregrinandi ad ejus Templa statuit, quod ut aliquando consequi liceret, à nostris Patribus in Cracoviensi Cœnobio ad Sepulchrum D. Stanislai Episcopi Crac: & Martyris petit, & habet suffragia. Mitiùs jam agere cœpit cū Mariæ Cliente in domestica illa catasta dolor contumax, liberiorem, quam antehac pedibus motum restituendo. Digna miraculo adoleverat fiducia, exemplis enutrita. Quapropter ingeniosâ devotione, pioquè conceptu ad nostræ Imaginis imaginem è pariete pendulam, peregrinationem obire statuit, è strato languentia membra colligit, surgit, innixus scipioni gradum sustentat, subsistit firmiter, stat intrepidus, & jam dolor fugerat, morbusquè, ubi primo gradu itum ad Mariam. Non credit viribus, innixus scamno, lento passu graditur, appropinquat imagini, procumbit, plenè sanus ac integer gratias agit. Miraculo recepta integra valetudo, intra horæ spatium, attonitos Cracovienses tenuit. Prastò ad Aram D. Virginis sacris dat operam, Actis inserendo gratiæ memoriā. Anno 1643. 17. Iulij. Traxit, duxit, trahi duciquè volentem MARIA. Implorate manum ejus, & cum D. Bonaventura dicite: *Trahe me post te vinculis Misericordiæ Tuæ, & fomentis gratiæ & pietatis Tuæ, sana dolorem meum, ô MARIA.* (D. Bonavent. in Psalt: B. V. Mariæ.)

51. ET Castra merentur Divæ nostræ gratiis collustrari: Nob: Ioannes Sliawski, Terræ Præmyslensis castra secutus, à Commilitonibus de Kijow causâ negotiorum expeditus, ex nocivo defluxu, læsam sentit motricem pedum facultatem, deportatus in Vrbem, subiit Chirurgorum examen; sed occulta plaga fallebat humana judicia crescens cum tempore. Ad Divam Claromontanã maturavit votum visitationis itinere pedestri, cuius gratiâ sublevatꝰ, intentusq; rei bellicæ, vota, quæ spoponderat, primùm neglexit, demum & oblitus est. Fœdifragum castigavit Maria: nam tormento dejectus, pristinorum propositorum cœpit meminisse, iterum ad Montem Marianũ suspirat auxilium à Maria deposcens, quo vindex pœna posset averruncari. Eadem se fœdifrago resipiscenti præstitit Maria, quam antea, dexteram porrexit. persanavit. Seposito itaque tantisper militiæ cingulo, pedes votivum iter ad Clarum Montem properat, miraculum cui castra fidem fecerant, recognitum syllabo miraculũ inscribit. Anno 1619. 8. Iunij Quicunque exerras à vijs Domini, ad hanc Divam, quæ collapsos relevat, recurre, quia ut Mellilacteus Cliens loquitur: *Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ tuente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitia pervenis.*

S. Bernard: Serm: 2 super Missus est.

52. MAgnifica D *Hedvigis Wilkánowska*, Castellana Płocensis, Capitanea Ciechanoviensis, manum decem annis aridam pondus inutile in Sacrarium, ante conspectum sacræ Imaginis intulit. Vbi devotis vacat orationibus, vigore pristino imbutam, atq; ad primas functiones aptam recepit. Actum in Templo Virginis Claromontanæ Anno 1567. feria 6ta post Festum S. Michaëlis. Locuta est pro se ad Virginem sacratissimam, & sensit, ejus misericordiæ dulcedinem. *Cogitate* (cum D. Basilio compello) *Quid dulcius Fratres Charissimi, quid jucundius, quid salubrius, aut quid felicius; quàm de Beata Virgine loqui, de Virgine cogitare, de Virgine prædicare, & ipsam in omnibus sequi, & imitari; Hæc est Redemptio nostra, salus, via, spes, refugiũ, consilium, & auxilium nostrum* MARIA. Hic Civis Raphaël Zelazowski Sarmaticis frigoribus præustus, manuum, pedumque officio privatus, ob diuturnum decubitum sibi, domesticisque gravis fuit. Verno tempore, ex illo territorio Contribules expeditionem ad visitationem Divæ Claromontanæ movent, accedunt Raphaëlem & his ægrum appellant. Ecquid Divam Claromontanam nobiscum non imploras? quid non accingis te nobiscum itineri? Virium imbecillitatem, ad centum & ampliùs milliaria accusans, iter abnuit. Mariano quodam impulsu familiares ægrum è sponda protrahũt, subnixum manibus in pedes statuunt, fortiùs gressum premere cogunt, vestitúmque domo innixum manibus suis educunt. Vt domo pedem extulit, langvorem omnem reliquit. Stupent grande in extemporanea valetudine beneficium, quô progreditur ulteriùs, valet robustiùs: sospes demum sacra attingens limina supplicibus votis gratias egit Mariæ. Miraculi ijdem testes, qui Raphaëli comites, Anno 1614. Adjuva suffragio clamorem nostrum, ac gemitum, qui in lapsu profundo peccatorũ torpemus, fateri cogimur cum Guilielmo Parisiensi in Rhetorica divina cap: 18. *Frustra námq; clamabimus ad ipsum te tacente, quoniam voces nostræ nullæ erunt coram eo, vel apud ipsum, si tua nobis defuerint, imò si tuis adjutæ non fuerint,* ô MARIA.

Guilielmus Parisiensis.

53. STanislaus Gwázdanek Civis *Przeworscensis* Anno medio, alieno obsequio ferri, levari, cibari, potariq; debuit, adempta pedibus motûs facilitate & facultate. Dolor contumax in animam pugnavit, & funestam ejusdem dilacerationem induxit. Felix momentum aderat, quo licuit vota ad Mariam ferre cum decreto peregrinationis Claromontanæ. Et tulit feliciter, pristinumq; in utriusque facultatis reparatione retulit solatium. In tabulas relatum ritè probatum Anno 1623. 3. Maij.

54. DOlorum vis implacabilis humano remedio, pedes affixit lecto Civis honesti Krosnensis: *Bartholomæus Lesczynski* anno medio passus eculeum ab Chirurgis, qui solatium negabant, ad Aram Claromontanæ Virginis vota festinavit: & quia cõfidenter petijt, gratiam curationis in relevatione meruit, quam sufficienti testimonio probatam fecit in Claro monte, Anno 1639. 18. Maij. Ambulant claudi. Causam habes ex Thoma Kempensi. *Benè & securè ambulat, qui* IESVM *&* MARIAM *in corde portat, sæpe nominat.*

Thomas à Kempis.

55. EX ossifragio liberum dimittit ad suam Aram Sospitatrix MARIA Matthiam Swincik de Kaliny, bonis G. D. Adami Oraczowski. Lignatum præcipiti cursu equorum in sylvam ferebatur. Impetum cohibere conatus, pedem in rotarum lapsu fregit. Doloris acerbitas, & ipsa desperata pedis plaga Chirurgi manum non patiebatur. Claudo quoque pede ire peregrinationem Claromontanam placuit, prodromos præmisit vota, jubente Diva coaluit planta pedis, quæ in sola cute hærebat, authoritatem fidei tribuentibus li-

bus literis G. D. Adami Oraczowski, quæ in Archivo leguntur, Recognitum ab ipso Cliente supplice Anno 1654. Imploratũ Nomen Mariæ, medicinam tribuit. Asserit D. Bernardus apud Bernardinum de Busti, parte 3. Serm: 2 Marialis: *O Nomen gloriosæ Virginis svavissimum! Nomen jucundissimum! certè non sum dignus Te nominare, sed si non sum dignus propter me, sum dignus propter Te, quia Tu es digna nominari, & ab omnibus amari & revereri, quia per Te gratiam acquirimus, gloriam impetramus, per Te MARIA franguntur vincula, solvuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, recuperantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma ô MARIA!* D. Bernardus.

56. SVperest ultimo ut (omissis nonnullis alijs) aliunde allata ambulandi beneficia recensendo, domi nata videam. Domum Marianam ingressa Civis Mstoviensis *Catharina Klessowna*, lignorum subalarium adminiculo, (diuturno enim tempore pedum usu destituta, nonnisi baculorum usu librare solebat corpus, (si quo moveri necessum erat) ante sacram imaginem prostrata in oratione perseveravit: supplicis calamitosam sortem miserata Maria, ardore quodam interno artus omnes convelli fecit, quo vigor integro corpori restituebatur; gravius aliquod symptoma existimavit mulier, sed longè aliud experta est, dum remissis ardoribus vegetior, quâm adoratura procubuit; surrexit, relictisq; subalaribus lignis, gratias egit, integram, constantemq; valetudinem consecuta. Actũ in Sacello Virginis Anno 1670. Dum in tantis prodigiis fulget MARIÆ claritas, monet D. Amedeus Homil: 2. de Laudibus B.V. MARIÆ. *Intendamus gloriæ ejus, & ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius, dilatato corde & inenarrabili percurramus lætitia, dicentes cum Salomone: Viæ ejus pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ, quod si dicente eodem Propheta Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem, quis lucem & splendorem semitarum ejus eloqui sufficiet?*

CAPVT VIII.

Pluribus simul morbis, ac defectibus laborantes, à MARIA relevantur.

57. PRomptuarium gratiarum hic supplicibus apertum, ille solus audebit negare, quem aut impietas contemptorem, aut invi-

dia impugnatorem, aut sensus reprobus cavillatorem fecit. Curationum itaq; officinam, prout huic parti præfixi, hîc explicat salus nostra MARIA. Loquuntur, qui ad mensuram necessitatum hinc gratias recipiunt. Gen. D. *Andreas Przezminski* terræ *Nurfiensis* letali in caput vulnere percussus, ægritudine desperata laboravit. Chirurgi & Medici læsum cerebrum dixerunt, cujus plaga nullius esset capax remedijs. Derelictum à Medicis invasit, & exagitavit furor Herculeus, ternis plerúmque per horam vicibus miserum collidendo, cumulavit ærumnam funesta impacatæ mentis dilaceratio. Tribus hebdomadis tam atroci tormento exercebatur, ut id ipsum datum fuerit prodigio, in tot malis non interire. Vbi vitam longè viliorem calamitas fecit, à morte beneficium expectabatur. Sed itum est ad Mortis Dominam, appellatur votis familiarium Diva Claromontana, huc & æger suspirat, cujus fiduciam fallere MARIA noluit; obducta enim letali plagâ, veluti cœlesti manu, vigor corpori inditus, inductâ menti malacia, domitus à bona Domina furor Epylepticus integrè sanum stitit ad Aras votorũ reum. Anno 1624. 16. Iunij. Divum Augustinum secutus (apud Bernardum de Busti parte 3. serm: 1. Marial:) *Loquar ad Te ô Maria! Multum gaudeo multum audeo, multumq, mihi gaudium, multaq, mihi audacia est; Mira loquar, sed sic verè est: Nos enim Tibi Teque nobis mira vicissitudo confœderat, ut scilicet pro nobis habeas id esse, quod es, nos verò pro Te id esse quod sumus ô MARIA.* D. Augustinus.

58. DIVA Nostra hîc ad Aram supplicem habuit Illustrissimũ D. *Andream* de Potok *Potocki*, Palatinum Generalem Terrarum Kijoviensium Halicensem, Kolomieyscensem, & Lesayscensem Gubernatorem, cum Illustrissima Consorte N. N. quorum uterque in gravibus morbis Clementissimũ Numen MARIÆ hinc votis imploratum cùm habuissent, aurô pretiosioris affectûs gratitudinem, aureis muneribus testati sunt Anno 1676. 19. Martij.

58. PAr est, quemadmodum vitæ periculum in morbis exitialibus, ità & beneficium, quod Illustrissimus D. *Venceslaus* à Leszno *Leszczynski*, Palatinus Podlachiæ cum Illustrissima Consorte expertus est, illustrem memoriam, offerens duo Candelabra argentea, Fastis Domûs Marianæ inseruit Anno 1676. 6. Iulij.

59. ET inclytum Lithanum Decus, Illustrissimus D. Christophorus Pac, Magni Ducatûs Lithvaniæ Cancellarius, Medici-

nalibus hujus Mensæ delicijs suam se debere vitam professus est? Dum enim letalibus absumeretur langvoribus, ex hoc loco MARIA Medicam imploravit opem, & habuit. Perpetuæ gratitudinis monumentum, statuam argenteam valoris trium Marcarum obtulit, Anno 1677. 14. Ianuarij.

60. AGminatim irruentes morbi funestare parabant familiariũ cladibus domum Gen: D. Alexandri Moszalski Lithvani, in Palatinatûs Trocensis Districtu Kownensi. Incognitis ipse primùm morbis facultatem medicam excedentibus fatigatus, desperatásque, sat miseram vitam trahebat, Divam Claromontanam appellavit precibus cum visitandi ejus limina proposito, faventissimã expertus est in vitæ jam labentis restauratione. Atrocior longè conjugem invasit calamitas, phtysis immedicabilis conficiebat, & quod exulto corpore non absumpsit edax malum, æstûs febrilis æthna, quam nulla ars sopire potuit, depascebat. Veluti consequendæ toties, quoties, gratiæ diploma accepisset Maritus, cum Conjuge ferè supremo lãgvore fatiscente ad Montem Clarum vota peregrinationis renovans, salutare impetrat refrigerium à MARIA.

61. ORdo tangit Filiam, Febrile incendium ex morbo natum, & suâ contagione pestilens modicum corpus exurebat. Iterum cursus ad sacram Imaginem, cum religiosæ peregrinationis decreto; non morata diu solatia MARIA, Filiam pristino vigore donavit.

62. IN Familiam casus pugnavit, Famulus imperatum Domini festinans negotium concitato cursu ferebatur, in quo excussus à sonipede & in arctum stapedem inserto pede hærens, per avia raptabatur, concussus, collisusq; inventus, & spei & medelæ incapax, per Dominum ad Czestochoviensem Basilicam oblatus, ab interitu Divæ patrocinio salvatur.

63. GEnerosus D. Nicolaus Trzylatkowski è territorio Czersceñ in ægritudinem prolapsus fatis concedebat. Languorem qui ad sepulchrũ inclinabat, morbi majoris (comitialem dicimus) implacabilis exagitatio subsecuta, sat brevem vitæ cursum præcipitabat. Fidem excedit febrile per dies viginti quatuor incendium, quod torrebat corpus exhaustum, ut ex medicorum sententia vivere, patique

patique miraculosè censeretur. Inter illas succedentium sibi dolorum vicissitudines, larga per dies undecim passus sangvinis profluvia diuturna, lentaque morte conficiebatur. Amicis serum ostendit consilium necessitas, ad Clarum Montem vota properare, antequam vita excederet. Parent pijs inspirationibus, vota votis cumulant, ad Aramque sistere despondent. Vt solatia, quò magis insperata ac inexpectata, eò gratiora acciderent, Diva fecit, cùm desperatam alijs valetudinem, integritatemq; virium redonavit. Vir Religiosus gratitudinis perpetuæ anathemate Divam honorans, tot beneficiorum authenticam recognitioné præsens ad Aram, fecit Anno 1647. Expertus est Cliens MARIæ, quod verè secundùm Damascenum de Dormit: B. V. *MARIA Officina Medicina ægrotantibus.* *D. Damasc: de Domit; B V. M.*

64. AD tributa viuendi (ægritudines, & quascunque ærumnas, sic appellat Romanus Sapiens de Remed: Fortuit:) mortalitatis conditio, damnavit *Sophiam Zamoyska* ex Illustrissima Zamosciorum familia; Totam inundarunt morbi, doloresq; per nova & nova symptomata crescentes adeò, ut in corpore nullum medicinæ locum reliquerint. Paralysis subsecuta loquendi facultatem ademit, & lingvam in silentio tres hebdomadas tenuit. Sophia ipsa, quæ nihil præter gemitum doloremq; novit, suæ salutis pulchrum è cœlo infusum invenit consilium; Ex adverso pendulam colebat Odigitriæ Imaginis Imaginem. Illam ut poterat fatigatis nutibus mandat porrigi, afflato paralysis pestilentia lateri admovet, pectori apprimit, disvaviat, quæ voce prosequi non potest, mente vota promit, multumq; tacitis affectibus cum Imagine locuta peregrinationem ad Templa Claromontana decernit in animo. Adhuc oblectabat mentem, & oculos, Divæ prototypo, versat in manu, cùm experitur, quod nesciebat valetudinis, & lingvæ beneficium, surgit, & paulò post iter prosequuta, gratiæ memoriam præsens in Actu dedit, Anno 1634. Mense Octobri. Quæ alios supplices salvas à morte, & nobis vitam repara, quia sola, ut loquitur Hondemius Christiados, libro 6

Seneca. *Hondemius lib: 6 Christiados,*

Vt sis verè solamen miseris,
A salvante nos præelegeris
Virgo volens, quod velle crederis,
Defende nos à fauce funeris,
ô MARIA.

65. EX Pomerania meruit videre Divæ noſtræ patratum prodi-gium. *Alexander Medy* Civis Gedanenſis, famâ magnalium Mariæ crebreſcentium evocatus, viſitavit ſacram in hoc Monte Imaginem. Hic fuiſſe, vultum Virginis vidiſſe, prodigialium operum monumenta aurô, argentoq; cælata è muris parietibus veluti è roſtris, pro Mariæ clementia perorantia vidiſſe, tantùm profuit, quantùm valetudo potuit æſtimari. Ad premendam univerſæ carnis viam, expugnatus morborũ exercitu urgebatur. Febrium æſtus, pareſes, tædia, pleurhres, ſpaſmus, aliaque ſolâ crudelitate, quàm ſuis nominibus notiora portenta nobiliſſimorum Vrbis Gedanenſis Medicorum fatigabant, & confundebant induſtriam, quæ profuſis liberalibus impendijs emebatur. Divæ Claromontanæ memoria occupavit cogitationem Alexandri, neceſſitas ad vota peregrinationis compulit, quæ ut nuncupavit, ſurrexit ad ſui Nominis menſurã ſanitatis robur ac fortitudinem conſecutus. Præſens beneficium ſubſcripſit.

Alexander Medy, Sereniſſ. Regis Vladislai IV., Aurifaber Gedanenſis, Anno 1638 15 Iulij.

66. IN Pannonia quoque ſuarum gratiarum explicat trophæa Diva Claromontana. Novit, & recognovit vota ſolvens Nobilis Demetrius Sokołowich, ad Aram Soſpitæ Mariæ hic ſupplex Anno 1679 10. Februarij. Anno præcedenti 1678. cum Magnif. D. Zrenio inter Cæſarianos milites exiſtens in conflictu cum Vngaris rebellibus, globo per ſiniſtri lateris tranſverſum traiectus, fracta per globi violentiam coſtâ ex equo prolapſus letali deliquio langvebat. Mentem eo tempore ſubiit recordatio Divæ Claromontanæ miraculorum, quæ à permultis & variis perſonis ad ſacram eius effigiem patrata referebantur, ſpondet ad eius Aram ſupplex Homagium ſi hinc hoſtium, inde vulnerum abſolutus, periculis libertatẽ conſequeretur. Vires deinde derivavit in corpus ab recollecto animo, dum adhuc acri conflictu dimicant alij, ad ſtagnum proximum reptavit cadentibus undique conſodalibus ab hoſtili gladio, vivus ab rebellibus Vngaris in oppidum Hemmatz deductus, per triduum in continuo ſangvinis profluvio ex vulneribus abſq; Chirurgo ſemivivus decumbens deſperaſſet, ſalutem, vitam, & libertatẽ, niſi invocatũ ex hoc loco Numen Maria adfuiſſet, quæ vires ad fugam, ſalutem, vitam & libertatem, clienti ſupplici donavit. Huc relatum & in Faſtos adnotatum Anno & die quo ſupra.

67. Ad-

67 ADmiranda ſunt omnia Opera Mariæ; Et quis (cum Baſilio Seleuciæ Epiſc: Orat de Annuntiat. Deiparæ) *magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur, quàquanto eos omnes intervallo poſt ſe relinquat, quos Divorum locò habemus, non miretur? ſi enim Chriſtus ſervis tantam gratiam contulit, ut ſolo contactu, imò verò ſolâ corporis umbra agris præſidium afferre poſſent, qualẽ vim adverſus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuiſſe putandum eſt? an non multò maiorem, quàm cæteris Chriſti imperio ſubiectis? Omnino res clara eſt.* Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.

CAPUT IX.

Clientum recitat Authographa, in quibus ſuperata complura vitæ diſcrimina referuntur.

68 PRimum legitur Authographum ſub Anno 1616. G. D. *Stephani Oſſowſki*, cujus tenorem in ſuo curſu pono.

1. *Ego* Stephanus Oſſowſki *de familia dicta Gryphorum ex Palatinatu Lublinenſi, exiſtens Conſtantinopoli cum M. D.* Petro Ozgá *Capitaneo Trebowlenſi, qui tunc Legatione ad Imperatorem Turcarum fungebatur, quando recreationis causâ cum alijs nobilibus versùs Aſiam navigabam, tanta mare tempeſtas miſcebat, ut in profundo ejus fuiſſemus, ipſi nautæ re ex ſalute noſtrâ deſperatâ manus operi ſubtraxerunt. In tanto periculo conſtitutus, preces meas & vota ad Divam Claromontanam converti, ut ſua deprecatione Deus Opt: nos à morte præſente liberaret. Factum eſt, ut miſeratione divinâ per merita Sanctiſſimæ Virginis affulgente, ad portum ſalvi appuliſſemus.*

2. *Ibidem lue peſtifera multis è noſtris nobilibus & familia abſumente, ego licet illâ contage infectus eſſem, vitâ tamen ſuperſtite, ad propria remeavi.*

3. *Profectus deinde in Valachiam, ad bellum Cecorenſe, in periculis iiſque crebris, conflictibus, cùm conſtanter egiſſem, tandem ab hoſtibus captus, & in vincula conjectus, duobus annis in carcere Krimenſi detinebar, ſed favore Divæ Virginis inde exemptus in Patriam redij.*

4. *In prælio Halicenſi contra Kantimirum, item in triplici concertatione cum Koſacis rebellibus ſupra flumen Mozna, demùm in lo-*

in loco dicto (Cubilia urſorum) *ubi denſa grando telorum nimbique plumbei noſtros impetebat, tutante Divâ illæſus.*

5. Demùm cùm Dominus Tartarorum fines Poloniæ vaſtaturus advenisset, manſi ſub Civitate Bar, cum alijs in preludio pugnæ inſequendo quendam ex hoſtibus, incidi ex improviſo in inſidias ſcytharum, & ab his jam jam capiendus aut occidendus, per tutelam M A R I Æ *mirabiliter ereptus. Denique in alijs locis certaminum cum ſcythis, Divino præſidio à ſorte infauſta ſum præſervatus.*

Hæc recolens inſtigante conſcientiâ vlteriores cum votis meis protrahere moras nolui, ſed obtenta à meis ſubſignanis dimiſſione, à finibus terræ tam longum iter emenſus, ex intimis præcordijs gratias ago in hoc loco Deo Opt: qui me per interpoſitas preces Sanctiſſimæ Virginis M A R I Æ *in prædictis alijſque periculis ſalvum & incolumem ſervare dignatus eſt. In cujus rei memoriam &c. &c. Dominica 4. poſt Paſcha Anno 1626.*

Stephanus Oſſowſki *mpp:*

Sapientiæ 7. Ad ſuum Etymon tot victoriarum laureis *coronatus*, quo loco poſuerit, quibus affectibus coluerit exprimere potuit illud Sap. 7. uſurpans: *Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextingvibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnib⁹; quoniam antecedebat me iſtâ ſapientia* M A R I A.

69 EAdem Sapientia Comes & Dux antecedebat Nob: *Ioannem Stankiewicz* cum morbis & hoſtibus luctatum, cujus legitur in hunc tenorem Syngrapha.

Ioannes Stankiewicz *recognoſco ſub conſcientia, me graviſſimis morbis preſſum, cùm nullum efficax ſanitatis remedium inveniri poſſet, votô Claromontanæ viſitationis conceptô, priſtinæ integritati reſtitutum, Anno 1622.*

In Volchiniam poſtea caſtra contra Turcam ſecutus, grandioris tormenti globo traiectum, cui inſidebam, ſtratúmque illæſus ipſe eqvum deſideravi, vota ad eandem Patronam tuli, & inter tot Turcici martis fulminantis victimas, cadentibus igne ferroq; ab utróque latere miſerandis funeribus, illæſus evaſi.

Ea-

Eadem hebdomada ſeptima die Menſis Septemb: acri conflictu cum Turcis pugnavimus, eductæ ex parte noſtrûm tres turmæ, in quibus vix quingenti bellatores cenſebantur, in Turcarum ſexaginta millia irruerunt, ſocius & ego coméſque periculi, accepto vulnere in manus barbarorum deveni, ſed repetito ad Divam Claromontanam M A R I A M *propoſito, ſi tui, ſi è medio diſcriminum evaderem, ad majorem ejus cultum & venerationem gratias, quas percepi, me promulgaturum, & protectricem ejus dexteram habui. Hæc vota mea ſolvendo, patrocinia Dei Matris* M A R I Æ, *meâ manu conſcripta, & ſubſcripta, ad perennem gratitudinis conteſtationem, in librum Miraculorum inſerenda depono Anno 1628.*

Joannes Stánkiewicz *mpp.*

Meritò profiteatur cum Doctore Seraphico in Pſalte: B. V. M. *Adjutorio ſancto Tuo evaſi pericula mortis, & de manu crudelis ſubterfugi.* S. Bonav: in Pſalt: B. V.

70 ILlud quoque mirificam M A R I Æ Virtutem, ob benignitatem teſtatur, quod in actis Parthenijs ſcribit Vir Equeſtris *Paulus Czárkowſki* Lithvanus, cujus recognitionem ſubijcio.

Ego Paulus Czárkowſki *ex Lithvania, Diſtrictûs Novogrodenſis, profiteor me ſub annum 1634. in expeditione Moſchovitica cum Sereniſſimo Rege* Vladislao IV. *letalibus vulneribus affectum ac deſperatum fuiſſe, ſed voti beneficio ad viſitationem Divæ Czeſtochovienſis perſanatum miraculosè, ac ſublevatum convaluiſſe.*

Alia occaſione invaſus ab hoſtibus, cúm reſiſtendo vires impares viderem, præcipiti conſilio & caſu, ignarus artis natatoriæ in fluctus profluentis me conjeci, & hî extremè periclitatus, dum vota renovo, ad littus incolumis præter aliorum ſpem & opinionem enatavi.

Denique caſus, infortunia varia, quotquot obijciebantur, auſpicijs M A R I Æ *Claromontanæ feliciter illæſus ubique ſuperavi. Pro quibus immenſis favoribus, quàmvis longè beneficijs impares,*

has

has tamen exiles gratiarum actiones præsens persolvo, ac me in perpetuum Reginæ Misericordiæ mancipium subscribo.

Idem qui supra *Paulus Czarkowski* Lithvanus Districtûs Novogrodensis *mpp.*

Et unde tam imperiosum jus datum Virgini ad propulsanda à Clientibus discrimina, nisi à plenitudine gratiæ? quia sicut testatur D. Bernardinus Senen: tomo 1. Serm: 6. art: 5. cap: 10. *Excepto Christo tanta gratia Virgini à Domino data est, quantum uni puræ creaturæ dari possibile esset.*

D Bernard: Senen: tom: 1. Serm: 6.

71 Derivavit exuberantis gratiæ rivos & in G.D. *Samuelem Weslawski* S.R.M. Aulicum, cujus genuinum tenorem in recognitione gratiarum propono.

Testor me concepto voto in Livonico bello Anno 1658. à peste inter tot vivas mortes servatum, quamvis illorum, in quorum consortio vixi, plurimi obierint.

Necdum exolutô votô in Vercensi prælio à Moschis captus, similiter concepto voto ad Czestochowiensem Divæ Virginis Imaginem, illæsus Moschuam deductus vixi quadriennio captivus, ejusdemque Virginis beneficio liber evasi.

Iterum neglectô votô subij grande periculum à seditiosis militibus post cædem Vincentij Corvini Gąssewski, volentibus me quoque ejus innocuæ cædi superaddere.

Denique à S.R.M. ad Magnum Ducem Moschuæ ter ablegatus, ejusdemque Majestatis in Vkrainam internuntius, inter bella & ignes, liber pericula evasi, ubique feliciter confecto negotio, invocata ope Beatissimæ Virginis, cùm tamen humanitùs præsentissima mors in hisce occasionibus impendebat.

In quorum fidem hoc in loco sacro testimonium depono cum gratiarum actione humillima 13. Novemb: Anno 1669.

Samuel Weslawski S.R.M. *Aulicus* mpp:

Materna tua fecit pietas, quòd non oppressit Clientem multiplicata calamitas. Ad quem alium confugiemus filij miseriæ, si nos repellis Mater Misericordiæ? Ergo

Festina Miseris misereri Virgo Beata.
Nam Te si recolis miseri fecere beatam,
Ergo bea miseros, quorum Te causa beavit,
ô MARIA.

ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS
SEU
HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO VIII.

Paralytici, Podagrici, Hydropici, Leprosi, Ulcerosi, Caducô morbô, Plicâ, Spasmô, Calculô, vexati, votis ad Sacram Imaginem nuncupatis vigori pristino, vitæque restituuntur.

Hic revelatur.

Secundùm Rychardum à S. Laurentio Lib: 4. de Laud: B.M.V.

SAMARITANA MARIA.

Samaritano Nummorum diviti, qui duos ad curationem seminecis, quem jumento proprio superjectum bajulavit, nummos erogavit, Samaritanam jungo, Christo, qui in sua carne infirmitates nostras, quas curaret, portavit, & ad vulnera corporis & animæ pretium redemptionis impendit, MARIAM, quæ Richardo à S. Laurentio Lib: 4. de Laud: B. V. dicitur *Samaritana vigil*, & *Misericors*, quæ uberi latice lene miserationum oleum, ac dulce solationum vinum, apertis, occultisque naturæ læsæ vulneribus affundit.

CAPUT I.

Paralyticos relevat MARIA.

1. Quia ad omnes plerumque sanitatis, naturæque defectus in

daga-

Hypocrates dagandos est *Vita brevis, ars longa, experimentum fallax, judicium difficile* (ut inquit Hypocrates in princ: Aphorism:) jure ad Divam Clientes recurrunt Samaritanam MARIAM, quæ ex gratiæ, gloriæque dotali proventu sumptus ad medendum ægris impertitur. Hos obtinuit A.R.D. *Iacobus Neopolitanus*, Parochus Zbucinensis. Anno 1610. Mense Majo paralysi prostratus obriguit. Omnes curæ frustratæ, & judicia peritorum immedicabilem dixerunt. Sublato corporis vigore, singulari dono mentem integram occupavit Divæ Claromontanæ cogitatio, ad eam suspiravit, & subitaneo prodigio membrorum, sensuúmque deperditas facultates resumpsit. Aureo Anathemate gratitudinem testatus vota deposuit. Anno quo supra, lœtúsque cum Andrea Cretensi prædicavit, Mariam esse, *Latitiæ organum & immensi gaudij Genitricem*.

Andreas Cretensis Oratio: de Assumpt:

2. PAstoralis muneris curas, laborésque rependerunt abundè subditi A. R.D. *Petro May* Commendatorio Lassoviensi Diœcesis Chelmensis, qui violentiâ pestilentis apoplexiæ dejectus, novē hebdomadis fatiscebat. Affecit immitè malum subditos, vicinosque boni Pastoris, collatis ad invicem consilijs Divæ Częstochoviensi supplicant, vitam ac sanitatem morienti deprecantes. Sinceritas pij affectûs non meruit repulsam pati. Surgit vigorem novum indutus, vitamqúe debere Divæ nostræ præsens fatetur, Anno 1631. 24. Iulij. Dives in omnes Maria, dona gratiarum partitur: & quid non dives? quandoquidem ut ait D. Epiphanius Orat: de Laud: M. *Virgo MARIA invenitur esse cælestis sponsa & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit, dotis verò gratiâ cœlum unà cum paradiso.*

D. Epiphanius.

3. NOn invidendi & exteris MARIÆ favores. A. R.D. *Georgius Skopek*. Ecclesiæ Collegiatæ Oppoliensis Canonicus & Custos, dimanante in corpus totum affectione malignâ capitis, apoplexiâ correptus, desperatus decubuit. Spebus apud mortales quas alebant curæ, deperditis, & sumptibus, ad Divam Częstochoviensem vota festinavit. Successit in ægro corpore etiam sensibus rigefactis, animi sensus melior, ad cujus desideria Diva Mater inclinavit misericordiam. Miserum in optata valetudine constitutum, ad suam Aram sistens. Anno 1654. 20. Augusti. In Hypomnema gratiarum relatum. Si suis coronat miserationibus Sacerdotes Maria, verè in Menologo Græco dicitur. *Corona Sacerdotum.*

Menolog: Græcum.

4. A con-

4. A Confinibus Moscuæ illud est quod sequitur G.D. *Martianus Gorski* districtûs Orszynensis, Dux cohortum exercitûs Regij, Anno 1624. Smolenscij ex insidijs ferrô cinctûs, bina letalia, quæ cerebrum læserant, accepit vulnera; ad desperationem accessit paralysis affectio, quæ totum corpus in stupore sensibus privatum, tenuit quinque hebdomadas. Prá finiverant diem decretorium, chirurgi & Medici, sed fatalem terminum anticipavit moribundi Germanus frater, D. *Stanislaus Gorski* fratrem Claromontanæ peregrinationi despondet, & stupente naturâ ipsâ ad prodigium, pristinæ sanitati, vigoriqúe restitutum hîc stitit ad Aram 25. Martij, argumentum periculi, & miraculum in cicatricibus nōdum benè coalitis præsentatûm, cui fidem fecerat A R.D. *Præpositus de Starosielsko*, & R. P. *Gvardianus* Conventûs Smolenscensis Ordinis S. FRANCISCI Strictioris Observantiæ, uterqúe testis oculatus miraculi. Nutrit ac solatur pia Mater ægros, quia illa est secundùm D. Bonav: in Litanijs B. V. M. *Mamilla Orphanorum, & consolatio afflictorum MARIA.*

D. Bonav: in Litan:

5. EAdem natura Matris & Filij, eadem quoque clementissima potestas. Imperat Filius *tibi dico surge* & surgit, imperat & Maria, surgunt, quos maligna paralysis affectio prosternit. *Anna Zabińska* Civis de Zabno, tacta paralysi lectum 5. annis premebat, industriam medicantium, spesque omnes lusit pertinax rigor. Votorum scopus Maria. Ad ejus Aram in Claro Monte peregrinatio in animo statuta, rigefactum corpus imbuit. Sublevata prodigiô, quò collimabat animus, sequitur, est ad Aram grata cliens, sospitam suam Divam nostram adorans. Protocollis MARIÆ Magnalium inserta gratiæ memoriâ. Qui amatis in cliente Mariæ Clementiam propitiam habituri, implorate cum Houdemio.

Summi Regis Mater & Filia,
Cui nullus par est in gloria,
Tua Mater dulcis Clementia,
Sit nunc & tunc nobis propitia.

Houdemius Lib: 6 Christiados.

CAPVT II.

Podagricos, & Hydropicos, sanat MARIA.

6. ADm: R. D. *Paulus Kurdwanowski* malignis febribus correptus, sensuúmque facultatibus læsis, voti beneficio, quod amici ad Divam Claromontanam nuncuparant integrè convaluit. Neglectam

ctam, an dilatam voti solutionem dum moratur, podagrâ affectus, eadémque uno & altero mense nonnunquam diutius laborans, torquebatur. Suscepit libenti animo, cœlo monente consilium, ut vota solveret, iter aggreditur, imbecillem valetudinem incommoditatibus, cùm autumnalibus imbribus aura frigeret, committit præsénsque vota deponit, expertus acerrimorum dolorum vehementiam evanuisse. Authographum gratiæ dedit Anno 1654. 15. Octob: Porrigite manum qui exaltari cupitis, eriget Maria, sublimabitque, quos humiliavit antiqua Parens Eva, & in virtute potestatis, bonitatem ejus pietatis laudando, notam ei cum Anonymo vestram devotionem facite. Nam. Anonymus.

Hæc est digna laudibus,
Quæ nostris criminibus
Contulit remedia.
Collaudemus igitur
Dum nobis conceditur
Jllam cum lætitia.

7. G. D. *Alberto Wezyk*, viceJudici terræ Siradiensis, in acutissimis & incurabilibus podagræ doloribus, salus voto ad Divam Claromontanam quæsita est, cùm enim fefellisset conatus & sumptus contumax acerbitas, nec tractari nec leniri manu medica tolerans, votis appellavit Mariam cum peregrinationis proposito, & sentit beneficam. In Hypomnena magnalium relatum dum vota præsens solveret Anno 162, 8. Aprilis. Non mirum quod salutem tribuat, quæ (ut ait Irenæus Lib: 3. Cap: 33.) *Et sibi & universo generi humano facta est causa salutis* MARIA. Irenæus Lib: 3. Cap: 33.

8. PAri affectus pedûm cruciatu: G.D. *Martinus Mierczewski* viceCapitaneus Rosanensis nullum ab arte medica levamen capiebat. Stipulatâ ergo ad Divam nostram devotione, illo pertinaci absolutus tormento, ad Aram Sospitæ Mariæ gratias egit, & se in tabulis Mariæ Magnalium Clientem scripsit Anno 1644 16. Iulij. tam benignæ Patronæ misericordias enarrando; Et justè quidem *Voluntas enim Filij est* (inquit Rychardus à S. Laurentio de Laud: B. V.M. Lib: 2.) *ut Matrem ejus & Dominam nostram benedicamus in omni tempore, scilicet die & nocte, in prosperis & adversis, & ut laus ejus semper resonet in corde, & ore nostro, de ipsa meditando, ipsam laudando, orando, benedicendo,* Rychardus à Laurent: lib: 2. de Laud: B.V.M.

do, illi gratias agendo, ejus magnalia prædicando, & ut laus ejus sit quasi frenum in maxillis nostris, nos refrenans à vitijs lingvæ, vnde & ipsa promittit cum Filio laudatori suo, Isaiæ 48. Laude mea infrenabo te, ne intereas.

9. NEc populare est Divæ nostræ beneficium in Cive Leopoleos Stanislao Grabowski; In ætatis provectæ cursu motricem pedum facultatem sistit intractabilis, & immedicabilis podagræ affectio. A desperatione, ad quam præcipitarant frustrata sine suo remedia, spem suam orditus venerabilis Senecio, æger ut erat in curru componitur contra Medicorum, amicorúmque disvadentiû consilia. iter decretum voto prosecutus, ut sacri Montis attigit clivum, tota atrocis podagræ malignitas evanuit. Testatum beneficium fecit præsens. Quàm meritò, ut inquit Ekbertus Abbas: *Magnificat Te omnis anima ô Mater Dulcedinis, & beatitudinem cordis Tui; unde salus nostra profluxit; collaudat omnis lingva piorum in secula seculorum, ô* MARIA! Ekbertus Abbas.

10. ALia mala premunt alios. Tumor hydropicus in Martino Głowacki, ex morbis quibus affligebatur diutiùs, sensim accrescens animam præfocabat. Evocavit Leopolienses Medicos, qui opem ferrent, sed maius jam vitæ discrimen erat, quàm ut posset humano studio propulsari: Ex arbitrio infirmi pendere sanitatem ut credas, persvadet fiducia, quæ cùm desperare prohiberet infirmum, miraculû voluit. Ad Divæ Claromôtanæ Têpla iter vovet, quò factô detumuit humor nocivus, ac evanuit. Recognitum Anno 1575 Clientis Syngraphâ. Libet cum Mellilacteo Bernardo fateri. *Quàm bona Domina his, qui rectò sunt corde, & rectè in omnibus consentiunt qui rectò sunt corde, his Advocata nostra, sola bonitate sua agente, præsentiæ suæ tantam plerumq; copiam exhibet, & quàm sit orabilis, exhibitione impertitæ gratiæ docet, ut innovati spiritu proclament per consolationem experientiæ: Salve Regina Mater Misericordiæ.* D. Bernard. super Salve Regina.

11. A*lbertum Ozuchowski*, cùm diutiùs exagitassent morbi, in tumorem hydropicum creverunt. Anni medij tolerantia servivit prodigio. A medicantium curis nihil capessens solatij, visitandæ Imaginis Claromontanæ propositum concepit, corpus animum sequi cupiens, absolvit letali tympanite MARIA. Testatum, & Dyphtichis Parthenijs insertum, Anno 1634 4. Ianuarij. Plurima his similia consultò omittuntur, quia Magnalium MARIÆ tantummodò breviarium scribitur. Succurrit invocantibus MARIA,

quia (ut testatur D. Amedeus Homil: 7 de Laud: B. V. M:) *Adest huc de cælo gloriosissima, & prece potentissima; propellens omne quod nocivum, & conferens omne quod bonum est, cunctis ex corde rogantibus se munimen præsentis vitæ tribuit, & futuræ, memor quippe quo fructu effecta est Mater Redemptoris, libentissimè suscipit cujuslibet preces peccatorū, & pro universo reatu pœnitentium apud proprium Filium intercedit; sanè obtinebit quod volet Parens Charissima &c.*

D. Amedeus Homil: 7 de Laud: B. V.

CAPUT III.

Leprosis, ac ulcerosis, medetur MARIA.

12. MAlunt hic tractari calamo, quàm ferro tangi, ægrotorum ulcera. Medicam illis applicat manum MARIA. Leprosum dedi hic Partit: 3. cap: 10. num: 57. nunc apostem atū ulcerumq; peste deformatos, Divæq; gratia persanatos, accipe. In exemplum venit Gen: D. Nicolaus Powierski, Districtûs Lenczycensis, apostematib°, quæ fœdâ pure manabant oppletus, nullum à medicina remediū capiebat. Morborū, ulcerū, dolorūq; acerbitas crescens cum tempore, ut inexplicabilis fieret, loquendi facilitatem, mox & facultatem abstulit. Et quia illustrem sangvinem non inquinant ulcera sed scelera, Domûs inclytæ decori labem; non adspergit scabies putida, at vita flagitijs fœtida, inter illas corporis verminantis sordes, placitum superis & candidum erga MARIAM fovit animū, qui ad Divam vota dum properat (nec enim lingvæ aut vocis obsequio licebat) cum peregrinationis ad Montem Clarum proposito, siccata veluti ad ardentem clibanum ulcera adinstar squammæ deterguntur, membrorum, sensuumq; facultas reddita, liberum periculo mortis reliquit.

13. NEglexit officium gratitudinis rei familiaris curis intentus, ideò ut fœdifragus punitur. Pirij pulveris pondo ferme flammam corripuit, quâ domus infessa, vicinos ad opem tumultuariam evocavit. *Nicolaus* Domesticæ supellectili Gazæque metuens, intulit se flammis medium, ubi dum nemine ferente subsidium periclitatur, nuper expertam Divæ miserationem appellat, cum peregrinationis decreto, quo facto emersit ex incendio duplicis voti reus, quod solvit Anno 1576. Fidem datam Mariæ servate, quotquot aut estis, aut decoro ambitu esse cōcupiscitis Mariophili & visitabit vos, hoc mihi,

hoc mihi, hoc idem vobis cum Damasceno polliceor (Orat: 2. de Dormit:) *Si vitia prompto atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio, atque amore complectemur, easque socias adhibeamus, frequens illa ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christumq; Filium suum, omniumq; Regem, ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet MARIA.*

D. Damasc. Orat: 2. de Dormit.

14. NObilis Anna Szyszkowska, ejusdem Nominis Neptem Annam Octennem, domi suæ fovit. Matura ferendæ calamitati, papulis, ulceribus, scorbuto, infessa, & interaneis infusum virus patiebatur, quod æstu suo nullo remedio placabili, totam depascebat. Duabus hebdomadis cœcitatis plagam toleravit, cùm palpebras implessent pustulæ, magna ad prodigium patientia in parvo corpore. Tantæ miseriæ remedium à Diva Czestochoviensi votis implorabatur, quorum munere venit, ut Diva Mater, totam pestem, quæ intra & extra torquebat elideret, detersâ turpitudine, quam mordacium ulcerum vis aspergerat. Redditæ cum puella gratiæ ad Aram Virginis Anno 1610. 1. Iunij. A putredine & corruptione corpus innocens præservavit MARIA. *Quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulverū pigmentarij.* Clariùs Petrus Damianus Serm: de Assumpt: B. V. M. *Universus pulvis pigmentarius in Virgine projectus est, quando in ea virtutum Conventus reverendum sibi thalamū consecravit, & si cæteris per partes Spirit° adfuit, MARIÆ tamē tota plenitudo gratiæ pervenit.*

Cantic: 3.

Petrus Damianus Sermone de Assumptione.

15. IObzâ plagâ percussum Civem Varsaviensem Ioannem (agnomen non inveni) lego sub Anno 1598. Vlceribus toto corpore oppletus in syndone annis quatuor volvi, revolviq; debuit, si qvando loci, stratique mutationem requirebat, in maximo vitæ fastigio à morte beneficium, tantorumque malorum medela unica expectabatur. Mons Clarus tot ærumnis solatium fecit, ut primū enim ad ejus Aræ Marianæ limina peregrinationem decrevit æger, manus pedesq; deformiter cōtracti, qui decubitu quadriēnali ambulare moverique dedidicerant, ad Divam animum sequi cupientes, diffl[u]entibus apostematibus in pristinā Symmetriæ naturalis legem coiverunt. Viribus integer & animo vota solvit Anno quo supra, 1. Maij. Miseræ vitæ amarorem temperat dulcedo gratiæ, doloresq; leniunt lactis Virginei deliciæ, ut merito cum Houdemio lib: 1. Christiados, uberrimum illarum laticem fatearis, quo Filium lactat Nutrix Divinitatis MARIA.

Houdemius lib 1 Christiados.

Vber uber in lactis pabulo,
Lac propinat lactenti Flosculo,
Quem cùm Mater honorat osculo,
Plus florescis, quàm Sol diluculo.

16. E Neapoli non minùs illustre sequitur Divæ nostræ beneficium in Cive honesto *Andrea Panek.* Vlcus pestilens ingenu crevit, quod neglectum hyeme dum se committit itineri, in tuber virulentum collectum, in pedem acre venenum diffudit, quod exedens carnem, plura in pede patefecit foramina. Consumptis domûs modicæ sumptibus, collecta ostiatim stipe victitabat. Tempus aderat, quo ex Civitatibus & Oppidis multitudo agminatim ad Odigitriæ nostræ Imaginis visitationē properabat, cœpit & Andreas ire velle, sed molem corporis ferre non poterat, labantium pedum infirmitas, subalaribus tamen lignis molem hominis librans, & non tam progrediendo, quàm pondus prægravans trahendo sequi cœpit. Placuerunt viriles imbecilli corporis conatus Divæ nostræ. Pergit comite prodigio, quo progreditur ulterius, liberalius accipit gratiam, decedunt tumentia ulcera, ossa nuda in partibus nova carne superindui, obduci vulnera cœperunt, & quod longæ curæ, sumptusque dare non poterant, MARIæ gratia contulit. Testatum à Contribulibus prodigium, cuius vestigia patebant in cicatricibus nondum benè coalitis Anno 1623. 20. Maij, Medicinalis est virtutum & meritorū Tuorum fragrantia ô MARIA! quia ut sentit Damascenus Orat: 1. de Nativitate: *Rosa quæ ex spinis, hoc est Iudæis, orta es; ac Divinâ flagrantiâ cuncta perfudisti.*

Damascen. Orat: 1. de Nativit. B. V. M.

CAPVT IV.

Morbum Herculeum seu Caducum compescit MARIA.

17. DOminam à dominādo dici placuit Divo Antonino. Rectè quidem Dominam MARIAM jure dicendam judica, quæ indomitum Herculei morbi furorem edomat. Primùm in Nobili *Alberto Strzałkowski*, qui, diuturno tormento morborum exagitatus, sat miseram vitam trahebat. Vnum malum ex alio dum nascitur, in Herculeum furorem actus, nonnunqvam unius horæ spatio quindecies spumans collidebatur, à Medicis, quos morbi natura fallebat, ad Divam Claromontanam vota festinat, & feliciter; sensit enim Numen Virginis morbus ferociens, ejusque vi infrenatus, liberum deinceps, pacatis sensibus, & animo uti, ad ordinatam clementioris naturæ legem permisit: Merito Tibi magna Dei Parens, parent omnia, quia ut ait Houdemius lib: 6. Christiados,

Houdemius lib: 6 Christiados.

Advocata potens eloquio,
Cùm allegas fit tua jussio,
Maiestatis Rex micans solio,
Tuo Parens paret imperio.

18. IN Alberto viget, in Floriano floret, beneficentiæ Marianæ memoria. Nobilis D *Florianus Łucki* supra unum annum, & medium, exercitu morborum dejectus langvebat: ulteriorem calamitatem tranquilla mente & viribus ferre non potuit; nam illa malignitas morborum, adempta visûs facultate, per tres hebdomadas, Herculei furoris vi jactabat convellebatque desperatum. Collapso nihilominus corpore, spem erexit fiducia, quam in sinu Divæ Claromontanæ collocavit. Ad ejus Aulam votum fecit peregrinandi, respexit, surrexit, iter solvere perrexit, præsensq; Sospitam suam Mariam adoravit, dignam utique, cui post Deum omne genu flectatur, humili totius Orbis ruinâ, quæ sola post Deum per Deum, mundi hominumq; ruinas instauravit. Relatum in tabulas gratiarū Anno 1611. 12. Aprilis. Veniat, cùm vocat Diva: *Venite ad me &c.*

Rychardus à S. Laurentio num: 12. de Laud: B. V.

Cassus hominum spes proculcando.
Cæcus ad Collirium, ut illuminetur.
Ægrotus ad medicinam, ut sanitati reddatur.
Famelicus ad refectionem, ut bene procuretur.
Miser ad misericordem, ut misericordiam consequatur.

19. GEminatum producit miraculum in Filijs suis Martino & Petro: Gen: D. Stanislaus Małowski, è Palatinatu Cracoviensi: magni morbi, in morbum majorem (epilepticū seu caducū sic appellamus) commutati, duos in simul filios, *Martinū* & *Petrum*, ante Parentum ora miserè admodum concutiebant: Nulla ars placare potuit illam sævitiem, quæ mærentem domum impleret. Adfuit opportunè cum solatio Admod: R. D. *Martinus Cracovień.* Ordinis S. Benedicti in Conventu Montis Clari Prior, Parentibꝰ insinuat, svadetque propitium è Clari Montis Sacrario MARIæ Numen implorandum,

randum, & implorat cum Parentibus, sistere ad Aram Filios appromittendo, successerunt pij conatus, quos promovebat fiducia, nam absoluti illo tormento pueri, cum Parentibus Tutelarem Heram in Imagine homagio venerati sunt. Recognitum interpositâ conscientiæ fide Parentum Anno D. 1623. 17. Iunij Fastos auxit: Interest cum Doctore Seraphico: quod *Famosa est Maria propter virtutes, & exempla sua tam laudabilia, famosior autem propter misericordias & beneficia sua tam inenarrabilia: famosissima verò propter gratias, & privilegia sua tam mirabilia.*

20. MAgnifici D. Iacobi Sczawinski, Palatini Brestensis, Capitanei Lenczycensis, Nobilis Marita Sophia Sokołovska, fœcunda funerum Mater, succedentibus sibi annis, tres proles ediderat. *Franciscum, Barbaram & Vladislaum,* sed inauspicatum illis affulsisse horoscopum, quis negabit, dum vix natæ, caduco morbo correptæ perimebantur? Quartum enixa fætum insignivit *Casimiri* nomine; quem vix natum idem furor, veluti jam patientiæ maturum labefactabat. Infelicem mortis horam, quæ imminebat indubiè, prævenerunt vota ad Divam Claromontanam, cum Visitationis ejusdē proposito, quo facto, nō tantùm placata, at sublata, penitùs malignitas, liberum mortis periculo reliquit. In Actorum tabulas relatum à Parentibus, dum gratiæ redderentur, cum majori Anathemate Anno 1626.

21. PAr beneficium à Diva nostra habet in trienni Ioanne G. D. *Ioannes Biernácki* è Palatinatu Siradiensi. Parvus homo, herculei morbi tyrannidi ferendæ impar, inter Parentum manus violenter exagitabatur, cùm nihil prosunt omnia, sola Maria medetur, ad cujus Imaginem, ut Filium despondent, tormento illo absolutū læti aspiciunt: Patronam votivis muneribus honorarunt, gratiæ sibi Filioq; præstitæ præcones, Anno 1627. 9. Iunij.

22. SImile seculum præcedens habet gratiæ Marianæ monumentum. Nob: D. *Olszámowski* Filius, qui infans necdum se vixisse noverat, vitæ calamitates graviores tulit, morbis confectus, successit in parvum corpus morbus major, qui pusionem, seu in strato, seu in Parentum gremio foveretur, correptum collidebat. Divā Claromontanam appellant votis, & Filium, qui quovis die octennis vicibus corripiebatur sanum recipiunt. Relatum in Actis Anno D.

1698.

1598. 5. Iunij. Inexsiccabilis est Pietas MARIÆ, à qua animæ & corporis medicina provenit. Audi D. Bernardinum Senensem Tom: 3. cap, 5. *Tota Trinitas hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse Electorum omnium Genitricem piam, inexsiccabilis pietatis.*

23. ANna *Káthłowná* de *Wągrowiec*, annis quindecim, *Barbara* de *Myślenice*, annis septem. *Iacobus Gnaćik*, ex Oppido Krośniewice Hortulanus mensibus quatuor. *Matthias Pieczonká*, nonnunquam per horam senis vicibus, comitiali morbo, qui nullum capiebat ab artibus humanis remedium, prosternebantur. Desperatis, spes una fuit MARIA recuperandæ sanitatis, ad cujus Claromontanam Imaginem, dum vota maturant; tormentis absoluti letalibus, integra sensuum viriumque facultate potiuntur, providet necessitatibus supplicum MARIA, vigili oculo, quas prævidet; unde non immerito D. Amedeus Homil. 8. de laudib: B. V. M fatetur. *Sancta animalia de quibus in Ezechiele legitur, quòd ante & retro, intus & foris; atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum & dolores, casus, defectus, cæcitates, invaletudines, extrema pericula incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis non æquè, ut Dei Genitrix, valent examinare, examinando cœlesti auxilio diluere & propulsare. Quò enim sublimius immensi Regis Cor aspicit, eò profundius Divina gratia pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere novit MARIA.* D. Amedeus Homil: 8. de Laudib. B. V. M.

CAPUT V.

Calculi dolores lenit, curátque MARIA.

24. QVemadmodum in amoribus MARIÆ, ita & hic locum principem meruit, Magnus barbaricæ feritatis Domitor, Summi Pontificis VRBANI VIII oraculo laudatus, amoribus cultus Vladislaus IV. sub Anni Millesimi, Sexcentesimi, quadragesimi quarti decursum immedicabilibus calculi doloribus labefactatus Varsaviæ decubuit; collapsis Medicorum spebus, ad Divam Claromontanam cum votis recurrit. Potitus cupita valetudine, Sospitæ Mariæ gratitudinem testatus est, in aurea centum aureorū lamina, cuius inscriptionem ex consilio ad Partit: duodecimæ Caput secundum repono.

Quadriennio post, scilicet Anno 1648. redijt solito gravior infirmitas, iterum calculi doloribus, qui medicam facultatem excedebant, torquetur, medicis desperantibus, propius lectulo admoveri

jubet.

jubet Odigitriæ Imaginis Imaginem, in qua Præsentem Divam sic compellavit. *Quandoquidem isti rudissimi homines non possunt meæ consulere sanitati, Tibi Patrona mea singularis, cuius tot beneficia in diversis sum expertus casibus, humillimè supplico, Tu digneris pro Tua solita Clementia vitam meam langventem ac deficientem mihi restaurare.* Non frustravit Spem Religiosissimi Principis MARIA, summa orbis nostri lætitia, incolumem sedatâ contumacium dolorum acerbitate restituit. Testem gratiæ solito majorem argenteam bracteam fieri curavit, & per intimum è suis Cubicularijs Magnif: D. *Stanislaum Skorzewski* ad Aram Claromontanam festinato itinere, ne diu votorum reus teneretur præmisit: Credo quidem omine meliori Poloniæ Regina MARIA, quam olim Balthasaro Regi nostro vitam precata Daniel: 5. *Cùm enim Optimates ejus turbabantur, Regina autem pro re quæ acciderat Regi & Optimatibus ejus domum ingressa est, & proloquens ait: Rex in æternum vive, non te conturbent cogitationes tuæ, nec facies tua immutetur.*

Daniel: 5.

25. ET Illustrissimus ac Reverendissimus D. Casimirus Florianus Dux in Klevvan Czartoryski, Archiepisc: Gnesnensis Legatus Natus &c: propitium in simili tormento Numen Divæ nostræ expertus est, quod ut palam faceret vota solvens in Claro monte, gratiæ testimonium R. P. Matthiæ Orzevvski Societat: IESV Confessarij manu conscriptum reliquit, quod quia prolixius est; non nihil suis locis in leges brevitatis contractum dabo.

Anno reparatæ salutis nostræ Septuagesimo 1. supra Millesimum Sexcentesimum, Illustrissimus Princeps ac Reverendissimus D. Casimirus Florianus Dux in Klewan Czártoryski, Episc: Vladislaviensis & Pomeraniæ, Varsaviæ 3. Maij, periculosissimo calculi dolore correptus tolleravit septem diebus acutissimos cruciatus. Dum pararetur è calida balneum, leniendi mali huius remedium, Divinæ Parentis opportunissimo, ita reor, instinctu, Gener: D. Stephanus Kozerski, tum ab obsequijs Illustrissimi Principis, habuit vnculam sui in Deiparam Virginem, juxta Claromontanæ prototypum effigiatam cultus tesseram, quam è collo pendulam gestabat, eam Illustrissimi Principis superingruens malum solliciti obtutibus proposuit. Fiduciæ plenissimum abolendæ huius infirmitatis concepit effectum, rogavitque eos, qui præsentes aderant, videlicet R. P. Orzewski Societ: IESV, Magnif:

Magnif: ac G. D. Gregorium Lesiewski *Venatorem adhuc Ravensem & Aulæ Præfectum, ac prædictum* Stephanum Kozerski (*quia præ imminenti cruciatu, ipse Princeps vix aliquantulum adgeniculari valuit*) *ut è genibus recitarent Litanias Lauretanas, juxta, ac concipiunt Illustrissimi Principis Nomine, votum visitandi, ubi convaluerit à morbo, innumeris Claram in Monte Claro miraculis, Divinæ Parentis Imaginem, vix orandi finis impositus & vovendi, ecce somnum sese occupantem prætendit Princeps, cui morem gerens quievit: Impleto salutari somno, expergefactus, se omni penitus dolore levatum ostendit, &c. &c.*

Nec amplius à quindecimo Mense ad præsentem malum hoc recruduit, quoties enim ex prævijs quibusdam dispositionibus, dolorem redire suspicaretur, toties ad Divinum hoc Amuletum (Virginem Deiparam loquor) certus bonæ spei confugere solitus est, cujus beneficij gratissimus Princeps memor, quotannis, solvendi voti gratiâ, Beatissimam Virginem Claromontanam, quæ *Salus Infirmorum* ab Ecclesia dicitur, quoad superstes futurus & incolumis, invisere constituit ex Anno 1673. die Mensis.

Quoties autem revisit Montem Clarum Illustrissimus Princeps è longinquo pedester procedebat, propensissimæ erga Divã Nostram Religionis imprimens vestigia. Laudavimus cum Divo Casimiro Principe pro Archi Præsule Casimiro Divam, accinentes,

Rythmi D. Casim: Princi: Polon:

Benedicta, per quam victa
Mortis est versutia:
Destitutis spe salutis,
Datur indulgentia.

26. NOb: *Annæ Grabowska* Filius, doloribus acutissimis cruciatus, quid pateretur loqui non potuit. Vitam & medendi curam ancipitem fecit ignota immeriti in innocenti puello supplicij natura. Exploravêre tandem medici calculum esse, cujus cruciatûs nec tollere nec lenire potuerunt. Invisunt Patres Societatis IESV mærentem cum dolente Filio Matrem, svadent ut luctantem cum doloribus & prope succumbentem parvulum, Atletam patientiæ, Divæ Claromontanæ despondeat, ad Aram ejus sistere supplicem promittendo. Ab humanis auxilijs transtulit animum ad salutare con-

filium religiosa mulier, votis offert filium, & magno miraculo, placatis sublatisq; doloribus absolutum recipit. Legitimè cognitum notatumq; Anno 1612.

Optima Matrum, Filiorumq; Mater MARIA, Reparatrix est omnium. Non ambigimus. nam ex Divo Anselmo novimus. *Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine MARIA reficere, Deus igitur Pater est rerum creatarum, & MARIA Mater rerum recreatarum. DEUS est Pater constitutionis omnium. DEUS enim genuit illum, per quem omnia sunt facta; & MARIA peperit illum, per quem cuncta sunt salvata; DEUS genuit illum, sine quo nihil penitus est: & MARIA peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O verè Dominus tecum, cui dedit, ut omnis natura tantum deberet secum.*

D. Ansel: in Orat: ad B. V. M.

CAPUT VI.

Plicâ, Gozdziec vulgò, spasmo, seu membrorum contractione divexatos sanat, restauratq; MARIA.

27 AD aliud morbi genus, in Septemtrionalibus oris, ut frequentissimum, ita perniciosissimum digredior. Alijs quidem gentibus nec ipso notum nomine, Sarmaticis plagis infensissimum: cùm genuinum nomen non habeat, ab effectu Plica dicitur, quod ità complicet pilos capitis, ut nulla arte ad pristinam legem redigi valeant. Morbus est ex acerrimis & mordacissimis humoribus natus, nonnunquàm per seminalem propagationem in Nepotes contagem trahit, nonnunquàm incantationibus magicis inducitur, compertum est hac tempestate Leopoli, Cracoviæ, Posnaniæ, eandem pestem in varijs liquoribus, Christianis apud Iudæos propinari. Diversæ naturæ cognoscitur, potuum ciborumq; delectu gaudet, alio placatur, proritatur alio; letalia secum trahit symptomata, maciem, deliquia, membrorum contractionem, naturali modo vix leniri, non tolli penitus potest; solus ludit facultatem medicam, mitiùs agit cùm pilos complicare cœperit, quos si quando oneris impatienti præscindere contigerit, nonnunquam vitæ spes amputatur. Et hæc per anticipationem, ut è natura morbi immedicabilis, Miraculi, gloriæq; MARIÆ claritas magis effulgeat: illustre hic exemplum dedi Partit 3. cap. 2. Num. 7. Nunc ad alia.

28. G. D.

28 G. D. *Ioannes Chedsinski* Districtûs Ciechanovien: hac perniciosa peste affectus, macie tabeq; conficiebatur. Exedit & corpus mordax malum, ut vulneribus scateret: unde, cùm vita illa misera venisset in fastidium, à morte remedium petebatur. Optimum fuit quærendæ sanitatis exordium, medicinarum contemptio, humanorum consiliorum neglectus. Labefactatis spebus, ad Montem Clarum, veluti *Bonæ Spei* Promontorium, vota tulit; adfuit implorata MARIA, quæ ab ultimo vitæ termino intereuntem reduxit, persanavit. pestilens virus extinxit, novis viribus imbuit. Gratus Cliens, anathemate argenteo beneficium testatus, in Analecta gratiarum memoriam miraculosæ sanitatis dedit, Anno 1647. 19. Octob: Canendum est de MARIA cum Anonymo:

Hæc est stella Maris, vitæ Via, Porta salutis
Regula Iustitiæ, Limes, Pietatis Origo
Virtutis veniæ Mater, Thalamusq;,
Hortus conclusus, Fons consignatus, Oliva
Fructificans, Cedrus redolens, Paradisus amœnus.

B. Alanus

29 VIrtutum & literarum Studiosus *Albertus Zatorius* de *Zator* in Sendomiriensi Collegio Soc: IESV humanioribus disciplinis navabat operam, imbecilla semper valetudine, quam hereditarius morbus Gozdziec attenuabat. A spe melioris vitæ deiecit, tenuitq; duas hebdomadas in lectulo implacabile malum, sævijt & in animũ, quem confuso rationis usu, suum esse non permisit. Visitarunt memorati Collegij Patres ægrum, sed ubi desperatus nullum capit remedium. R. P. *Gorski* Societatis IESV, Majoris Studiosorum Congregationis pro tunc Præses, ad Aram vitæ D. Claromontanam vota pro ægro sodali nuncupat. Efficaciæ quantæ fuerint religiosa desideria, docuit felix eventus, moribundus enim veluti rore vivifico perfusus, vires exsuctûmq; corpus collegit, suiq; compos, quanta sibi fecisset MARIA, testimonio Collegij Sendomiriensis confirmat præsens. In Fastos adnotatum. Anno 1624.

30 INcredibile est, quot vindicati ope Divæ Claromontanæ ab hoc tormento, suam in acceptis huic loco referunt sanitatem. Privata publicaq; notitiâ constat propè innumeros esse. Huc Senatorum Procerumq; permulti (ut reliquos status inferiores prætercam) votivam peregrinationem obeundo, graviorem contorti capillitij sarcinam deportant, & hoc loco abscissam (cùm alias absq; proximo

 vitæ

vitæ periculo deponi nequeat) relinquentes, omnem dolorem vitiúq; adeo letiferum extinctum, amputatumq; experiuntur. Et hoc maximè probat effusas in nos miserationes MARIÆ, quia ut ait Bernardinus de Busti Parte 4. Serm: 3. Marialis: *Maximum effectum nobis Misericordiæ impendit, quia nobis miseris captivis, & mendicis dedit Filium suum DEVM, captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipso dedit nobis Regnum Cœlorum, & omne bonum.*

Ber: de Busti p. 4. Serm 3

31 PEregrè veniunt ad Montem Clarum, veluti ad Natales Cunas prodigia. M D. *Stephanus* Prætor Vngariæ, incurabili spasmo seu nervorum convulsione per dies triginta conficiebatur, nec nisi modico potu per illud tempus vitam sustentabat. Desperantibus & obseqvium negantibus incurabili malo Medicis, spes amicorum alebat D. Claromontana, ad eam vota peregrinationis feruntur & vitæ melioris jam morienti gratia prodigiosè redonatur. Anno 1540. Egregiè omnino D. Bonaven: in stimulo amoris §. 3 Cap: 19. *Regina est Misericordiæ, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, sic infirmus, cui non impetret misericordiam salutarem, si ad suum declinaverit regimen.*

D. Bonav: in stim: Amor. §. 3. Cap: 19

32 ANno Domini 1594. Species quædam concussionis latè grassata per Poloniæ ditiones multos sternebat. Invasit quoq; Domum G D. *Ioannis Kuczkowski*, quem, postquam deiecit ad diutinum decubitum, in Conjugem, filios, & familiam desæviens, æquali omnes domesticos supplicio conficiebat. Accessit ad calamitatis cumulum, in ea forte, mutuorum obsequiorum defectus. Mors in propinquo dum vitam lacessit, votis & precibus ad D. Claromontanam recurrunt, & ab ea Cœleste reportant antidotum, quo persanati vota supplices solvunt, Anno quo supra. Plurima consulto præterеo tenax propositi, quod brevitatis commonefacit. Si præcedenti sæculo & hac ætate nostra Clientes suos, novis suæ gratiæ stigmatibus illustrat, persvadendum nobis est, imo (ut ait D. Amedeus Homil: 8. de Laudibus B.V.M.) *Sciendum certissimè quod creberrima miracula, innumera beneficia, spirituales visiones, Cœlestes revelationes, sublimes consolationes Almæ Parentis Domini Orbi terrarum assiduè coruscabunt, donec finem mundus iste senescens inveniat, inclarescente Regno, cujus non est finis.*

D. Amed: Homil: 8 de Lau B.V.M.

ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS.

SEV

HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO IX.

Periculosè parturientibus, infecundis, sontibus, ac insontibus ad supplicia damnatis, Hæreticis, Schismaticis, Arrianis, Machometanis hinc vocata, patrocinatur

MARIA.

Hic Lucet.

Secundùm D. Bernardum Sermone, Signum Magnum &c.

OMNIBVS EXORABILIS MARIA.



SAtis subiecta docebunt exempla MARIAM omnibus propitiam, *omnibus exorabilem.* Divinè D Bernardus Serm: signum magn: effusam ejus in omnes liberalitatem, in dispensatione gratiarum proponit sub Solis symbolo: *Ea est, quæ, velut alterum solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoq; præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium deniq; necessitates amplissimo quodam miseretur affectu.* Quomodo & in illos qui Clientum nomine censentur, & in eos, qui non populus ejus, dispenset gratiam, vide-

CA-

CAPVT I.

In partu gravi periclitantes, salvat MARIA.

1. COmmentum est Pöëtarum, Hecaten parturientibus opem ferre, si ter invocetur, unde Seneca lib 3. Carm:

Montium Custos, nemorumq; Virgo
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisq; letho,
Diva Triformis.

In hujus vicem subijtLucina Cœlestis MARIA, parturientibus admodum propitia; sensit *Marianna* G D. *Gabrielis Tagoborski* Nobilis Marita, naturali tormento dilacerata, horis quinq; virium impos & sensuum, remedij incapax & solatij, vitâ periclitabatur. Insinuavit dolenti Conjugi R P. *Laurentius Presbyter*, qui fortè moribundæ commendaturus animam adfuerat, ex Claro Monte opem implorandam MARIÆ. Placuit consilium, uterq; enim, dum fit supplex Virgini Tutanæ, vitam Matri & proli impetrat. In Album gratiarum ab utroqȝ Conjugum cum gratiarum actione solenni illatum Anno 1627. 3 Iunij. Non absq; causa scripsit olim D. Martyr Ignatius ad Ioannem Apostolum: *MARIA miseris & afflictis condolet coafflicta, & subvenire non pigrescit & apud fideles omnium operum pietatis est ministra.* D. Ignat: Martyr.

2. IN hoc Matris antiquæ supplicio N. *Christina Olsinska* G. D. *Sadowski* Conjunx Anno 1623 octo diebus continuis dolendo parturiebat, & parturiendo mortem inter Vitamq; media dolebat. Item Nob: Matrona *Catharina* de *Bieniewice Zaborowska* diebus quatuor cum doloribus in periculosissimo partu luctata Anno 1646. In eodem termino posita *Elizabeth Tarlovia* Castellani Præmyslensis Conjunx pientissima Anno 1660. antequam filium (cui postea *Nicolaus* nomen) eniteretur, fracta viribus, deliquio prolixiori prostrata, stagnâte in vultu fronteq; mortuali sudore, laborabat. Vna omnibus Lucina MARIA Conjugum cognatorumq;, votis, cum peregrinationis proposito ad ejus Częstochoviensem Basilicam, appellata, sese propitiam exhibuit, Matribus & prolibus vitam summo discrimine periclitatam reparavit, solatijs subsequentibus angores compensando. Dedit itaq; supremum Numen MARIAM Matrem suam, ut primæ Parentis in Matres miseras maladictionem, in benedictionem commutaret Evæ filia, quæ Evæ ærumnas non sensit, à væ liberata. Attende

de causam apud Sedulium Lib: 2. Paschat: de Miraculis Christi initio, quod ideo omnibus data.

---- ---- ---- ---- Ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem,
Et velut è spinis mollis Rosa surgit acutis
Nil quod lædat habens, Matremq; obscurat honore:
Sic Eva de stirpe sacrâ veniente MARIA
Virginis antiquæ facinus, nova Virgo piaret.

3. QVam fertile sit beneficiorum MARIÆ, & Miraculorum hoc seculum, probat inclyta *Ligeziorum* Domus in *Theophila Zawidzka* partus inauspicati laboribus: Novemdiale tormentum virium, & sensuum usum ademit. Ad miraculum tolerantia, cætera ad desperationem. Et jam frequens aderat Nobilitas, ut ingredientem, uti videbatur, communem mortalibus æternitatis viam, ultimis comprecationibus prosequeretur, è cujus medio Matrona quædam propius ad feralem spondam accedens, surdis auribus inclamat; Divam Claromontanam, illi se devoveat, persvadet, vel saltem suspirio opem ejus imploret. Vices *Theophilæ* circumstantes vicini gesserunt, à sospita MARIA vitam moribundæ precati, ad cujus Claromontanam Basilicam sistere ægram despondent. Rem audi memorabilem, concutitur vehementius, quæ viribus destituta decubuit; portentum parit, & miraculum: parit an eijcit? vtcunq; est, parit tamen vivens mortem, embrionem jam fœtidum & verminantem. Exonerata hac peste melius habere cæpit, erudita de miraculi dono, rata habet, quæ ore aliorum promebantur proposita, impensius deinceps Divam Claromontanam colendo.

4. ANno eodem vitium quoddâ latus ejus occupavit, affixamq; lectulo Viginti hebdomadas tenuit. Cùm solidiorem cibum respueret, ægrè modica sorbitione decem hebdomadis vitam fovebat. Frustrata spebus, quæ per subsidia facultatis medicæ quærebantur, ne desperaret, pristini beneficij à Diva Nostra reportati, fecit recordatio. Ad Montem Clarum cum supplicibus votis properat, unde novo derivato vigore, sensit placari dolorem, quo absoluta surrexit incolumis.

5. ANno sequenti iterum replicatur in partu periculum. Æqua & ini-

iniqua parientis & pereuntis conditio fuit, ita in cruciatu immenso cognata sibi erant & confinia, perire & parturire. Ad solita cum MARIA pacta recurrit, spondet Lucinæ suæ MARIÆ in Imagine Odigitria admirabili homagium. Placet Virgini quamvis urgentibus periculis ab extremis recursus. Parit filiam, mortis Imaginem, talem fuisse oculis subiecta res ostendit. Sumitur tamen experimentum, & vel mortificatam vel penitus mortuam comperiunt. Pigebat Matrem, dici, prole mortua. Ad Divam Claromontanam, vitæ mortisq; Dominam fit recursus cum lacrymis, miraculum nascitur ex miraculo, animatur filia vivitq;. Recognitum & in Miraculorum Libro notatum Anno 1668. 28. Octobr: Quàm benignum experta Cœlum *Theophila*, quam gratitudo fecit *Mariophilam*, quam clementem horoscopum, sideris nostri filia. Cœlum est MARIA, ex quo hæc proveniunt. Audi Cyprianum in quodam sermone qui sic ait: *Lego & intelligo quod* MARIA *Virgo est quidam Mundus intelligibilis, & admirabilis, cujus Terra, est soliditas humilitatis; cujus Mare, latitudo charitatis; cujus Cœli, altitudo conversationis & contemplationis; cujus Sol, splendor intelligentiæ; cujus Luna, decor munditiæ; cujus Lucifer, fulgor sanctitatis; cujus Arcturus, gratia septiformis; cujus Sidera alia, virtutum ornamenta pulcherrima*, D. Cyprian:

6. AD fastidium legentium esset similium gratiarum pluralitas si omnia hic scriberentur. Pauca hæc è plurimis satis esse legentium desiderio arbitratus, adhuc urbanas refero Matres, quibus se se urbanissimam exhibuit MARIA. *Dorothea Kędzierzyna* Pharmacopolæ Lovicensis Conjux in Partûs difficultate diem & noctem integram mirè torquebatur, Letalia erant deliquia, majora quàm ut ab arte lenimentum acciperent. Votis implorata è Clari Montis delubro, adfuit MARIA sinum feliciter solvit, salva Matre & Filio, cui Ioannes nomen, læto conjuge, qui gratitudinis anathema, argento expressam beneficij memoriam testatus est Anno 1623. 2. Iulij.

7. A Vetustate habet authoritatem & veritatem quod sequitur. Anno 1596. in *Civitate Sadek Blasij* cujusdam Civis Conjux tribus diebus & noctibus continuo labore doloreq; cum partu luctata, inter exules ab orbe vitaq;, omnium judicio putabatur. Devotus Conjux posthabitis humanis remedijs, vota ad Divam Claromontanam properat, uberrimum fiduciæ proventum illicò recepit prolis Maritæq; salutem, cum qua præsens ad Aram gratiam recognovit Anno quo supra. Hæc, è quam plurimis, perpauca, ut dixi, quod

quod gratæ Clientes loquuntur, hoc & ego cum D. Augustino Serm: 15. de Tempore repeto. *Facta est MARIA restauratio fœminarum, quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Maledicta Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse Proijcite Virgines dolores, quos Eva per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores assumite, venite virgines ad Virginem, parientes ad Parientem, matres ad Matrem, lactantes ad Lactantem. Ideò omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro suscepit, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subveniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium nova Eva servando Virginitatem, sicut omne genus Virorum recuperat Dominus IESVS CHRISTVS.* D. Augustin Serm 15 de Tempore.

CAPUT II.

Cum fecunditatis munere, gratiæ post partum Matribus præstitæ.

8. RESTAURATRIX *Evæ* MARIA, ità Sergio Hierosolymitano Sermone de B. V. M. appellata, sterilem naturam fœminarum ad fecunditatem restaurat. Magnif: D. Vexilliferi Kijovien: Marita Nobilis *Sylvestra Ielcowa* in fecunditate sibi visa sterilis, quando editis favente Lucina in lucem aliquot filiabus ad summam fecunditatis filium desiderabat. Laboratum est consilijs & auxilijs naturam juvando, sed frustra. Venit ad Aram Divæ Odigitriæ ipsa Mater, supplex prostrata sua suiq; Mariti desideria promit, pro impetrando filio munus deponit, domum læta, veluti si diploma obtinendæ gratiæ accepisset à MARIA, regreditur, emenso temporis cursu, feliciter nec difficile in lucem fundit filium: quamobrem repetito ad Montem Clarum itinere uterq; Conjugum gratias referunt, beneficij memoriam, tum in argentea tabula, tum in fastis relinquentes, Anno D. 1645. 4 Septembris. Sergius Hierosolymit.

Andreæ quoque *Mastiejowicz* Conjux *Agnes* nomine, solatijs tori socialis in fructu matrimonij fraudata, arte naturam corrigendo desiderat, sperat, exoptat, expectat prolem. Fefellit expectationes & vota sterilitas; ad MARIAM fert preces, ad Clari Montis limina peregrinationem decernens, votoq; de prole cum Diva paciscitur. Quo fructu? certè quem merebatur Matronæ laudabilis pietas & fiducia, partu auspicato, vertente tempore, gignit filium, cum quo ad Aram

 præsens

præsens vota solvit, vitæ filij cursum Divæ patrocinio commendans; Anno 1610. 25. Septembr. Auferet & à nobis sterilitatem & fecunditatis munus tribuet ad virtutum propagationem, dum sincera devotione cum D. Bonavent: in Psalter: B. V. implorabitur: *Misericordia illius nostrorum auferat multitudinem peccatorum, & fecunditatem nobis conferat meritorum.*

D. Bonaventura in Psal. teri B. V.

9. ALij sterilitatem in sua fecunditate queruntur. *Agnes Korytkowa* Succameraria Præmyslensis, duos filios totidemq; filias Lucina propitiâ edidit, sed cognoverunt Parentes quàm breves sint, & quam in lubrico mortalis vitæ gradiatur, desperatæ in pignoribus spes, cùm unaquæque nondum attingens unius anni terminum, præmaturo funere è vivis rapiebatur. Quintam sobolem gravi fert vtero, nec dum capacē vulneris, idoneam tamen capessendi remedij. Tempus adest, facili sinu gignit filium, Pauli deinde nomine insignitum, sed veluti morti immaturæ natum, spem inter metumq; medij Parentes & dolent & amant; non enim stabile certò fuit illud in prole solatium, hoc verebantur, ne ijsdem vestigiis fratres sororesq; secutus, luctu Parentes funestaret. Ad Montem Clarum profecti; apud *Matrem Viventium MARIAM* longævitatem filio deprecantur, licitanturq; muneribus. Discedunt, vitæ longioris sumptis auspicijs. Fecit voluntatem amantium se Maria, vitam felicem sub suo patrocinio proli tribuendo. A misericordia Mariæ proficiscuntur solamina nostræ miseriæ, audi Richardum à S. Laurent lib: 4. de Laud: B. V. M. *Tanta est MARIÆ Misericordia quod ab ea nullus repellitur, nullus excluditur, nullus qui ei serviat oblivioni traditur, omnes quantum in se est colligit, omnes ad se confugientes receptat & recipit, nulli deest, nisi qui ei fortè defuerit.*

Richardus à S. Laurent Lib. 4.

10. NObilis *Regina Charzewska*, post diuturna prægnantium tædia & fastidia, prolem enixa, confudit lætum natalem desiderati heredis, langvore immedicabili confecta, in quo, si non mortua, certè mortuæ simillima horæ integræ spatio viribus & sensibus destituta, absque nutu, motu, spiritu, veluti vivorum expuncta numero, inter lacrymas familiarium jacuit. Advocatus Sacerdos loci Præses & Pastor ordinarius, qui ad æternitatis iter expeditam suffragiis comitaretur. Sumpsit ille auctoramentis fiduciæ in gratia Divæ Claromontanæ collocatæ curam relevandi corporis, sistere ad eius Aram in Claro Monte moribundam si vixerit promittit, vota

vota domesticorum subsequuntur, quibus ferre solatium non distulit Maria, prorsus extemporaneo miraculo labentem vitam redonando. Recognitum legitimè fastos Mariæ auxit, testatum authoritate memorati Sacerdotis, Anno 1643. 27. Maij,

11. COnsimile est beneficium in *Hedvige Nieradzka*, Nobilis D. *Ioannis Nieradzki* de Rozniatowice Districtûs Petricovien: hoc dedit in authographo, scilicet Conjugē suam post partū filij, cui *Alberti* nomen est, incognitis & prorsus desperatis morbis confectā, & letalibus paroxysmis, ut primùm cum votivo munere ad Clarum Montem sistere decrevit, plena valetudine donatā recepit. Solvebantur vota Anno 1671. 9 Iunii. Meritò vos, ô Marianæ Clientes miraculorum gloriâ, sublimat Mater Dei: quarum sexum, ad complendum incarnationis Sacramentum, DEVS prærordinavit in MARIA. Hinc meritò fatetur D. Hugo Lincolnien: Episcopus è Carthusiana Familia apud Surium, vitæ suæ cap: 13. *Satis à fæmineo sexu DEVS diligi promeruit, cùm nasci de fæmina dignatus est, nam cum Viro concessū non sit, ut sit Pater Dei, hoc tamen præstitum est fæminæ, ut sit Parens DEI.*

12. MAjus est humano præconio miraculum, cui Civitas literarum & pietatis cunabulis celebris, *Calissium*, testimonium dabit. Hîc, *Alberti* Civis honesti conjux, muliebri dicacitate Mariti furorem lacessivit, qui pro verbis daturus verbera, iræ præcipitis arma familiaria, obvium cantarum arripiens, pœnitendo casu, partui proximam in latus petivit. Collapsam, subitò morbus Herculeus (Caducum dicimus) crebris collisionibus fatigavit. Vno casu, bina parantur funera, Mater & proles prius periclitari gnara, aptaquè mori quàm vivere. Convolat vicina multitudo, nec sub sole videt remedium Matri cum prole morienti. Itaque Sacerdotem advocant ad curam animæ, qui postquam suo functus est munere, ad corporis quoque curam vertit consilium, Divæ Claromontanæ, cum Marito, vicinisq; moribundam commendat, voto peregrinationis apud Mariam, vitam pereunti licitando. Qui contra judicia spemque omnium, conatus homine majores assumpsit, ad vitæ reparationem, miraculum voluit; & habuit quidem. Nam vix medium horæ spatium transivit, rediit ad se mulier, tota integrè sana, Proli adhuc metuebant, collisionibus morbi majoris aut læsæ aut præfocatæ, sustulit formidinem subiectum oculis miraculum, cum absque sensu doloris proles in miraculo, miraculum in prole nasci.

Ee 2 tur vi-

tur vivitque. Cognovit, magnificavit, testatumq; fecit cum Religioso Mysta, qui voto revocandæ vitæ auspex fuit, Civitas tota prodigium Anno 1640. 5. Maij. In publicas miraculorum tabulas relatum. Non segnis est ad succurrendum MARIA, quia ut inquit D. Amedeus Homil. 8. de Lau: B. V. M. *MARIA motu celerrimo senas Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fr.itur amore Deitatis, nunc terras signis & virtutibus illustrans, vbique suis ut Mater jucundissima & mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ suâ subactis vitijs reddit victores, quosdã magnarum virtutum pio interventu facit compotes: quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, alijs in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla deterreat virtus aduersarij, quibus ducatum præstat ad Christũ Mater Vnigeniti* DEI.

D. Amedeus Homil. 8.

13. DVo Oppida illustria producunt Divæ nostræ trophæa *Chęcinÿ* & *Bochnia* illud marmore, hoc salisfodinis celebre. Andreæ Pieczarka Civis Chęcinen. Vxor post funestum in letalib⁹ doloribus partum, integrâ Quadragesimâ ægra, doloribus, febribus, langvoribus confecta decubuit. Dies aderat, ante Festum Triumphale VITÆ RESURGENTIS, Salvatoris nostri, Sabbatum Sanctũ, quo mulier absque officio sensuum motuque visa est cum prole animam exhalare. Maritalis affectûs impulsu, plurima tentavit refovẽdæ vitæ media Andreas, quæ dum magis officiunt quàm proficiunt, ad Divæ Claromontanæ patrocinium recurrit. Adfuit MARIA, multiplicique calamitate confectam novo vigore animi & corporis imbuit, in tantumque roboravit, ut vix elapso octo dierum spatio, præsens ad Aram Virginis sisteretur cum prole Anno 1644. dato Contributium testimonio gratiæ.

14. MArgarita Civis Bochnensis cognomento *Borutá* Consors ad immaturum præcocemque partum decubuit. Dolor erat, labor erat, lucta cum morte erat, quæ vitam in desperationẽ præcipitabat. Proles mortua vterum dilaniavit; finem partus accepit, cùm fœtum fœtentem exanimem ejecit; novus morborum exercitus Matrem invasit, truculentior inter hos erat vis morbi majoris, seu Caduci implacabilis, qui diebus & noctibus concutiebat mulierem. Sibi nonnihil reddita, mori vult & non potest, & hoc ad cumulum miseriarum accessit, mori voluisse, nec potuisse, ut simul vivendi & patiendi finis fieret. Altiori consilio Maritus cognatique erecti, ad fastigiũ fiduciæ prospectant ad Divæ Claromontanæ Templa, huc ægram sistere spondent. Facilior ad subveniendum MARIA quàm

RIA, quàm ad auxilium implorandum quærula miserorum calamitas; illud animosæ fiduciæ meritum compensavit Patrona, vitæ beneficio, quod prorsus admirabile ad impensiorem cultum Bochnenses fœderavit, qui testati gratiam in annua excursione RR. PP. Ordinis Prædicatorum authoritate firmarunt Anno D. 16 3. 14. Maij. Merentur damnari ad deformem pœnam Prætidum, ob Iunonem spretam, in vaccarum formas transeuntium, quæ gratiam expertæ, non colunt, aut implorare in miseriis negligunt, Dispensatricem gratiarum MARIAM. Quæ ut ait Arator in Acta Apostol.

Porta MARIA DEI Genitrix intacta Creantis,
A Nato formata suo, mala Criminis Evæ
Virgo secunda fugat. Nulla est iniuria sexûs,
Restituit quod prima tulit.

Arator in Act. Apl.

CAPVT III.

Innocentibus ad pœnas damnatis, patrocinatur MARIA.

15. TAles leges iniquitas habet ut oderit innocentiam, inquit S. Ambrosius Cap: 23. in Lucã. Hoc vidimus in *Lamberto* quodam in Polonia sub *Sigismundo Tertio* Poloniarũ Rege Augusto. Promovente Serenissima Regina *Anna* Augusta *Sigismundi* Regis Marita, ad ampliorem in Polonia dignitatem Capitaneatûs (Locum, nec alios titulos in Archivo legi) admotus cum Illustribus in Regno Viris censebatur. Qui diversis obsequiis præreptæ dignitatis decora, & Regios amores venabantur, tantùm sibi detrahi existimarũt, quantùm à munificentia Regis in illum favoris, liventibus oculis collatũ viderunt. Illa boni Viri quæ cæteris eminebat felicitas, illi apud Regias Majestates occupati favores, amoresq; nonnullorum impudentem invidiam inflammarunt, qui non modò honoribus exuere Lambertum, verùm & rectè factorum gloriam cõmentitis per summum nefas criminibus, infamare conabantur. En quàm in lubrico amores & honores Aulæ subsistunt! quàm fecunda malevolorum ad nocendum ingenia! quæritur, fingitur, suspicionibus adornatur facinus, quod apud Regem & odium, & Capitis sententiam mereretur. Defertur ad Regem ut desertor, & ad Maximilianũ Regni proditor, huius meditati criminis insimulatur, hoc solo nocens, eo ipso timendi consilij, quòd alienigena, quòd habitu, quòd moribus dis-

S. Ambrosi⁹ in Lucam Cap. 23.

par; demum ut Regiæ Majestatis læsæ reus, Regniq; proditor in carcerem detruditur. Tribus annis squalorem carceris, cæteraque incommoda tolerat, audit ad infamem exitum cudi consilia, omniũ auxilio destitutus, & consilio, à sola innocentis animi fiducia patrocinium quærendo, Divæ Tutelari Claromontanæ famæ, salutisquè negotium commendat. Repetitis precibus ad Innocentissimam Innocentum Patronam, habet & famæ & vitæ auxilium, nam revelatis adversariorũ fraudibus, innocens invctus absolvitur. Solùm hoc, quô reus tenebatur, votum exolvit ad Aram Virginis, Anno 1594. 8. Iulij. Mater est Veritatis & Iustitiæ quam diligit. Audi loquentem, & confide: Revelat: S. Brigittæ Lib: 4. Cap. 138. *Ego sum Mater totius Iustitiæ quæ est in mundo, quàm Iustitiam dilexit Filius meus dilectione perfectissima, & sicut Materna manus semper parata est ad opponendũ se periculis in cordũ filij sui defensionẽ, si aliquũ niteretur in sui læsionẽ, ita Ego sum parata jugiter justos, qui sunt in mũdo defendere, & de omni spirituali periculo liberare.* Salutanda est cum gratis clientibus MARIA verbis D. Ephrem Syrij.

Lib. 4. Revelat. S. Brigittæ c. 138

Ave nostra Consolatrix, quæ mærores sedasti, & oppressorum molestias lenijsti. Ave firma salus universorum Christianorum ad Te sincere recurrentium. Ave nostrum omnium protectrix insignis & gloria.

D. Ephrem: Syrius orat: de Laud: B. V. Mariæ.

16. SImon Alek Pannonius, innocẽter, ut postea cõstabat, damnatus ad tetrum carcerẽ gravia incõmoda tulit, sola innocentiæ conscientiâ solabatur, imminebat Capiti suppliciũ quod non tam dolebat, quàm ejus causam, è Patria ubi innocentiæ Tutamen non habuit, trans limites Patriæ transfuga Marianus, ad Clarum Montem supplex animo recurrit. Adest Numen Mariæ præsto, cujus auxilio conjectis in gravissimum soporem custodibus, aperiuntur carceres, solvuntur vincula, ipse demum elapsus, hic supplex gratiam recognoscit, Anno 1638. 16. Maij.

17. E Carcere ad carcerem sequor prodigia. Duo Fures (subticentur in Archivo nomina) in quodã hospitio, res pretiosiores, pecuniam, in argento supellectilem, sustulerunt. Res inventæ, dum fit inquisitio, fures suos non habent, qui maluerunt projectis rebus vitæ consulere, quàm aliquid tollendo certum suæ proditionis indicium præferre. Fortunâ supervenit ignarus rei *Plocensis Patritius Ioannes, Filius Matthiæ Suská* Civis Plocensis, apud derelictam prædam capitur, & ut autophorus ad publicum carcerem detruditur. Non tam pœna, quam pœnæ causa torquebat honestissimum Adolescentem.

scentem. Quapropter carceris tædia distrahens Orationibus Divam Claromontanam in vitæ suæ, ac innocentiæ patrocinium deposcebat votis, pacto ad Aram ejus Peregrinationis proposito. Adfuit confuditque errorem judicantium Patrona MARIA; occulto ejus Numine ferra, quæ circùm colla prægravem catenam fibulabat, disrumpitur, catenæ decidunt, solvuntur compedes, absolvunt quem priùs absolvit MARIA. Allatum, illatumquè Albo gratiarũ Mariæ beneficium, Anno 1628. 17. Iunij. His abundat exilium nostrum imposturis, quæ nec innocentiam prætereunt. Quid rei sperent, si innocentes plectuntur? Ades huc Patrona ô MARIA, appellamus tecũ Ildephonso Innocentiæ tuæ defensore Serm: in Purific: B. V. M. *Sentiant omnes Tuam Clementiam, quicunque invocant Tuum Nomen gloriosum, fit Tibi compassio super afflictionem captivorum, fit pius affectus super Cœlorum Peregrinos, & quia Te sine fine in Cœlis gaudentem atque latantem aspicis, quæsumus, ut preces nostras, quas Tibi cum fletibus fundimus, ad DEVM ipsa admittas, eumq; ut propitium Filium pro nobis interpelles, ut cum ille in fine sæculi Iudex advenerit, cum ipso & nos appareamus in gloria.*

Ildephonsus in Purificat. B. V. M.

18. IAm tertium sæculum currit, & tamen non antiquavit illustris miraculi gloriam, quod Annus supra Millesimum quadringentesimum trigesimus secundus vidit in Cive Rattiborensi: ab Hussitis domo abductus, fidei causâ in turcam actus, aliis altior eminebat. Vxor ignara mali de ejus tamẽ sollicita salute, sæpius eum Divæ Claromontanæ recõmendabat. Evenit, miles incognitus sub occasum Solis transibat, strictoq; mucrone funem præcidit. Cadit in terram, cui funis gulam fregerat, ac velut è somno expergefacta tergens lumina surgit, secureq; per medios hostes vadens mirabilẽ vitæ suæ, libertatisq; modum ruminãs, domum pervenit, ex ordine Conjugi omnia recensuit, illa vicissim proponit, quæ vota ad Montem Clarum pro eo nuncuparat, utrinq; collatis animis prodigio rem actam comperiunt. Vterq; vota solvens, Patrocinium prædicat Divæ meritis gratiæq; adscriptum, Anno 1431. Hinc infer quod secundùm D. Bonaventurã in Psalt: B. V. M. *Qui dignè coluerint illam justificabuntur, qui autem neglexerint illam, morientur in peccatis.*

D. Bonavent. in Psalter. B. V. M.

19. NOn solis Hæreticis innatum odium Innocentiæ: Et illorum coquit præcordia, qui admodum barbarè dominantur *Dorothea Struzelina* de Korobelice à Sochaczow, Criminis apud Dominum insimulata, in patibulo cum summa & sexûs & amicorum ignomi-

ignominia, cum gravi innocentiæ & veritatis præjudicio suffixa est. Tollendæ cum cadavere infami notæ, consulere cupientes amici, noctu locum pœnalem repetunt, scalas admovent, funem solvunt, & vivam fœminam in miraculo, miraculum in fœmina stupefacti inveniunt, reducta professa est, se in tutela Divæ Claromõtanæ servatam fuisse, cui sese devovebat. Recognitum testatumq; Anno D. 1552. En in arbitrio est Mariæ vita nostra, noli ergo nobis subtrahi ô lux dierum nostrorum. Nam (ut loquamur cum D. Germano Serm: de Zona B. V) *Si Tu nos deserueris quidnam de nobis fiet ô Sanctissima Deipara, spiritus, & vita Christianorum, quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctissimum Tuum Nomen Virgo Beatissima, quod in ore Servorum Tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij, non solùm est signum, sed ea etiam procurat & reconciliat.*

D. German: Sermone de Zona B. V.

20. NOn invenit apud mortales innocentiæ præsidium, invenit apud MARIAM Simon quidam Sartor opificio *Wschoviensis* Parochiæ: cuidam incautè bombardam gestatoriam porrigendo Nobilem trajecit. Imperito, & nisi acum tractare gnaro, nocuit obsequium. Tractus Petricoviam Iudiciorum Tribunalitiorum Sedem, ex criminis præsumptione ad mortem gladio feriendus damnatur. Mortis causam, vitæq; negotium, supplici voto, Divæ Claromontanæ commendat, ad cuius Aram hærens animo libertatem invenit; nam insperato, sic momenta rerum ordinante Maria, Nobilium aliquis vitæ redimendæ pretium numerat, redemptum supplicem, ad vota Divæ nostræ solvenda mittit. Anno 1639. Probet exemplo innocens, quam rectè à Menologio Græco dicatur: *Gaudium afflictorum MARIA.*

21. ET Leopolienses noverunt Divam nostram innocentibus patrocinari. Honestissimi Civis *Alberti Golab* Conjunx *Sophia* nomine, immerita odia contraxit (Personis, & odiorum causis hic loci parcitur) quæ id apud Credulum nimis Conjugem effecerunt, ut toto convictu, domoq; proscripta ad publicas pœnas deposceretur. Et quidem maluisset innocens animo heroico mortem excipere, quàm ita cum pudoris labefactati per contumeliam nota vivere: cùm crimini, nec vita fortunis quibusqu. stipata faveat, nec honorem innocentiæ indecora mors incestat. Soror à qua una solatium capiebat & consilium, suadet, ut expeditos Concives ad Claromontanã Peregrinationem secuta, innocentiæ Patrocinium deprecaretur apud Mariam. Obsecuta consilio, lacrymis ad Aram Divæ supplex vota exponit, multum super injuriis questa, concepta fiducia hoc loco, hilaris Leopolim regreditur: occurrit Conjunx, maritam excipit peramanter, injurias deprecatur, cõpensantur amicitiæ fœderibus firmatis offensæ. Tam admirandam animorum conjunctionem operâ Divæ Claromontanæ factam, uterque Conjugum agnoscit, annoquè sequenti uterq; præsens in Claro monte recognoscit 1614. Tui sumus & Tui esse volumus, qualescunq; sumus ô Patrona! Ideò ut in sua Deprecatione Lactimelleus Doctor Te appellat. *Ex omnibus finibus terræ ad Tuæ protectionis umbraculũ confugimus, à facie formidinis fortitudinis Dei, ad Te Domina mea stillant oculi nostri, Te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filij Tui Domini nostri iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges, ejusque gratiam, à qua ingrati excidimus, nobis Tua conciliet, ô MARIA!*

D. Bernard. in Deprecatione ad B. V. Mariam.

CAPVT IV.

Nocentes, ad pœnas damnatos, absolvit MARIA.

22. REorum Asylum est Ara MARIÆ. Hic est absolutus *Matthias Wycietkowski* ex Podlachia. Ob homicidium actus in carcerem publicum, pœnas daturus produci debebat; tactus pœnitudine vitæ prioris, amoreq; Dei, Genitricem votis, lacrymis, precibus in patrocinium inclinavit, ad cujus Aram Claromontanam, si liber evaderet, peregrinationem spopondit. Noctis partem in dolore, timore, tædioq; insumpsit, quod reliquum erat, somno tribuit. Adfuit præpotens Numen MARIÆ, recluduntur seræ, solvuntur nexus catenarum, decidunt vincula, & prius liber est, quàm se in libertatem assertum aut sciat, aut videat. Evocatur Magistratus ad prodigium, quod votis ad peregrinationem Claromontanam omniũ judicio adscriptũ est, nec ullus audet reũ aut dicere aut tenere, quem absolvit MARIA. Dimissus Libertus Mariæ, tanti prodigij gratias in sacro loco testesq; dedit, Anno 1607.

23. CRimina & Nomina subticentes duo Studiosi peracta hoc loco devotione, hanc Anno 1627, 20. Aprilis in Valvis Aulæ Marianæ Syngrapham, suffixerunt.

D. O. M.

Duo Studiosi Cracovienses verè per intercessionem Genitricis Beatissimæ sunt à periculo mortis liberati, in quodam casu criminati, protinus voto facto, hunc locum ejus visitandi, ab omni perturbatione & damno liberè evaserunt, pro quo eidem sit Decus atque Gloria, &c.

Mortalitas humana ad immortalis vitæ asylum MARIAM svadet recurrere, svadet & Richardus à S. Laurētio ut festinatis amoris passibus accedat:

Richardus à S. Laurent Num: 12. de Laud. B. V.

Miser, ad misericordem, ut misericordiam consequatur;
Deformatus ad Replasmatricem, ut reformetur.
Captivus ad Redemptricem, ut à carcere redimatur.
Exhæreditatus ad Patronam, ut hæreditati restituatur,
Servus ad Dominam, ut libertati donetur.
Miles ad Reginam, ut si vicerit coronetur.
Tenebrosus ad Lucem, ut lucis Filius appelletur.

24. QVis crederet & in infamibus malefactorum crucibus nasci explicariq; Marianæ potestatis trophæa. *Blasius de Zakrzew* (ad suburbanum Cracoviæ) in facinore deprehensus, judicatus, damnatus ad furcam & funem: impensa devotione Divæ Claromontanæ, vitam suam commendabat, tribus horis in pœnali trabe pendens, rupto fune decidit. Surgentem, qui propinquiores accolunt, mirantur non præfocatum, sed reposuit à quadam Matrona subministratum, sibi fuisse fulcimentum, quod facultatem respirandi non interclusit. Diva fecit, cui se vitamq; in melius commutandam devovebat. Relatum in Fastos Anno D. 1598.

25. EN MARIA alios nolentes mori à morte retrahit, alios mori volentes cogit vultque vivere. *Simon Passerowski* de Bar, in carcerem ob certum crimen injectus, jam sibi violentas manus inferebat metu pœnarum, quæ parabantur, perculsus; adstitit ecce vir incognitus, monet ne se in tantæ desperationis calamitatem præcipitet, svadet resumpta meliori spe ad Divam Claromontanam peregrinationem decernat, ab ea vitam libertatemq; habiturus. Recollegit malesvadum animum, attentati facinoris pœnitens nego-

tium

tium vitæ, Mariæ misericordiæ commendat, quo facto liber dimissus, Vota præsens solvit, Anno 1611. 1. Iunij. *Notandum* (inquit D. Amedeus Homil: 8.) *ac solerter intuendum, quanto affectu quantaq; benignitate, cognatos sibi puritate animi complectitur & diligit, quæ homines nequam & scelevatos suo interventu, à morte peccati, & æternis doloribus incessanter absolvit. Gemina quippe dilectione rutilans, & insignis, hinc in Deum ardentissimè figitur, cui adhærens unus spiritus est, hinc Electorum corda blande consolatur & attrahit, ejsque Nati largitate optima bona partitur.*

26. ADmirabilem MARIÆ gratiam in Cive sua, vidit Lovicium. *Anna est Mierzwina* in propudiosi facinoris publicam notam prolapsa, ad justum tracta supplicium, stetit in pœnali circo, pœnas capitis datura. Non habuit inter mortales Patronum excipienda mors, eò nocenti animo gravior, quò causa turpior, & quidem honestè mori præstaret, quàm sic infamatam turpi stigmate aut mori aut vivere. Priusquam ferro inclinasset jugulum, supplex animo ad Aram Divæ Claromontanæ procubuit, decreto peregrinationis proposito, si vitam ab interitu, reorum Patrona singularis MARIA, subduceret. Non latuerunt populum, qui funesti spectaculi mirator advenerat, Contribulis suæ vota, arbitrantur irrita, ubi impendentem jugulo vident acinacem. In feram noctem clausit lumina teniâ protracta, procubit in genua vel ultimo spiritu Divam appellans. Quid præstolaris Lector? Adegit collo non impigrè ictū Carnifex, sed cautem ferijt, territus putatū errorē ictu repetito corrigit, sed corpus, quod voto debitum præstaret ad Aram salutis homagiū, ferrū respuit. Erecta animo, illæsa corpore, mille gladios excipere parata, mortem non metuit, cum in ejus theatro Mariæ clemētia partes agit. Res acta manifesto miraculo, Divæ protegentis & absolventis gratiam & gloriam declaravit. Vt redivivam excipiunt salutantque Cives, qui & testimonium beneficij cum Cliente Mariana in hoc loco præsentes dederunt. Loquar igitur ad Te cum D. Anselmo (in Oratione ad B. V. M.) non ex mea præsumptione, sed ex piæ mentis confessione ô Mater Reorum MARIA: quòd, *quemadmodum Dei Filius, est Beatitudo justorum, sic ô Tu Fons fœcunditatis; Filius Tuus est reconciliatio peccatorum: non est enim reconciliatio, nisi quam Tu casta concepisti, non est justificatio, nisi quam Tu integra in utero fovisti, non est salus, nisi quam Tu Virgo peperisti. Ergo ô Domina Mater es justificationis & justificatorum, Genitrix es reconciliationis & reconciliatorum, Parens salutis & salvatorum, ô MARIA.*

D. Anselm. in Orat: ad B. V. M.

27. Varsa-

Rea suffocati partûs, miraculosè liberatur.

27. VArsavia vidit in Vistula natum prodigium, quod propono. Anna de Tarczyn (4 leucas distat Varsaviâ) Bartholomæi molitoris, & Hedvigis Filia apud D. Siekierzyna Civem Varsaviensem pedisequæ fungebatur officio; diu honesta, diu modesta, continens, & affectuum inordinatorum temperans. Sed ut plerumq; fieri amat, à levioribus neglectis principijs, grandiora mala ducunt originem, in liberiore conversatione cum Personis sexu discretis

Post visum, ad risum; post risum, venit ad usum;
Post usum, tactum; post tactum, venit ad Actum;
Post Actum, factum; post factum pœnitet Actum.

nam ex vetita Venere fœtum suscipiens, jugulatâ prole, à scelere, famæ patrocinium quæsivit. Signis facinus prodentibus publico decreto rea, mortem ferienda gladio præstolatur. Ad Conscientiæ rationes excipiendas vocati Patres Conventuales Ord: S. Francisci, votis suis ream Divæ Claromontanæ commendant, ut ejus interventu pœnitentiæ spatium DEVS misericors indulgeret. Addit sua vota & mulier, quantumq; per temporis interstitium, quo carcere detinebatur, licebat, repetit. Tribus vicibus ad locum publicum pœnæ, datura vitam educitur, totiesque reducta ad judicium, quod aliud genus mortis statuit; cum saxorum pondere in profluentem Vistulam præcipitandam; ad fluminis ripam productæ saxa collo alligantur, præceps in aquas ruit. Cum pondere & undis luctata, hora mediâ in fundo tenebatur. Effusa populosissima Vrbs, aquis præfocatam existimabat, sed emergit cum pondere! attonita multitudine ad novitatem rei, ubi patet prodigio salvam, Consilio Patrum Societ: JESV, qui ad supplicium damnatam comitabantur, lembo excipitur, Divæ patrocinio se morte exemptam profitetur: demum absoluta, in Civium Varsaviensium comitatu ad Clarum Montê venit, gratiam tota Vrbe fidem faciente recognoscit, Anno 1625. Quàm idoneè huic exemplo subdit noster P. Gołdonowski in Diva Claromontana Cap: 9. § 5.

Vestales olim soluebant Carcere clausos
Tantum præstabant, virginitate suâ.
Cur non vincla reis, solvat quæ carcere nullo
Culpæ clausa fuit, Virgo Parensq; DEI.

E carceribus liberata miraculo.

28. DEvitant severa justitiæ tribunalia nocentes, & ad Mariam, ut potè Aram misericordiæ confugiunt. E Silesia huc festinantem accipe, & stupendum liberationis prodigium adverte. Ancilla Civis Vratislaviensis, ex illegitimo toro susceptam prolem occultè manu parricidali sustulit. Et quia, ut loquitur Latinus Pacatus in Paneg: Theodos: August: *Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata Carnifices, aut ipsa sibi carnifex Conscientia est*, suis prodita indicijs culpam publicam fecit, cujus illa pœna fuit, secundùm regionis morem, adversùs terram depacto palo transverberari. Nocte quæ funestum diem præcedebat, in reæ considerationem venerunt Divæ nostræ Magnalia, cui suæ salutis curam devovens, appromittit impensiorem cultum, & ejus in hoc loco imaginis visitationem, si liberationis dono potiretur. Hæc in duro carcere fatigatam, mœrore & vigilijs somnus excepit, quo dum fruitur, adest Numen Mariæ præpotens. Cadunt vincula pœnalia, recluduntur valvæ, carcerum reducuntur obstacula, adsunt Spirituum Tutelarium officia, qui suæ libertatis ignaram succollatoribus humeris ad securitatem deportant in locum (cui à Canino prato nomen est) uno ab Vrbe milliario. Exorabilem omnibus Clementiam Mariæ agnovit mulier, recta ad Montem Clarum properat, beneficium in Albo gratiarum consignatum testibus comprobando Anno 1592. Promovet affectûs devotionem res admirabilis, cogitq; ut applaudamus Patronæ reorum Virgini, cum Virgine Principe Casimiro.

Latinus Pacatus in Paneg: Theodosij.

Rythmus D. Casimiri Poloniæ Principis.

Virgo gaude omni laude
Digna & præconio,
Quæ damnatis libertatis
Facta es occasio,

E Dæmonis potestate liber.

29. VEnite & videte prodigia, quæ posuit Domina super terrâ, vivos desperatos, inferno fœderatos, in spem vitæ, in gratiam, in libertatem vindicatos, & in peculiarem amoris Filialis Hereditatem adoptatos à MARIA. *Iacobus Wesołowski Sokalensis*, si pristinam conditionem spectes, ad quam desperatio præcipitavit, mancipium diaboli: si statum, ad quem duce Maria venit, libertus Mariæ. Rem ut erat, ex literis Adm: R. D. Stanislai Błock à Sobno Præpositi Communitatis Zywiecensis & Decani Plesznensis, ac in Spiritualibus Commissarij datis ad Admod: R. P. Kilianum Zywiecki, tunc Clari Montis Priorem, desumptam habe.

Admodum Reverende Pater &c.

Mirabilis DEVS in Sanctis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.

ſuis. Teſtis eſt præſentium exhibitor Iacobus Weſołowſki Sokalenſis, *admirabilem Divinæ benignitatis gratiam conſecutus, per interceſſionem Divæ noſtræ Claromontanæ. Conjectus in Carcerem apud quendam Nobilem ob crimen impulſu familiarium perpetratum, manus pedesq; ferro vinctus & catena clauſus, pertæſus incommoda carceris, liberationem ab hominibꝰ deſperans, expectatione adipiſcendæ libertatis perſvaſus, in poteſtatem hoſtis generis humani ſe totum tradidit. Non ita multò poſt redijt ad cor, & facti ſeria pœnitudine ductus, ad Sanctiſſimam Deiparam confugit, & votum ad hunc ſanctum locum ſpopondit. Die poſtero debebat ad ſupplicium educi, cum ecce illa nocte præcedente, vincula, catenæ, omneq; grave ferrum, quo tenebatur decidit, quo id factum modo, minimè novit & ita mortem & carcerem liber evaſit. Alia mentem eius occupavit cogitatio, ut relictis liberis & conjuge, intermiſſo propoſito Claromontanæ peregrinationis, Romam peteret. Conabatur iter ingredi, ſed Mater Miſericordiæ licet ingratum retraxit à conatu: Vix enim limites Silεſiæ prætergreſſus tentat viam, progredi non potuit, acerbiſſimo dolore pedum correptus, cætera ſanus. Advocavit meum Vicarium Pozynenſem V. P.* Andream Piwiecki, *cui ſecreto communicavit omnia, adſui & ego, ulteriorem itineris curſum diſſvaſi, eoq; animum induxi, ut unde tantum beneficiũ accepit, ibi Divæ Soſpitatrici Liberatriciq; ſua vota deponat. Fecit, iterum vovit, convaluit. Vadit itaq; ad hunc locum, cui hoc teſtimonium do, & me gratiæ committo, &c. &c.*

Datum Pleſzne 1. Iulij, Anno 1651.

Fr. & Servus Staniſlaus Błock à Sobno, Præpoſ: Cõmunitatis Zywiecenſis &c. & Decan: &c. m. pp.

Quod hîc literæ loquuntur, idem faſſus eſt Cliens Mariæ. Quid hîc & quomodo cum reis agit Maria? Memini apud Senatum, Romanas mulieres cauſas dixiſſe, (ut eſt apud Valer. Max: Lib: 8. Cap: 3.) & cùm ſæpiùs affabilitate lenibusq; inſtillatis amoribus judicum animos captivaſſent, cautum deinceps, ne publica reorum negotia tractarent. Vna eſt, ſola eſt Maria, quæ ſola una reorum omnium morta-

mortalium jure Patronatûs pollet apud DEVM. Hinc jure quidem ad illam proloquitur Mellilacteus Bernardus. *Tu peccatorem quantumlibet fœtidum, non horres, non deſpicis, ſi ad Te ſuſpiraverit, Tuumq; interventum pœnitenti corde flagitaverit: Tu illum à deſperationis baratro piâ manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves, non deſpicis, quouſque horrendo judici miſerum reconcilies. Famoſus huius rei benignitatis teſtimonium eſt per Te Theophilus* (præſensq; Iacobus) *reſtauratus gratiæ, nec mirum ô Domina! ſi tam copioſo oleo miſericordiæ, tui cordis perfuſum eſt ſolatium, cum illud inæſtimabile opus miſericordiæ, quod prædeſtinavit DEVS ante ſæcula in redemptionem noſtram primum in Te à mundi Artifice ſit fabricatum.*

D. Bernardi in Orat: ad B. V. M.

CAPVT V.

Hæreticis, Schiſmaticis, Arrianis, Machometanis votis vocata ſubvenit MARIA.

30. QVòd à ſole majora & minora lumina colluſtrentur, quòd Cœlo bonis ac malis inexoratus oriatur, nemo queſtus eſt. *Electa ut Sol MARIA*, quod ex æquo felicibus ac infelicibus, majoribꝰ & minoribus, bonis ac malis, ex hoc loco gratias diſpenſet, quis indignabitur? & illi, quos character infernalis beſtiæ à populo fideli ſegregavit, Marianæ Clementiæ ſtigmate inſigniuntur, unũq; ſonant Synthema MARIAM.

Vir quidam Equeſtris Ordinis (nec nomen & cognomen lego, præter natalium decus) Lutheri dogmata ſecutus, ſexennio captivus in Moſchua, ſervitutem pertæſus ad libertatem anhelabat. A concaptivis ſuis permulta audivit de beneficiis Divæ Claromontanæ, viditq; votis ad eam nuncupatis mirabilibus modis, qui ei quamvis attentaret non ſuccedebant, ad libertatem eluctari; Riſit nihilominus omnia, quæcunque circa Mariæ patrociniũ dicebantur. Docuit neceſſitas ad Mariam recurrere, nam impendente ſententia capitis, cùm nulla vitæ ſpes affulget, imitatus concaptivorum devotionem, ſpondet Mariæ peregrinationem Claromontanam, & virtutem devotionis experitur. Decies gladio feriendus producebatur, toties pacto peregrinationis ad ejus Imaginem Claromontanam propoſito, ſalutem mercabatur, donec tandem adoleſcente fiduciâ, quam expertæ gratiæ nutriverant, felix mortem, captivitatem, limiteſq; barbarorum tranſiliret, De *Grodno* pedes iter voto promiſſum abſolvit ad.

Hæreticus è captivitate Moſchovitica liber.

vit ad ſacram Imaginem, hic Lutheri damnatis erroribus adunatus Eccleſiæ. vitam ſæpius, libertatisq; gratiam Mariæ in acceptis referens, Anno 1613. 15. Novembris. Per MARIAM colligit ac reconciliat rebellem ſibi populum DEVS. Hoc mentis æternæ conſilium Seraphicæ Virgini Catharinæ revelatum accipe (apud Bloſium in Monili Spirituali.) *MARIÆ Vnigeniti Filij mei glorioſæ Genitrici à bonitate mea conceſſum eſt, propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicunquè etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali; hac enim eſt à me electa, parata & poſita tanquam eſca dulciſſima, ad capiendos homines & præcipuè animas peccatorum.*

Ludovicus Bloſius.

31. NEquè Roſa inter ſpinas odorem, nequè Lux in tenebris fulgorem, neque gemma inter quiſquilias nitorem, nec aurum in luto valorem deperdit; MARIÆ deditus amor, neq. inter hæreticos ſuæ æſtimationis meritiquè jacturam patitur. Nobilis *Anna Wlodowná* hæreticis orta parentibus, à familia domeſtica Orthodoxæ fidei imbuta dogmatibus, ex gratiis miraculisquè Mariæ, quæ in Claro monte patrata intellexerat, devotionis erga Deiparam amorisquè incentivum ſuſcepit, Lutheri palæſtram averſata. Tempore quodam paralyſi tacta obriguit, hæc plaga ad ſumendum in ſe experimentum favoris Mariani ſufficiebat, & ad prodigium. Integra animo Divam appellat, pacta ad Clarum montem peregrinatione; votis Diva annuit. Surgit ſtupefactis Parentibus ad ſanitatem abſque medicina donatã, quæ in ſe Diva feciſſet premens ſilentio. Non multò poſt affecta contage peſtifera, prodentibus letale periculum virulentis in corpore ſtigmatibus, ad præſentiſſimum mortis amuletum Divam Claromontanam recurrit, habetquè propitiam; ad exuberantem in ſe gratiã confuſa, attamen priſtina deſideria votaque moratur. Votorũ & gratitudinis reã, cõmonefecit gravius malum. Scorbuto in corpore tacta, qui & guttur impleverat, adempta cibi potusquè glutiendi facultate, pœnam ſuæ ingratitudinis intellexit; ſæviente ſerpentequè in deterius morbi malignitate. Quapropter repetit propoſita, & prorſus extemporaneo beneficio vitam adepta, præſens Divam in hoc loco adorat, abjurat hæreſim cœtui fideliũ adlecta, Anno 1629. 13. Auguſti. A miraculis ſordibusque errorum repurgat MARIA. Quid mirum? nam ut ait Aloyſius Novarinus Lib: 5. Cap: 4. *Maculam Virgo non habuit peccati per quam mundus evacuandus, ſordibus illa caruit, cui juſtitiæ noſtræ comparatæ ſunt ſordes.* Et Lib: 4. Vmbræ Virgineæ, *Originis peccatum non habuit, quæ omnis boni fons*

Hæretica plures experitur gratias.

Aloyſius Novarinus.

boni fons & origo. Culpa Virgini non debetur, cui omnis debet quod liberetur à culpa.

32 NOn infimæ ſortis parentum filia *Anna Rzepczykowná* prope Viennam peſtilentiâ percuſſa, ſenſuum membrorumquè functionibus privata decubuit. Nocte, quæ Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Feſtivam ſolénnitatem præcedebat, mitigatis nonnihil doloribus quievit; placidè apparuit ſic quieſcenti Diva Virgo Mater infantis Dei bajula, his Annam allocuta. *Filia? reſume animum cum viribus, ſurge dono valetudinis potita, & Clari Montis mei locum inviſere decerne.* Excutitur ſomno vegetior, vivam adhuc animo ferens Imaginem hoſpitis gratioſiſſimæ, ſoluto lingvæ vinculo, quæ vidit, quæ in mandatis accepit, enarrat. Attoniti Parentes hæretici ad miraculum, audiunt de Claro Monte ignaram nominis, & loci, Filiam loqui: diſſvadent exequenda quæ imperabantur, ſed profuga domo, ſacrum MARIÆ Larem repetit, ubi damnatis erroribus patrijs, poſt corporis valetudinem etiam animi ſanitatem conſecuta, in ritus Eccleſiæ Orthodoxæ tranſijt Anno 1662. 7. Martij. Pia eſt, miſericors eſt, omnibus exorabilis MARIA. Audi D. Agnetem in familiari colloquio cum Diva Brigitta Lib: 3 Revelat Cap: 30 aſſerentem. *Habuit MARIA latitudinem excedentem hoc eſt miſericordiam, nam ſic pia & miſericors fuit & eſt, et maluit omnes tribulationes ſufferre, quàm quod animæ non redimerentur; nunc autem conjuncta Filio, non obliviſcitur innatæ bonitatis ſuæ, ſed ad omnes extendit miſericordiam ſuam, etiam ad peſſimos, ſicut ſole illuminantur cæleſtia, terreſtria, ſic ex dulcedine MARIÆ, nullus eſt, qui non per eam, ſi petitur ſentiat pietatem,*

Hæreticam B. V. M. apparitione dignatur, ad Clarum Montem peregrinationem imperans.

Lib: 3. Rev. S. Brigit. Cap. 30.

33 ET Shiſmatici Divæ Noſtræ tracti gratiarum illecebrîs hìc fæderantur. *Philippus Vſtrzycki* Kozacus Zaporovienſis, Ruthenus, Religione Shiſmaticus, in captivitate Tartarica degens, hoc unum cogitabat curabatquè, non ſervire. Tentati per omnia modi non favebant libertati, cujus ambitio rebellem animum ad Divam Claromontanam cóègit: votis pacto viſitationis propoſito, annuit Patrona; ſiquidem ſecurus evaſit captivitatem mirabiliter, reiectoquè Shiſmate, unionem cum Eccleſia Romana in Claro Monte ſuſcepit, Die 4 Maij. Anno 1623. Sperandum ergo eſt à MARIA Matre Sanctæ Spei, quòd ſperandum docet Viſio S. Elizabeth Ordinis S. Benedicti Lib: 2. Viſionum Cap: 6. ubi quærit. *Domina mea quid de te ſperabo? reſpondit; Bonam gratiam de me ſperare potes tu omneſque*

Shiſmaticus beneficium libertatis petit & habet.

Lib: 2. Viſionum B. Eliz.

Tobiæ c. 6. *què qui fiduciam habent in me; mirificavit enim Dominus misericordias suas in me.*

Arriano B. V. M. apparet.

34 VIde scelerate Arri, quomodo errorum tuorum caliginem lux MARIÆ gratiarum dissipet? Nobilis *Alexander Szychtynek*, dogmatum Arrianorum tenacissimus, ubi cum hostibus minùs prosperè dimicat, in Tauricam captivus abducitur. Felix captivitas, quæ longè nobiliorem animæ libertatem contulit. Ter à fuga, quam attentabat, retractus, omnem modum viam què ad libertatem præclusam videt; revocat in memoriam audita aliquando Divæ Claromontanæ magnalia, quæ concaptivis libertatis occasionem fecerunt. Necessitas ad fidem coëgit. MARIÆ amat patrocinia, imploratque decreto Claromontanæ Visitationis proposito. Dum fatigatus, durioribus laboribus, corpus ad quietem collegit, oculos & animum meditatis adipiscendæ libertatis imaginibus obrutum, sopor occupavit. Nox erat; Adest Heroina nihil vultu terrenum, nihil mortale ferens, duabus stipata Virginibus, & hæc ad Alexandrum *Quid ad libertatem anhelas, & baptismum non suscipis, nec vitam emendas?* reposuit aut sibi reposuisse visus est se jam baptizatum, sed edocetur nullum Baptismũ Arrianorum esse, & qualis esse deberet, duæ Comites docuerunt, quarum una peluim tenuit, altera mistam terræ salivam accipiens novum Catechumenum auctoratumq; MARIÆ linivit, undamquè superfundens Capiti, dixit: *Si libertatem adamas, talis sit baptismus tuus, utquè gratiam ejusdem consequaris, Vota quæ promisisti fidemquè solve.* Reliquit somnus Alexandrum, auspicijs MARIÆ (cui se devoverat) excutit servile jugum; adest in Claro Monte fidei rudimentis imbutus, baptismum suscipit, utramquè libertatem corporis & animæ consecutus (gratiæ authenticam recognitionem tribuente A. R. D. *Raczkowski* Officiali Posnaniensi) in Fastos MARIÆ dedit prodigium Anno 1646. 14. Aprilis. Omnis confugiat ad MARIAM, quia MARIA neminem repellit. Audi testem D. Damascenum Oratione de Nativitate B. V. M. *Quia universa terra in fœdissimam sese provoluerat libidinem, Domini populus à Deo suo aberraverat, factusquè fuerat populus Domini non populus ipsius, & qui misericordiam consecutus, non misericordiam consecutus, & dilectus, non dilectus; ob eam causam, nunc Virgo priscæ fornicationis adversaria paritur, seu nascitur, ac Deo desponsdetur; Deiq; misericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat; & qui prius misericordiam minimè consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur; & qui prius non dilectus erat, diligitur; Ex ipsa enim nascitur dilectus ille Dei filius, in quo Pater benè sibi complacuit.*

D. Damasc: Orat: de Nativit: B. V. M.

Machometanus hic adunatur Ecclesiæ.

35 A Damnato Machometismo reducem excipit hoc loco sancta Mater Ecclesia. *Ioannes Niemczyk* de Villa *Dabrowka*, à Barbaris interceptus, in Turcia vitam & libertatem emit præputio, sex annis perditus fidei transfuga, inescatus vitæ licentiosæ illecebris, nihil minùs quàm animæ salutem curabat. In actuario laborans, in syrtes impegit; Interitûs imminentis formidine perculsus, reprobus desertor fidei, animæ verebatur naufragium. Magna fuit salutis pars, proprium nosse periculum; Amavit postmodum discrimen illud, quod utramque corporis & animæ vitam, in securo portu Ecclesiæ collocavit. Ad Patriam ergo Salutem, memor ejusdem mirabilium, Divam Claromontanam suspirat, decernit damnatis Sectæ Machometanæ superstitionibus, fidei reconciliari. Non abiecit supplicem MARIA, in mari salvavit, per infessas hostibus vias tutum iter pandit, Danubium traicientem servavit, unde præsens, totam huic Divæ utriusquè salutis rationem se debere professus, Vitæ redemptæ lytrũ, Nummum aureum, Turcicis insignibus distinctum, ad Aram sospitæ MARIÆ deposuit Anno 1650. 3. Aprilis. Adstruunt exempla quòd de se ipsa Virgo Clementissima loquitur Lib: 6 Revel: S. Brigittæ Cap: 10. *Nemo est adeo maledictus, qui quam diu vivit, careat misericordiâ mea, quia propter me levius tentatur à dæmonibus, quam aliter tentaretur. Nullus est ita alienatus à Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat misericordiam.*

Revel: S. Brigit: Lib: 6. Cap: 10.

Machometanus baptizatur.

36 SOlis orientis cunabula, supplicem in Monte Claro, Matri Luminum Mariæ, dederunt filium tenebrarum. Anno supra Millesimum sexcentesimum septuagesimo secundo. Vir quidam, *Klater* cognomine, Sectæ Machometanæ perosus errores, eo duce, qui spirat, ubi vult, ad amplectenda fidei Catholicæ dogmata anhelabat. Decrevit è tenebris ad fidei lumen in Monte Claro emergere. Adest; Fidei Magistram in Imagine Thaumaturga veneratus, ex præsentia Admirabilis & in Imagine Mariæ, ad fidem & devotionem incitamenta accipit. Sacro latice lustratus ab Adm: R. Patre Augustino Kordecki, Ordinis Nostri, per Poloniam & Silesiam Provinciali tunc temporis, inter fidelem populum filiosquè Lucis adoptatus. *Vrbani* nomen accepit, Anno quo supra, die 21. Maij. Adstantibus Patrinis Nobilibus, *Augustino Manzi* & *Anna Sophronia Kortynia* Incolis Cracoviensibus. Ruunt ad conspectum majestatis MARIÆ impietatis simulacra, dum per MARIAM, in MARIA, & ex MARIA, invo-

lutis errorum caligine, infulget Divinitas. Pulchrè Damasceni melos accinit, in Cant: Ecclef: Ode 3

Damasc: in Cant: Eccl: Ode 3.

Nebulam levem Te meritò,
Casta Virgo nominamus,
Iuxta Prophetarum vaticinia
Quandoquidem Dominus in Te venit,
Vt ruant Ægyptia
Erroris simulacra,
Et luceat ea venerantibus.
Tu antiquum Evæ debitum
Persolvisti ò intacta,
Novo propter nos edito Adamo.



ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS
SEU
HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO X.

Defectibus, varijs casibus, & Paroxysmis afflicti, ad invocationem MARIÆ, *salutis gratiam consequuntur.*

Hic Fulget.

Secundùm Richardum de S. Victore Cap: 26. in Cantica

OMNIUM SALUS MARIA.



Emo adhuc proprium amavit interitum: quia, ut Magister morum Seneca inquit ad suum Lucillum Epist: 116. *Curam nobis nostrî natura demãdavit.* Grave est, etiam miserrimis perire, difficile mortalium vitam ad odium damnare, ad ejus conservationem cognatus animorum rex amor, fundit pretia, colligit consilia, intendit conatus; sed non semper succedunt vota hominibus, qui vitæ prorogationem apud curas medicorum nundinantur. Mater *salutis* MARIA cum mundo *Salutem* genuit, *omnium salus est*, quæ immortalitatis nostræ infirmitatem curando, nonnunquam voventium proposita, maturo beneficio antevertit,

Seneca Epist: 116.

CAPVT I.

Amentes, ac Fanaticos, uſui rationis, & ſanitati reddit MARIA.

Perturbatæ mentis malaciam adipiſcitur.

1\. PAcis Domina ſalutiſque Mater, quemadmodum hoſtilium armorum, ita & animorum furorem indomitum placat, pacatque. Anno 1645 indolis optimæ Iuvenis, *Ioannes Zdronſki*, ſeu factorum, ſeu fictorum criminum apprehenſione confuſus, lacrymis, gemitu, ululatu, ſe ad Tribunal Dei citari querebatur. Animi ægritudo erat major humano remedio, quam nec temporis mora placare potuit. Vnum remedium vocibus inconditis inclamat, Aram Divæ Claromontanæ, ad quam ut quantocius deveheretur, à parentibus lacrymis exorabat. Invaleſcente malo, inter amicorum latera, feſtinato itinere pergit, nihilo mitiùs toto viæ tempore agit pertinax mentis confuſio, quæ nec illatum adytis templi Mariani reliquit. Hic actus in furias longè ſeveriores, nullum ſedandæ illi tempeſtati, capit aut conſilium, aut modum: In conſpectum itaquè Sacræ Imaginis deportatus, ut primùm Reginalis ejus Majeſtatis ſerenitatem intuitus in terram procubuit, ſubitam animi diris imaginationibus, portentoſiſquè ſcelerum umbris, exagitati, recepit malaciam, vires, ſanitatem, jamquè alius motibus, benigniſſimam Matrem oculis intuetur, ad devotionis & modeſtiæ exactas leges collectus. Deo, Deiquè Matri, datæ per Hymnum Ambroſianum gratiæ, ſolenniter ad Organum decantatæ, nevè ulterioris mali, aliqua ſuboriretur ſuſpitio, receptus in Clauſtrum, tranquillâ mente converſatus, à Patribus deinde domum reductus, ut tacita revoluit mente, quanta ſibi Diva Mater feciſſet, ſubſequentibus diebus, pedes ad Clarum Montem venit Vota ſoluturus. Actum Anno 1645. 13. Novembris. Veneramur, quod admiramur, colimus, quod legimus, & quod tui Clientes experiuntur, profitemur: cùm Divo Bonav: in Pſalt: B. V. *Tu mœſtis exultationem infundis, & mœrentibus lætitiam & dulcorem ô* MARIA.

D. Bonav: in Pſalt: B. M. V.

2\. EAdem confuſæ mentis tempeſtas, in maximo vitæ diſcrimine conſtituit G. D. *Nicolaum Caſimirum Bardzki*. Divam Claromontanam invocat, & cum votis ad ejus Aram ſupplex ſibi propitiam fuiſſe, luculentis teſtimonijs enarrat, Anno 1676. 26. Februarij.

3\. EXultat in favore MARIÆ, compoſitis mentis perturbatæ fluctibus, Vir Nobilis *Stanislaus Zerzyńſki*. Ægriùs, quàm par erat, bonorum iacturam ferens, in morbos, qui viginti ſeptem hebdomadis mirè eum torquebant, devolutus eſt. In vires indomitas collecta, tanto tempore creſcens per nova ſynptomata malignitas, inaudito quodam furore exagitabat illum, quapropter neceſſum fuit, funes & catenas adhibere, quæ ferocientem compeſcerent. Sæpè dies, & noctes integras inſomnes duxit, luctificis lemurum imaginibus perturbatus, maximum charæ conjugi tormentum. Inanibus ſpebus poſthabitis, ad Divam ivit, vota ſupplex offerens in Claro Monte pro Marito, extendit manum ſuam placavitquè illam confuſionem animi: è funibus, & vinculis tranſiens, ad mite ingenium reductus, in Mariani mancipatûs compedes ivit gratus cliens. Anno 1626. 26. Maij. Quot Clientibus præbet gratias MARIA, tot amoris proponit illicia. Hinc, ut inquit Richardus a S. Laurentio Lib: 2. de Laud. B. V. M. *Diligenda eſt* MARIA, *& ſpecialiter honoranda, quia ipſa mediante forma Divina ſpontè venit ad deformatum, gratia gratis, ad gratiæ ingratum, medicina non rogata ultro venit ad ægrotum, virtus ad infirmum, ſapientia ad fatuum, ſanctificatio ad immundum, veritas ad mendacem, pietas ad immiſericordem, pax ad rebellem, miſericordia ad impium, Charitas ad inimicum, juſtitia ad iniuſtum, non, ut eum ſecundum iuſtitiam ſuam iudicaret, & damnaret, ſed, ut eum à ſua injuſtitia iuſtificaret, & ſecundùm ſe formaret, & formatum ſecundùm ſe, tandem glorificaret in ſe.*

Richardus à S. Lauren: lib: 2. de Laud: B. V. M.

4\. G. D. *Ludovicus* de *Thomor* Cubicularius S. R. M. Hungariæ, poſt obſeſſionem Budenſem, à mente alienatus, vitâ periclitabatur, ſed à Collega ſuo, ut primùm curis Marianis commiſſus eſt, cum votis ad viſitationem Clari Montis, ſibi priſtinæq; valetudini redditus, ſoſpitatricem in hoc loco adoravit gratus Annô 1531.

5\. A*Mbroſius* de *Witkow* in Carcere detentus, in amentiam prolapſus, Matri reſtituitur: Nihilo clementiùs egit impacatus animi furor, quo matris afflictæ, cor lancinabatur. Ignara humani conſilij, gnara pietatis MARIÆ, ad Clarum Montem vota feſtinat; Meruit hinc miraculum, ſimplex innocenſquè fiducia, quæ rationis uſum, vitamquè in ſummo diſcrimine poſitam donavit. Annô 1595. vota ſoluta.

6\. ÆDituus Eccleſiæ *Polanecenſis*, promovente apud Divam noſtram

ſtram ſanitatis negotiam conjuge, conſimili potitur beneficio. *Joannes* elt *lando*, quem cùm diutiùs, atrociſſima animi dilaceratio exagitaſſet, huc per conſortem oblatus, mentis tranquilitati reſtituitur. Supplex gratias egit Anno 1623. 29. April. Optimè ergo à Divo Leone Serm: 1. de Paſſione Domini, MARIA ſalutem donans, appellatur *Virgo Salutiſera*.

S. Leo Serm: 1 de Paſſ: Domini.

7. MEruit & Wolchynia amores MARIÆ. Hic Alexandra Nobilis Marita, G. D. *Andreæ Kuklinowſki* rationis impos, ſummam domui confuſionem, præceps ad omnia audenda, faciebat. Rabies quædam erat, quæ belluam non hominem deceret. Leniri non potuerunt medicis artibus contumaces Intemperiæ, quæ ad corporis ruinam invaluerant. Ad Divam ſero conſilio vertit animum conjunx, peregrinationem ad limina D. Claromontanæ pollicetur, plenum adæquatè ad votorum menſuram reportat beneficium, quod præſens cum conſorte ad Aram Virginis recognovit, Anno 1622.

8. NOn populare eſt beneficium, quod in Lublinenſi territorio Diva ſoſpitatrix MARIA manifeſtum fecit, in Nobili *Potentiana Stojnowſka*. Diuturnis morbis ſenſim langvebat, qui ſucceſſu temporis in letales vires collecti, arcem animi invaſerunt; demum confuſo rationis ordine, funeſta mentis dilaceratione, impotem ſui Potentianam exagitarûnt. Malo ſuæ conjugis læſus Maritus, omnia tentavit ſedandæ illius tempeſtatis remedia, quæ dum fruſtrant conatus medicos, ad Aram Claromontanam properat, ubi ægræ ſalutem propè deſperatam impetravit Vtraquè ſui parte ſana, gratias egit cum conjuge *Potentiana*, enarrans expertas in beneficijs MARIÆ potentias. Anno 1598. Verè Diva inexhauſta ſunt tua beneficia, quia (ut inquit Gregorius Nicomedienſis de Oblat: Deiparæ) *Per te Paradiſum purè ſumus conſecuti, per te, generis colonia, ad priſtinam redijt manſionem, per te receſſit rhomphæa verſatilis, per te quæ erant clauſæ delitiarum portæ, fuerunt apertæ, per te ſpes Prophetarum ad effectum ſunt deductæ, in te finem acceperunt, quæ ab eis dicta ſunt. Per te, noſtræ reſurrectionis certa ſigna tenemus, per te nos Regnum Cœlorum ſperamus aſſecuturos. Te noſtræ ſalutis habemus adiutricem.*

Gregorius Nicomedienſis de Oblat: Deiparæ

9. NOn poteſt abſquè ſenſu devotionis in recordationem venire præſtitum *Marianna Skrzyńſka* Divæ noſtræ beneficium. In bimeſtri decubitu, irremediabilis morborum vis, poſtquam illi vigorem,

rem, & facultates membrorum abſumpſiſſet, ſævijt in animum, cujus placidam mitémquè malaciam, fanaticis furoribus interturbavit. Amici ab humanorum ſubſidiorum contemptu, deſperatæ ſalutem ordiuntur; ad limina Baſilicæ Marianæ ſiſtere votis promittunt, atq; tam religioſæ mentis decreto, utramquè valetudinem impetrant. Huc relatum Anno 1644. 9. Maij.

10. AVrea & argentea gleba pretioſa Civitas *Ilkuſium*, ad ampliorem Theſaurorum fulgorem, Divæ noſtræ gratiarum ſerenitatem trahit. Hic ancilla quædam *Agnes* atroci ſex hebdomadis mentis perturbatione ferociens, nulla honeſtatis ratione habita vagabatur. Rabies efféra, nulla arte cicurari potuit, ideò ſæpius in vincula & carceres acta, vitæ ſuæ vim inferre moliebatur. Portentum erat non mulier. Adeò miſeram depreſſit fortuna, ut veluti vitæ mortiquè exoſa, nec ad meliorem vitam, nec ad mortem commodè potuerit eluctari. Tantæ calamitatis miſerti Cives, curabant omnia, quæ profutura credebantur, ſed fruſtra; memores itaq; beneficiorum, quæ Diva noſtra cōferre ſolet, *Agnetem* ad Imaginem Odigitriā ſiſtere pollicentur. Non fefellit piam expectationem MARIA, ſedavit illam confuſionem mentis, reductaquè rationis lege, hîc cum civibus ſupplicem ſanámquè habuit Anno 1615.

11. ANna quoquè *Wyćielkowſka* tempore peſtilentiæ Anno 1603. per octo Menſes rationis uſu carebat. Hinc furor indomitus, cùm ſæviret atrociùs, ad vincula & carceres ægram coëgit. Ad Divam Claromontanam per ſuos oblata, utraquè ſui partè integrè ſana, vota ſolvit.

Hæc pauca è plurimis honori tuo ſcribuntur ô MARIA? Da immeritis gratiam & *De theſauris tuis infunde nobis ſapientiam Dei, & intellectum prudentiæ, ac formam diſciplinæ, quia intellectus bonus omnibus honorantibus te, & ſors illorum inter Angelos pacis ô MARIA.*

D. Bonavent: in Pſalt: B.V.M.

CAPVT II.

Poſſeſſos, Obſeſſoſquè à dæmonibus, liberat MARIA.

12. NObilem puellam nobilis adoleſcens (conſultò utriuſquè familiæ claritudo ſubticetur) perditè deperibat, ejus pudiciſſimam conſtantiam frangere voluit, ſed inter mundanas leporum

 vene-

veneres, nihil adeò validum fuit, quod minimam affectûs vetiti scintillam proliceret. Itum ad geniales operas, ut pharmaceutriarum incantationibus incestitam innocentiam, ad consensum pelliceret, aut contemptos amores ulcisceretur infamis leno; Invenit Circem veneficam, quæ in Virginem excivit Orcum, occupatur puella, jactatur, affligitur miseranda inveteratoris tyrannide, quam; tentata in diversis locis & modis remedia placare non potuerunt. Vnum erat Asylum tot malis affectæ, Ara Divæ Claromontanæ, huc in amicorum comitatu deducta, vomit acus, crinalia, bombicem, carbones, & in domus Marianæ liminibus pertinax obnititur, nè veniat in conspectum sacræ Imaginis. Huc tracta stetit, sed immensam illam lucem à vultu Virginis fulgurãtem perferre non potuit infernalis tenebrio, profugit multùm vociferatus, ac sanam reliquit. Anno D. 1595. Verè itaquè ad mentem D. Bernardi Homil: 2. super Missus est, dicitur: *Terror dæmonum MARIA.*

D. Bernard: Homil: 2. super Missus est.

13. PErillustris Magnif: D. *Stanislai* à *Przyiná Przyiemski* Palatini Posnaniensis Capitanei Koninen: Conjunx de domo *Czarnkowska*, statim post connubium à maleficijs orco impleta, quinquennio affligebatur. Satis accuratè ab Exorcistis laboratũ est, ut malus genius crudeliter per obsessa membra desæviens fugaretur, frustra tamen. Vnà ergo cum Illustri Marito, vota ad Divam Claromontanam ferunt, & implent, quatriduo supplicationibus vacãt, quo etiam tempore pertinax vis inveteratoris, exorcismis premebatur. Non tulit infernalis animarum prædo Numinis Mariani potentiam, propalavit in domo substrata maleficia; cumq; diversi generis teterrimum nidorem, fumantes materias ejecisset, Clientis Marianæ corpus liberum fecit, à conspectu Mariæ profugus maledictus lavernio. Pretiosis muneribus gratitudinem testati conjuges, beneficij memoriam Actis inseruerunt Anno 1615. 2. Februarij. Verum proinde est, quod (asserente D. Amedeo Homilia 8,) *Sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore Solis defluit glacies, sic à Maria facie inimicorum deperit acies, eaquè jubente nihil adversi subsistit.*

D. Amede' Homil: 8.

14. PRohibet MARIA, ne in pectore clientis, quòd devotionis accendit flamma, dæmon infernalis incendij titio hospitetur. Hoc fecit in puella quadam Nobili, Anna nomine (ex proposito claritudo familiæ tacetur;) quam ancilla artibus Magicis imbuta, quatuor dæmonibus implevit, injuriam, quam fortè sibi parentes fecerunt-

cerant, ulcisci conata. Domi integro anno exorcismis laboratum est, nec tamen secundis successibus. Consilium erat ad Montem Clarum peregrinari, sistitur ad Aram salutis puella, ubi egestã ejectaquè fæda quadam maleficiorum semente, subnervatã nonnihil sensit dæmonum sævitiem, Devotioni vacando in sacrario Virginis, tres hebdomadas ad montis clivum habitat. Movit Cracoviã versùs sub vesperum, nocturnam quietem interturbavit clamor puellæ, opem implorantis. Revelatur filiæ pectus, cui superinfusum teterrimum virus, fœtorem infernalem exhalans, stagnabat; lustrali aqua abluitur, cumque languore immedicabili fatisceret, suasu Patrum nostrorum, quos in viæ societatem parentes assumpserant, Montem Clarum repetunt. E longinquo ædis Claromontanæ fastigia cõspicati procumbunt, adorantq; Divam, quo tempore infames Apostatæ spiritus, exhorrescentes ad loci sacri conspectum, terrificis ejulatib9, se ad discedendum cogi conquerendo, liberam immunemquè puellam reliquerũt Anno 1632. Vt autem ex toto sanam esse filiam constaret, aliquandiu in gratiarum actione perseverans MARIÆ Cliens sub Claro Monte habitavit. Regressi muneribus gratitudinem Mariæ testaturi Parentes, Calicem auro gemmisquè ornatum, & nonnulla alia ad usum sacrificij Missæ pertinentia obtulerunt, Divæ Sospitæ Mariæ honori, ipsumquè Basilicæ Marianæ pavimentum marmore straverunt. Anna gratiosa superis, proposito, clara miraculo, illustrata cœlitus inspirato consilio, cum parentibus patrium larem non repetens, Monasterium ingressa, Institutum ac Disciplinã Divæ Claræ complexa & professa est. Gratiosè Ioannes Damasc: appellat de Dormit: B. V. M. *Remedium adversus dæmones MARIA.*

D. Ioannes Damasc. de Dormit: B. V. Mariæ.

15. NObilis *Eva Prusinska* Conjunx Nob. *Theophili Grzymálá* è Districtu Ostrzeszoviensi Anno 1646, à dæmone obsessa, ope Divæ nostræ implorata, liberata est. Exorcista Claromontanus suspicatus latere domi maleficiorum semina, fodi jussit terram, & deformia maleficia, bufones metretæ mensuram exæquantes, invenit. Annis quatuor adepta libertate potitur. Iterum pristinam sedem repetit detestabilis desertor Dei; Evam implet, torquet, dilacerat, ad Divæ Patronæ Aram dicam prælegit maligno spiritui, Conjugis afflictæ maritus; sistitur in conspectu Divæ imaginis, procumbit susceptura magnum hospitem sub speciebus Eucharisticis DEUM, cedendum erat; itaque dejectam è genibus prostratamq; profugus reliquit. Inclinamur supplices tuæ potentiæ, adoramus gloriam, a-

 mamus

mamus clementiam, prædicamus Triumphos, recolimus victorias, ô terribilis inferorum potestatibus MARIA! nam (ut etiã Cyrillus Homil. 6. in Nestorium evulgavit) *per Te Trinitas sanctificatur, per Te Crux pretiosa celebratur & adoratur in toto orbe terrarum, per Te exultat Cœlum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur dæmones, & Homo ipse ad Cœlum revocatur ô MARIA.*

16. SOphia quædam Civis Calissiensis à dæmonibus obsessa, & excæcata, ducem alienam manum secuta, Sacellum Mariæ ingredi non potuit, obnitente dæmonum vi inseparabili. Labor Exorcistæ coëgit domi substrata mensæ maleficia propalare, mittuntur ad maritum literæ, quæ pestis notitiam ejusq; comburendæ mandatum ferebant, sed propè Calissium igni fulmineo tactæ absumptæque effossionẽ morabantur. Vacante supplicationibus ad Divæ Theothocos Imaginem Sophiâ, iterum literæ Calissium per Dobricensem Parochum feruntur, quibus lectis, ut effosa combustaq; præstigiatricum instrumenta fuerunt, maritæ hoc loco restituta oculorum lux, dæmonesq; fugati, libera domum repetit, sed inveterata maleficarum odia, longè acriores septem paredros in repurgatam MARIÆ Clientem immiserunt. Iterum excæcata & tyrannide sævientis Erebi labefactata, ad Aram Divæ reducitur, hic nutu Virginis, rabie dæmonum infrenata, piâ curiositate nonnulla cœpit quærere Exorcista. *Primum*, quam ob causam hominibus in valetudine & fortunis nocerent? quamvis reluctantes responderunt: Vt homines DEUM blasphement. *Secundum*, quare Sagæ non horrescunt illorum præsentiam & obsequia? respondit dæmon: Quomodo expavescere debent nostram familiaritatem, cùm nos illis splendidè togati, calamistrati, formas speciosas induti, in omnium rerum affluentia appareamus, illas (Dominas suas vocavit) benignè omni officiorum genere quandoquè colamus, & tractemus genialiter, nostramq; promptitudinem ad earum nutus & obsequia offeramus. *Tertium*, cur minus vexent Hæreticos, Iudæos, Paganos, respondit: hic modò non convenire, ut nostros familiares & amicos, quos singulariter nobis fœderatos habemus, affligamus; *Quartum*, quid faciendum hominibus, nè vestræ imposturæ illis noceant? respondit: ad hoc quamvis attentes omnia, nihil dicere possumus, væ nobis, (subintulit) quòd ad quæsita respondimus. Aderat in audientiũ cœtu quidam nobilium, qui, optarem, inquit, modò hîc oppidi mei hæreticos spectatores & auditores adesse. Demùm post diuturnũ labo-

laborem, cæcitate repulsâ dæmones propulsati liberam reliquerunt, quo etiam tempore adfuit quædam Civis Boleslaviensis à dæmonibus obsessa, quorum vnus ad Exorcistam dixit indignabundus, coactum egressum manifestans: *Nunquam tu contra illos prævaluisses nisi tibi auxilium Magna Domina adfuisset.* Actum in Claro Monte, Anno D. 1618. Iam infernali belluæ innocentissimæ Matris Virginis pede proculcatæ improperare, ac imperare possumus, cum D. Bonavent. in Psalt: B, V. M. *Quid gloriaris in malitia ô maligne serpens & draco infernalis? submitte caput tuum mulieri, cujus fortitudine demergeris, in profundum. Contere eum Domina, pede virtutis tuæ, exurge & dissipa malitiam ejus, extingve potentiam ejus, & virtutem illius redige in favillam.* D. Bonavent. in Psalt. B. V. M.

CAPVT III.

Imposturâ, Maleficiis, præstigiis, venenis, absolvit MARIA.

17. EQuestris Ordinis Viro (nec in Archivo nec apud Rev: P. Goldonowski nomen lego) tres erant filij, quos ut rectè virtutum & sciẽtiarum opifex disciplina, ad sperata solatia institueret, Pædagogum domi adhibuit, qui mitioribus scientijs & moribus imbueret juventutem. Pater justò rigidior, totam potestatem errata & negligentias castigandi transfudit in Pædagogum, qui partes suas agens admodum severè juniorem quatuordecim annorum hebetioris, aut forsitan insolentioris genij gravius nonnunquam excipiebat. Tyrannis est ad interitum juventutis, severitate continua rigens disciplina, si lenitatis illecebris non tẽperetur, facilè frangitur, quod violenter inflectitur: sic aliquando fractus animo puer, post plagas acriores apud Parentem & Pædagogũ desperans solatium, ad tuguriũ quoddam domo propinqvum se contulit, ut liberioribus lacrymis animi sui mœrorem deliniret. Quoties vapulat, toties ad suum mapale, lacrymis solaturus dolorem, profugit. Opportunam decipiẽdi pueri nactus occasionem animarum Clepta infernalis, speciosam puellæ formam indutus, ibi lacrymantem convenit; fletûs unam causam, severitatem Magistri requisitus affert puer, nec sibi domi superesse solatium, solatur mœrentem puella, libertatẽ pollicita dummodò secum discedere decernat in animo: Recusat juvenis obsequi, cumq; constantem sollicitatus negat animum, speciosum illud

monſtrum diſceſſit, hic domum remeavit. Poſt dies aliquot rurſus immoderatiùs cæſus, fletûs gratia repetit frequentatam ſolitudinem, ſubodoratus jam plagarum cauſam, tarditatem ingenij, inveterator vaferrimus Magiſtri artium mentitus formam, hæc ad juvenem: Mactè bone Iuvenis, quod tibi parcior natura negavit, mea conferet induſtria. Belle novi artes juvandæ memoriæ, ea te dotabo felicis ingenij fecunditate, quâ omnes in ſcientijs omnibus antecelles, inſuper & pecuniam, ſi & quando libuerit, ſuppeditabo, tantummodò certis meis conſilijs & conditionibus acquieſce, quibus ſi obſecundaveris, aliis favorib' meis potiere; Puer aliquantò hilarior ſpatium duarum hebdomadarum cum Magiſtro paciſcitur, qui diſcedens à juvene, unum fieri præcavet, ne quod ſecreto commiſſum accepit, publicum faciat; Accidit, ſeniori fratri prodidit ſecretum, hic parenti; qui prudenter impoſturam deprehendens, metuensq; quod imminebat filio periculum, actutum Cracoviam ad Exorciſtam celebrem, R. P. Gelaſium, movit cum Filio, cuius opera cùm uti non poſſet, ad Clarum Montem pergere conſtituit. Aderat comes itineris & execrabilis impoſtor dæmon, qui, timens futurum fore, quod factum eſt, id curabat, ne Marianæ domus limina contingerent. ſæpius apparens ſvadet, ne admonitionibus aliorum pareat, imò ſi ipſe puer vellet, ad impeditionē itineris non ſegnem operam ſpondet, & fraudibus molitur; minus enim advertentibus omnibus, ſexigam deflectens, ad avia in limoſis ac paluſtrib' locis infixit, ubi ruptis funibus hærentes, vix ſeram emergendi facultatem, viamque invenerunt. In Claro Monte rem ex ordine Sacerdoti exponunt, quapropter Sacramentis puer munitus, ad præſcriptum ſpiritualis Patris, iterum, iterumq; apparenti, & infidelitatem improperanti, abrenuntiat. Deſperavit nequam lavernio ulteriorem cum juvene familiaritatem, & fraudum ſucceſſus meditatos, altera nocte apparēs in viliori lacerna contemptum queritur, cumque in hoſpitio ad Montis clivum, importunè, plurima auribus ejus inſuſurraret, in Cœnobio moratur, ad hoſpitium non regreſſus, ſcribit verbis proprijs abrenuntiationes increpatorias dæmoni, chartáq; illis characterib' notatam, in ſtationis loco deponit, quâ lectâ, dæmon infremuit, obtortoque collo puero ſuffocationē minitans, diſparuit, nec amplius infeſtare ſub tutela MARIÆ conſtitutum præſumpſit. Actum Anno D. 1632. *Verè ò Domina* (cum S. Germano Patriarcha Conſtātinopolitano de Zona Virginis loquimur) *Tu nequiſſimi hoſtis contra ſervos tuos invaſiones ſola Nominis invocatione Sanctiſſima repellis, tutos atque incolumes ſervas.*

18. Virgam virtutis domini regit geritq; MARIA, hujus poteſtatem ſentiunt dæmones, & ſenſerunt in uno quodam Equeſtri (nomen vetuſtas abſumpſit) quocunque ſe vertit, ſecum Palæſtram patientiæ circumtulit, ita hoſtiliter vexatus à dæmone, ut, ſeu comederet, ſeu vigilaret, aut quiete reficere vellet corpus continuo tormento labefactatum, verberibus plagisq; ad livorem affligeretur. Poſthabitis itaque omnibus remedijs, quæ placare tyrannidem Orcinam non potuerunt, ad Clarum Montem vota tulit, demum ea perſolvens, Divæ Protectricis MARIÆ tutelâ, ſe ab illis vexationibus immunem teſtatus eſt, Anno 1569. Benè D. Bonaventura in Speculo Cap: 10. *MARIA Virga aurea perfectis, virga ferrea duris, Virga aurea hominibus, virga ferrea dura dæmonibus, arcens dæmones à nobis. Hoc Domina petimus & devote petimus, cum Innocentio petente ſic & docente: Ave Dei Mater Alma quæ ex dignitate, quà Dei Mater es, imperare potes dæmonibus, compeſce dæmones, ne nobis noceant, præcipe Angelis ut nos cuſtodiant. Sic ergo Beata Virgo eſt nobis Virga fumea, in noſtra converſione, Virga florida in noſtra converſatione, Virga aurea in noſtra contemplatione, Virga ferrea in noſtra defenſione.* D. Bonavent: in Speculo Cap: 10.

19. Eadem Virgâ poteſtatis Reginalis maleficiorum apparatus funeſti diſſipantur, in Domo Generoſi D. *Ioannis Illewicki*, ex Tractu Koſtenſi, ſubſtrati, morborum peregrinum exercitum, qui notitiam facultatis medicæ fugiebant, induxit, hoc ille dejectus ad ſepulchralem ruinā urgebatur, ſolum ſuperabat remedium, abſq; remedio ſanari, ſed nòn abſque Numine MARIÆ, ad cujus Thaumaturgam Imaginem; ut amici vota nuncupaverunt, cum peregrinationis Claromontanæ decreto, extractis illis peſtibus, ſanus integerque vota ſolvit, Anno 1646. 6. Ianuarij. Ad hanc Divæ poteſtatem, cui creata omnia obſequuntur, pertinet Titulus Reginæ, quem interpretatur Lactimelleus Doctor Serm: ſuper Salve Regina. *REGINA gloria Nomen & honoris magnificentia & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & honorificentiæ, ſublimitatis & potentiæ, gubernationis & juſtitiæ, defenſionis & gratiæ, Sancta Sanctorum hæc omnia nobis & pro omnibus nobis, cui decātamus aſſiduè, SALVE REGINA, MATER MISERICORDIÆ.* D. Bernard. Serm: ſuper Salve Regina.

20. Anno 1594. adducta eſt puella in Civium Cracovienſium comitatu, domi & in itinere nihil prorſus loqui gnara, niſi hæc verba; diabolus in te, diabolus in te; Irritus labor Exorciſtarum, præfatis tantùm verbis, incompoſitis geſticulationibus, ludebatur;

batur. Constituta in Claro Monte ante salutis Aram MARIAM, cùm pro ea preces funduntur, ad animi motuumq; deordinatorum tranquillitatem composita est, tota mitis sanaque puella; jam alia loqui, & prælectis precibus Divam honorare cœpit, illis deinceps absoluta præstigijs. Vbi intereunt, ubi evanescunt diaboli vaferrimi machinationes, intellige ex D. Bonavent: *Deipara mare est amarum diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum fuit amarum Ægyptijs, in ipso submersis. O quàm amara & timenda est MARIA dæmonibus?* Vnde Bernardus: *Non sic timent hostes visibiles, quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum, fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque invenerint hujus Nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.*

D. Bonaventura.

21. ADæquant impostoris damnati malitiam humana odia. Vidimus in Viro Nobili *Mathia Karnicki* in Radostkow, (pagus à loco sacro duobus milliaribus dissidet) prout merebantur crimina, duas mulieres castigavit severius. Vlturæ plagas, Domino potionem ministrarunt veneficam, qui sensit ex eo tempore corrodi interanea, eòque tormento diutius laborans, arbitratus male affecti stomachi vitium; medicinis utitur. At major erat humana ac medicaminum vi pestis, quæ illum impleverat. Quapropter ubi non proficiunt medicinarū usus, & in deterius valetudo fatiscit, ad Divæ opem recurrit. Non procul à Monte Virginis, non procul à miraculis, quorum alia mente volvebat, alia cupiebat, sanari volens prodigio. Huc vota tulit in desperata valetudine constitutus, Divam gemitibus imploravit. Ad partum decubuit. Quem putas? jam adolevit ad prodigium. Modicam potionem sumit, fœtum edidit, nec Pater, nec Mater, quia non suum; Quindecim numero vivas aspides eijcit, grandi dolore grande prodigium. Adsunt ad spectaculum vicini, quibus in stanneo vase illæ abortivæ pestes ostentantur, ad integram hebdomadam vivæ invicem connexæ reservantur. Partus partum, miraculum sequitur miraculum. Eodem viscerum sinu, vomit vivas decem viperas, & vivit servatus miraculo. Gratus beneficij vitæ Cliens Mariæ, gloriam pangebat & suam gratiam vernaculo rythmo Mariæ, & tanti beneficij memoriā in Archivo reliquit, Anno 1608. 11. Maij. Victrici MARIÆ libet hîc adnectere versus ex libro 3. Cathemerinon Prudentij.

Hoc odi-

Hoc odium vetus illud erat.
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile dissidium,
Quid modo cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus:
Edere namquè DEVM merita
Omnia Virgo venena domat
MARIA.

Prudentius Lib: 3 Cathemerin:

CAPVT IV.

In vulneribus, & sanguinis profluvio desperatis vitam donat MARIA.

22. ADmodum R. D. N. Krzycki S. R. M. Secretarius, letale vulnus accepit in capite, integrâ hebdomada peritiores Chirurgi plagam curant, medicâ virtute majorem, quæ cùm nullum caperet remedium, & in lingvam sævijt, sublata facultate loquendi. Familiares, qui pereuntem vitam ut ut poterant, refovebant, ad Divam Claromontam vota promebant, cum peregrinationis proposito; quæ, ad primæ sanitatis beneficium, reduxerunt moribundum, Anno 1590.

Post annos tredecim, scilicet Anno 1603. fregit pedem, adhibiti Chirurgi, hoc solum agunt, quod loquimur, lavant laterem. Iterum claudus ad Divam vota & supplicationes festinat, plenaquè sanitatis gratiâ potitus, gratias Divæ agit.

23. REplicatur in eodem prodigialis favor MARIÆ, Anno D. 1612. morbis immedicabilibus oppressus, ut ordinariâ viâ procederet ad miraculum, per medicorum, quos adhibebat desperationem, contendebat, à salutis Ara MARIA salutem implorando, quam consecutus, beneficii memoriam in Tabulas Mariæ magnalium retulit. Advertendum itaque, quod Cæsarius loquitur Lib: 1. miraculorum Cap: 1. *Apud Mariam Electuaria sunt confortativa, unguenta sanativa. Nomen eius super mel dulce, infirmis & moribundis assistit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam.*

Cæsarius libro 1. cap: 1.

24. QVàm labilis sit cursus vitæ præsentis, palàm fecit vitæ periculum G. D. Eliæ Michaëlis Rymwid, Vicecapitanei Liden-

Lidensis. Cracoviæ sub tempus felicis Coronationis Serenissimi Regis IOANNIS III post febrium æstus malignos, dum sangvis, quem cura medicorum sistere non potuit, liberali scaturigine manans langventem deficit, huc ad medicam opem Mariam recurrit, quam expertus ad vota, præsentem gratitudinem exolvit. Anno 1676. 29. Februarij.

E Bohemia allatum est, quod subnectitur; A R P. *Adamus Krebs*
25 ab Althoff Bohemus Parochus Shenfeldensis, inter liberiores jocos, gravè in sinistra manu vulnus accepit, quod ad totius vitæ cladem sufficiebat. Quidquid studi fuit in Archiatris adhibitum, sed omnes curæ usq; ad desperationem processerunt. Sola fama Divæ Claromontanæ Magnalium in recordationem veniens, pius indidit desiderijs stimulos, ab ea vitam precari. Huc vota nuncupat visitationem pollicitus, quorum ne diu reus teneretur, Maria fecit, quæ incolumem hic ad Aram cum gratiarum actione stitit. Anno 1663. 15. Augusti. Venite devotæ Mariæ mentes, & negotium salutis nostræ, dum lædimur, saluti Mariæ proponamus. Vocat D. Bonav. in Psalt. B. V. M. *Venite exultemus Dominæ nostræ: iubilemus salutiferæ Mariæ Reginæ nostræ, præoccupemus faciem ejus in jubilatione, & in canticis collaudemus eam. Venite adoremus & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra. Impetra nobis indulgentiam plenam, assiste pro nobis ante Tribunal* DEI. D. Bonav.

EX duorum authographis duo illustria propono miracula: N.
26 *Florianus Chocinski* aliquot globis bombardinis petitus, læsus lingvam crassioribus è plumbo frustis, dum medicam manum desperabundi removent Chirurgi: suspirans ad Tutelarem Divam, cum proposito visitandi ejus limina, in Claro Monte, à vitæ periculo quod imminebat, præservatus est, nec è vulneribus lingvæ læsæ vitium in loquela contraxit.

ET N. D. *Adamus Moczárski*, è Districtu Visensi Ducatûs Masoviæ,
27 vitam Divæ nostræ debet. Leopoli ex insidijs letalibus vulneribus affectus, inter sanguinem & vulnera langvebat. Peregrinatione ad Imaginem Odigitriam apud Divam sanitatem licitatus convaluit, gratesq; solvit, Anno 1627. 5. Novembris. Tanti venit salus Clientum MARIÆ, uno suspirantis affectûs pretio comparatur. Qui sua vulnera sentit, palpatq; malagma petiturus ad Aram recur-

rat confidenter. Huc invitat D. Anselmus in Meditat: *Qui eum fecit, ut ipse per maternam generationem esset naturæ nostræ, & nos per vitæ restitutionem essemus Filij Matris suæ, ipse nos invitat ut confiteamur nos fratres ejus. Ergo iudex noster, est frater noster; Salvator noster, est frater noster; denique Deus noster, est factus per* MARIAM *frater noster. Quâ igitur certitudine debemus sperare, quâ certitudine possumus non timere, quorum sive salus, sive damnatio, de boni fratris, & piæ Matris, pendet arbitrio, quo etiam affectu hunc fratrem, & hanc Matrem amare debemus, quâ familiaritate nos illis committemus, quâ securitate ad illos confugiemus, quâ dulcedine fugientes suscipiemur?* D. Anselm. in Meditat.

VEtustum in adolescente miraculum, quod centum & am-
28 plius annorum spatio, ad venerationem incanuit, redit in memoriam. E Moravia vota soluturus in Claro Monte, viam carpebat Adolescens (nomen cognomenquè antiquavit cursus annorum) in latrones incidit, à quibus ferro concisus, pro mortuo relictus est, tractus in obliquos nemoris recessus. Viribus miraculo roboratis reptavit in propinqvum pagum, nihil secum trahens præter vulnera letalia, in quo diebus triginta decumbens, sine cibo, modico potu vitam refovebat. Deest amicus misero, quia non est census. Iro Pauperior, qui non tantùm viles reculas, sed prætiosam quoquè salutem amiserat. Hiant vulnera velut ora, & misericordiam sine voce clamant, sed necdum oculi in aures transierant, qui supplicem necessitatem perciperent. Putrefacta vulnera, pute manabant, arcebantq; humanum obsequium, quo destitutus, Numen MARIÆ, cujus locū veneraturus properabat, invocat repetitis affectibus. Erat, quod diu suspensa in Vigilia lumina, ad quietem composuit, clausis oculis videt, quod alias nunquam Argo concessum, adesse Augustissimam Cælorum Imperatricem MARIAM, hæc agit Archiatram, detergit manibus mephytim, componitquè hiantes plagas, ungit, demum leni contactu persanat. Non vana fuit Imago, nam quod fieri cernebat oculo mentis, in se expergefactus vidit lumine corporis; Surgit stupentibus Paganis ad sanitatis admirandam restitutionem, fert ad Clarum Mōtem decora Marianæ pietatis stigmata gratiæ præco. Cuius memoria in Albo miraculorum consignata Anno 1626. Neminem despicit MARIA ideoq; prout advertit Hugo Cardinalis super Magnificat: *Ad illam respiciunt, & qui habitant in inferno, id est in purgatorio, & qui habitant in mundo; primi ut resarciantur, secundi ut eripiantur. tertij ut reconcilientur; ex hoc ergo Beatam te dicent omnes generationes ó Beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam & gloriam genuisti; mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam.*

29 NOn procul eſt ſangvis à vulnere N. *Stanislaus Podſkarbſki* letali vulnere manum ſiniſtram læſus, ſangvinem cohibere non potuit. Credidit Chirurgo fatiſcentem in deliquio vitam, ſed hæc continuo ſangvinis fluxu dilabebatur. Neceſſitas ad Divam coëgit. Spondet ejus Sacram Imaginem in Claro Monte inviſere, quo propoſito meruit ſiſti rivum ſangvinis, & vitam in melius inſtaurari. Anno 1549.

30 TRibus diebus & noctibus largo latice fluente ſangvine, letali fatiſcebat deliquio G. D. *Albertus Koſſowſki*. Vt animo Divam Claromontanam appellavit, clauſæ vitæ effluentis cataractæ ægrum extra periculum fecerunt, qui huic loco ſe vitam debere teſtatus eſt Anno 1698 3. Iunij. Hoc ipſum fideles experiuntur, quod D. Birgittæ lib. 1. Revelat: cap: 31. legitur dixiſſe D. Ioannes Bap: de SS. Virgine: *In quacunq; neceſſitate fuerit homo, ſi cœli Reginam, Matrem Dei, toto corde invocaverit, exaudietur.* D. Birgittæ Lib: 1 Revel: cap: 31.

31 IN Palatinatu Siradienſi *Hedvigis* quinque menſium puella N. *Ioannis* & *Catharinæ Lykowſka* Filia, ſangvinis fluxu laboravit, quem nulla ars ſiſtere potuit, ſvaſu Nobilis Viri *Simonis Gaiewſki*, (qui hoſpes aderat) ad Divam Częſtochovienſem oblata, ſecura in poſterum ſanitate fruebatur. Anno 1631. recognitum 12. Maij. Sangvinis fluxus ſiſtitur

32. HAbet ex hoc loco ſuam Cyropheniſſam MARIA, quæ ad ejus thaumaturgam Aram, ob cohibitum ſangvinis fluxum, erigat monumenta gratitudinis. *Anaſtaſia Wardżieiowſka* hoc lento gravid; vitio fatiſcebat. Nihil intermiſſum ex artibus medendi, quod profuturum putabatur, fruſtra tamen omnia. Damnat curas, ſpeſq; humanas, ad Divam Claromontanam converſa, opem implorans, cœleſti medicamine perſanata, gratias ad Aram ſupplex perſolvit Anno 1633. 5. Iunij. Fluunt iugi alveo beneficia Mariæ. Audi Richardum à S. Lauren: lib: 9 *MARIA alveus contiguus ipſi fonti vitæ, qui Chriſtus eſt, quia locus Matris ad dexteram Filij, & ab illo fonte ad corda humilia decurrunt rivuli gratiarum hoc alveo mediante. Hic eſt alveus torrentis de quo legitur 4. Reg 3. circumdatus foſſis, id eſt humilitate. Ipſa etiam dici poteſt alveus torrentis ſapientiæ, & ſitula, ex qua deſcendunt iugiter ſtillicidia gratiarum, conſolationum, aſpirationum, illuſtrationum.* Simile. Rychardus à S. Lauren: lib: 9 de laud: B.V.M

C A-

CAPUT V.

In diverſis neceſsitatibus alijs, hinc devocata ſubvenit Clientibus MARIA.

33 M. D. *Alexandri Iudicki* Ducis Cohortum Exercitûs S.R.M. Filio, *Nicolao* nomine, ad cœnam in feſto Divæ Virginis ab Angelo ſalutatæ, adeo pertinaciter os piſcis hæſit in gutture, ut mortem ipſam glutijſſe videretur. Parum aberat, ne ſuffocaretur diuturno tormento, cujus arma nullis conatibus retrahi potuerunt. Salutis conſilium inſpiravit religio erga Divam Claromontanam, addictiſſimo parenti: ut enim ſtatuit votis ſiſtere ad Aram Filium, ſubitò illud funeſtæ mortis inſtrumentum ejicit. Anno 1664. Oſſe præfocatus.

34 ALia nobis à caſibus obtruduntur vitæ diſcrimina, alia in nobis naſcuntur, vivúntq;. Apoſtema quoddam peregrinū, naſum implevit filio G. D. *Ioannis Olſtańſki*, quòd vermes fundens, ex illo quoque verminante ſinu, in alia membra letalem peſtem dimanavit, ad hæc cumulavit ærumnas morbus major, quem placare nulla ars potuit. Itur ad Medicam opem Mariæ, puer ad limina Divæ Claromontanæ ſiſtendus promittitur, pauloq; poſt integrè ſanus, vota cum Parentibus ſolvit Anno 1599. Quemadmodum morti, ità & gratijs MARIÆ. nulla ætas eſt immatura, verè in illis *Magnificentia tua Domina prædicatur in ſæculum, qui autem colunt te, invenient viam pacis. Servite illi reverenter exultantes, & ſanabit vos benedictus fructus caſtiſſimi ventris illius. Reſpice Domina humilitatem Servorum tuorum, & laudabunt Te in generationibus ſeculorum. Magnifica nomen tuum in multiplicatione gratiarum Tuarum, & ne ſinas Servos Tuos ſubiacere periculis* Apoſthema verminans. D. Bonavent: in Pſal: B.V.M

35 COmmune eſt hominum pati mortalia, à quibus neminem abſolvit natura. G. D. *Georgius Wilczek* ex Sileſia, Heres in Dębieńſko, ſplenis doloribus correptus & colicâ affectus, ſedecim hebdomadis æger decubuit. Ad æternitatis ingreſſum Sacramentis munitus, abſtractum à medicinis animum ad Divam Claromontanam convertit, abſolutúſq; morborum, qui in necem conſpiraverant, anguſtijs, vota cum Conjuge ſolvit Anno 1624. Multiplex dolor.

36 IDem parq; vitæ periculum quamvis à diverſa cauſa profectum in Viro Nobili *Martino Niewiarowſki* è diſtrictu Sochaczovienſi.

 Ne

Vaßemberg: in Vladislao Rege.

Ne patriam indolem (quam Vladislai I V. Polonus Orator apud Vrbanum VIII. luculento præconio, à rudiorum laborum exercitio, dum ab armis bellisq; vacat, dilaudavit) otio domeftico torporeq; infamaret, hyemis tempore in fylvam ad operas profectus, fudantibus in fublevatione gravioris pinûs vires iunxit, fed nifu violento fractus, æger domum deportatur, & quatuor hebdomadas ad mortem decumbit. Præhabuit corpori, curam animæ, ad cujus expiationem advocatus A. R. D. *Ioannes Parzenezewski* Præpofitus in *Bolemow*, ut paulò poft moriturum vidit facro delibutum ceromate, ad mortis imminentis luctam præparavit. A curis animæ, ad corpus vertit cõfilium; moribundum Divæ Claromontanæ devovet, qui refumptis miraculo viribus, vota, quæ fuo nomine nuncupata accepit, rata habuit, folvitq; Anno 1624. 11. Maij. Quifquis Mariæ beneficium percipis, intellige miferentis ingenium. Primum Divinæ mentis exequitur propofitum, in quo (ut ait Andreas Creten de Dorm: B V. M.) *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renovandam, fola defervivit Opifici univerfæ naturæ.*

Moribund⁹.

Andreas Cretenfis

Vifcerum tormina.

37 MARIA Servos & Clientes coronatos habet. Si enim illi fervire regnare eft, quid erit aliud gratijs & miraculis ornari, quam coronari? Nobilem *Stephanum* dabo, qui tractus illecebris gratiæ, fuam, Divæ noftræ mancipatui, obftrinxit libertatem, in quo fuam liber amaret fervitutem. Hic eft G. D. *Stephanus Kozerfki* Aulicus Illuftriffimi ac Celfifsimi Principis, Cafimiri Floriani Ducis in Klevan Czartoryfki, Regni Primatis. Anno 1661. 14 Iunij, in via Częftochoviam versùs, interaneorum torminibus, alijfq; medicam facultatem excedentibus affectionibus torquebatur, nihil iuvante medico, qui præfto lenire dolores conabatur. Ad Divam recurrit, contra commune confilium quo fvadebatur, ne fe itineri committeret, æger in curru vehebatur, ut primùm Clarum Montem à longè confpicatus eft, ex curru profilijt integrè fanus, totumq;, quod fupererat itineris, pedes confecit. Teftes miraculi Illuftriffimus Princeps, & Perilluftris & Adm: Reverendus *Simon Otręboß* Canonicus Vladiflavienfis totaq; Aula. Hæc ftrictim ex Apographo, quod, R. P. *Matthias Orzewfki* Soc: IESV, oculatus gratiæ teftis, exaratum, in acta dedit. *O Pia, ô Magna, ô multum amabilis MARIA Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium Te, Tu nunquam fine dulcedine Tibi divinitus infita, memoriæ portas ingrederis. Et nunc fequimur Te ô Domina, ex totis præcordijs vociferantes, ad Te, Adiuva imbecillitatem noftram, aufer opprobrium noftrum ô MARIA.*

D. Bernard: in Deprec: ad B. V. M.

38. D:

38. D. Ioannes Damafc: de Dormit: Deip: Titulum infcripfit MARIÆ, eam *omnium cordis dolorum medicamentum appellando*, & quàm verè, exemplum docet. Honefta Civis Poznanien: *Anna Brzezińska* graviffimos cordis dolores, & palpitationes paffa, nullum ab arte medica levamen capiebat. Quo recurrat pro medicamine cor Annæ, quàm ad *Reginam Cordium* Mariam? In maximis illis cordis malè affecti anguftijs, ad Aram Divæ Claromontanæ feftinans, optatum cordis lenimen & malaciam confequitur 1595. 3. Septemb: Inquietum eft cor noftrum, donec in finu Tuæ protectionis conquiefcat. Ergò *Miferere mei Domina & fana infirmitatem meam, tolle dolorem & anguftiam cordis mei! Cor meum MARIA.*

D. Damafc.

Cordis doloribus medetur Maria.

D. Bonav: in Pfalt: B. V. M.

39. QVæ cordis medetur doloribus, oris quoq; perfanandis putoribus affundit mifericodiæ balfama MARIA N. *Hedvigis de Smogorzewice* à Skrzinno, miferabili filia dolore affligebatur, acredo peftilens ferpebat, gingivas & os depafcens, vultui deformitatem induxit. Majus humano remedio erat malum, ad Montem Aromatum, Montem Clarum vota feftinat, quorum beneficio primum vigorem decoremq; recepit Anno 1598. Fœtorem peccatorum noftrorũ extingve gratiæ Tuæ fragrantiâ, ô Maria, nam Tu es (ut in vetufto Miffali Ecclefiæ Cracov: lego in Profis de Domina)

Vultus deformitas per fanatur.

Porta claufa Fons hortorum
Cella cuftos ungventorum,
Cella pigmentaria
Cynamomum, Calamum,
Myrrham, thus, & balfamum
Superas fragrantiâ:

Vetus Miff: Eccl. Crac:

40 ANnorum quatuor Filius Civis Pizdrenfis *Laurentij Kudłowicz* domo profugus in remotiorem filvam fecefsit hyemis tempore. Serò advertunt Parentes, Divæ Claromontanæ protectioni devovent amiffam prolem, peregrinationem ad ejus templa polliciti. Infpiratum confilium fecuti, Puerum in Silva quærunt, inveniunt biduo jejunum, & ab algoris fævitia mirabiliter protectum Anno 1636 Dicite quifnam nutrivit fovitq; Puerum in apertis frigoribus, nifi Maria, quæ D. Ephræm: dicitur *Clibanus intellectualis:* qui ignem & panem vitæ folidum mundo in efcam adtulit, nifi ea, quæ eft fecundùm, D. Bonav: in Litan: *Miferorum pia confolatio, vera falus, & beatitudo, Mater orphanorum, Mamilla parvulorum, Confolatio afflictorum MARIA.*

Amiffus Puer invenitur.

D. Ephræ.

D. Bonav: in Litan.

41 Pe-

Vultus contortus.

41 PEtrus de Niemirow Oppido Russiæ, puer pervicax, insolentius parentibus obstrepebat, sæpius ore contorto Matri illudere solitus. Qui præceptum de honorandis dedit parentibus, non tulit illam à puero illatam impune contumeliam, sed protervum os vultúmque ad occipitium detorsit, ut cum suo probro meritam protervia pœnam portaret, & contumaciæ parentum contemptricis vindictam, ad correctionis exemplum ostenderet. Octiduo illud, injuriam parentum ulciscentis Dei portentosum spectaculum, miser circumferebat, donec rediens ad cor, pœnitudine ductus, offensam seriò deprecaretur. Vultûs corrigendi gratiam precatus à Diva cum peregrinationis Claromontanæ proposito impetravit. Anno 1642. vota solvit. Quis invocavit eam, quis speravit in ea, & confusus est? Nemo ô Domina? ideóque confidenter cum D. Augustino precamur *Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia, assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi.*

D. August.

CAPVT VI.

Huc Accedentia.

Moribundus infans revalescit.

42 SVis curis dignatur & Pontificales Infulas in hoc loco MARIA, ad quas fovet, conservat, promovet ab ipsis cunabulis destinatos. Patet in Illustrissimo ac Reverendissimo Domino STANISLAO HYACINTHO SWIĘCICKI, Episcopo nunc Chelmensi, qui, ab infantia, Dei timorem, Matris ejus amorem, traxit ex indole Inclitissimi Patris, suxit ex ubere Matris pientissimæ. Genuinæ recognitionis ejus hîc stylum, manu ejus propria conscriptum pono, quàm ad Marianæ Domûs Archivum dedit:

Virgini Beatissimæ, cujus maximis Diva Effigies in Claro Monte Czestochoviano, totam Sarmatiam ditat hucusque beneficijs, quò magis populus vota sua devotiori mente offerat, ego infrascriptus in mea Persona receptam publicis fero tabulis gratiam in Anno 1616. Die 14. Octob; Nobili Patre IACOBO *de Swiecice, & Matre* CATHARINA WĄSOWSKA, *stemmatis Łada, quàm genuit Catharina ex familia Duninorum, natus sum, nulliusque alterius nisi propriæ Matris meæ sugere ubera volui, quæ, cùm singulis annis secunda Dominicâ post Pascha visitare Sacram Czestochoviensem Imaginem consueverit, multosque (proprio sumptu alendo) secum duxerit; diu mente voluebat, an solitæ devotioni, vel necessitati infantis parere debuerit, cùm infans lac alterius fœminæ omnino exhorreret. Vicit piæ Matris erga Virginem summa devotio, relicto filio (sperando infantem in absentia Matris alterius feminæ potuisse lacte nutriri) destinato itineri sese accinxit, pedibusq; iter conficiens Czestochoviam ingressa Sanctissimæ Virgini, tum pro suscepta mascula prole gratias, tum pro conservatione ejusdem preces fundendo. Peracto demum suo devotionis modo; currum ascendens, domum altera septimanâ rediit. In ipso reditu nuntium satis accepit tristem, scilicet Filium in agone extitisse, eo quòd quatuordecim diebus sine congruo remanserit alimento. Irruit domum mœsta Mater, recipit vix jam spirantem Filium, speciem quandam cadaveris referentem, flexisque genibus ante Iconem Czestochovianam, quam penes se domi semper habebat, Divæ Matris auxilium imploravit; & ecce Misericordissima Dei Mater infantem ploranti mox restituit sanum, quem sic accipiens, novum arripit iter, Czestochoviamq; sanitati restitutum ante Imaginem cum gratiarum actionibus deponit, offertq; supplicando, ut eundem in suam recipiat protectionem. Grata tanti beneficij Parens, in me indigno Filio recepti, singulis annis jam ex voto, supra præfato tempore, locum Czestochoviensem visitabat, me Filium suum, quem ex secundo Matrimonio unicum*

habuit, patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ *commendando. Sed & Beatissima Virgo devotæ Mulieri magnam sæpe præstitit gratiam: etenim quatuor vicibus paralysi affectæ, per unum, & alterum diem sine cibo, sine loquela existenti, vitam integram toties donavit, quam in media nocte, secundæ post affectionem, vel tertiæ diei, integris viribus secreto preces recitantem, domestica invenit familia, &c. &c.*

Ita testor ego Stanislaus Hyacinthus Swięcicki Episcopus Spigacensis, Scholasticus Gnesnensis, Decanus Vladislaviensis, Archidiaconus, & ad Sanctum Georgium Præpositus, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Varsauiensis, ac per Ducatum Masoviæ Generalis.

B: Laurent Iustinianus in serm: de Purif: Mariæ.

Descripta MARIA

En Præsul Illustrissimus, interventu meritorum precibus exoratæ Mariæ, suam, suaque lectissimæ Parentis redonatam sæpius vitam profitetur: exinde, nonne meritò *Interventricis Mundi* Nomen ei attribuendum est? & attribuit B. Laurentius Iustinianus in sermone de Purificat: Mariæ, postquam luculento pulchritudinem ejus præconio dilaudavit: *Erat profectò ipsa talis, & tanta, ut illi minimè reperiretur similis. Erat inquam corpore Virgo, carne incorrupta, prole fecunda, virtute perfecta, moribus composita, sanctitate redimita, honestate conspicua, corde ignita, animo suspensa, gratiâ plena, sapientiâ perfusa, Deo conjuncta, Verbo propinqua, mysterijs Divinis imbuta, Angelorum consortio custodita, & Spiritu Sancto absq; temporis intervallo possessa, sibi namq; illam in Sponsam delegerat, sapientia in Matrem, in suam* Interventricem *Mundus, Angeli in Dominam, & Æternus Pater in Filiam.*

In malignis febrib° salutare refrigerium expert°

43 I*Nterventricem* expertus est, & hîc professus, suæ salutis Opiferam Mariam, Perillustris ac M. D. *Stanislaus Borkowski* Castellanus Polanecensis. Genuinum ejus Authographum refero:

Ego Stanislaus *de Magna Skrzynno Dunin* Borkowski *Castellanus Polanecensis, attestor; me ex gravi morbo malignæ, post vigesimum quartum diem, ope Divæ Ma-*

tris Claromontanæ mirabiliter convaluisse. Post omnia signa, quæ mortem præcedere solent, à Medicis totaliter desperatus, intra aliquot horas mortem expectabam, accepta gelidæ aquæ potione, cum glacie, ac nive mixtæ, jam non contradicentibus Medicis, factis priùs votis, ac supplicationibus ad Divam Matrem Claromontanam, ut in vetita potione potiùs medicinam cælestem, non toxicum illud sumerem. Illico in horrorem, postea in sudores resolutus fui. Illo momento non tantùm adstantes domestici, verùm & medici me non naturaliter, sed ope Divinæ Matris, de tam certo mortis periculo, ereptum testabantur. Gratus ergo tanti beneficii, è Palatinatu Lublinensi huc ad S. Imaginem Virginis Beatissimæ, gratiâ exolvendarum promissionum, pro illo tempore adveni, promissaq; præstiti, in Anno 1667. Nunc demum factus certior, quòd à Patribus miracula penes hanc Sanctam Imaginem facta examinantur, ut typis dari possint, hanc meam recognitionem accepti beneficij, sub fide jurata Senatoria relinquo. Dabantur Czestochoviæ Die 13. Novemb: Anno 1674.

(L. S.)

Idem qui supra *mpp:*

Interveniendo apud Deum pro suis Clientibus Maria, & meritorum suorum thesaurum, in nostræ naturæ paupertatem gratiâ ditandam erogat, ex quo salutis vena moribundis promanat. Hæc ardores pestilentiales restingvit. Testatur idem, non tantum ornamentis avitissimæ Prosapiæ, verùm & erga Divinam Matrem, Montemq; ejus Clarum religione Cliens Illustrissimus, de illius gratiæ plenitudine libando dulcedinem, quòd, secundùm Richardum à S. Laurentio Libro 9. de Laud: Virg: Mariæ. *Pater ei (Mariæ) Fons est, Filius rivus procedens* *Richardus à S. Laur:*

ab isto Fonte, Spiritus Sanctus procedens ab utroq; dici potest Stagnum superius; quia continet plenitudinem gratiarum; MARIA quasi stagnum inferius per humilitatem, quæ omnia Charismata, & dona gratiarum, quæ procedunt à Patre, & Filio, suscepit, Spiritu Sancto descendente in eam. Festivè Alcuinus accinit (in Prooemio 9.) MARIÆ.

Stagnum Maria.

Alcuinus

Tu Regina poli, campi Flos, Lilia Mundi,
Hortus Conclusus, vitæ Fons, VENA SALUTIS.

44 INvocantibus præstò Mater Clementissima, & celebratissima MARIA, semper, & ubiq; ad robustæ fiduciæ mensuram, ex hac Mensa solatiorum salutares micas participat Clientibus; quia ubertas gratiarum ejus, nec verbis explicari, nec mortalium necessitatibus potest exhauriri. Antecedentium sæculorum anni, menses, dies revocati in testimonium assurgunt: sed & Anno hoc, dum hæc ex prælo in lucem prodeunt, in testimonium fit supplex ad Aram thaumaturgæ Virginis G. D. *Alexander Marcus* in Psary *Psarski*, cum sua Consorte *Mariana Zaborska*. Uterq; in Roiow, Hereditaria in Ostrzewiensi territorio possessione, cùm ægritudine confecti, temporibus diversis, extremo langvore consumuntur, ultimum vitæ jam jam intereuntis terminum præstolando; votis ad Montem Clarum, Aramque salutis in hoc loco MARIAM, ad quam, hanc Adstes luctæ supremæ Confessarius, illum Conjunx devovebat, vitam jam desperatam meruerunt. Hic Matrem viventium venerati, cum gratiarum actione, authographum accepti beneficij, subscriptum, sigilloq; firmatum dederunt, Anno 1681. 22. Februarij. Non mirum, quòd adeo prodigia, & prodigiosa largitate commodis mortalium prospiciat MARIA, quæ dotalia munera gratiarum in omni plenitudine possedit, tanquam Patris Æterni Filia. Suffragatur asserto meo authoritate sua Simon de Cassia Libro 2. de B.V.M. cap: 1. *Divina Virgo, Filia Patris æterni, plus habet in occultū suū, quàm capiat hominum mens, quàm possit sermo proficere, quàm scribi membranis: quam sibi totam cooptavit ille, qui condidit; ad nil aliud, quàm ad Divina perstruens, ut Dei Mater esset, & Filia. Tota in se formosa erat, & tota in virtutibus, & actionibus forma, & exemplar æterni exemplaris.*

Ex varijs morbis.

Simon de Cassia lib: 2 de B V.M. Cap: 1.



ANA-



EXPLICATIO LITERARUM

A. Paries Muri ab Oriente.
B. Capella miraculosæ Imaginis B.mæ
C. Pars Septentrionalis Monasterji.
D. Muri tormentis deiecti.
E. Aliud Propugnaculum in vertice dirutum
F. Potior pars Villæ combusta.
G. Capella Sancti Rochi.
H. Monasterium et Ecclesia S. Barbaræ
I. Prædium Monasterii & Horreum.
K. Declinat Hostis ad radices montis.
L. Munitio ab Austro contra Portam.
M. Tormenta Stativa 4. á parte Septentri.
N. Cuniculus Subterraneus hucusq. productus.
O. Excursio nocturna per Claromontanos.
P. Excursio diurna ad pet 2. Stativæ
Q. Procursus Excubiarum diversi contra Excursores
R. Peditatus Wolfii e Severia in Castra ducitur.
S. Pyrobolus ... retro abiens
T. Virgo B.ma et S. Paulus P. E. hosti apparentes.
V. Capella S. Iacobi.
Y. Civitas Częstochowa.
Z. Peditatus ad invadendum Monasterium instructus.

Joan. Alex: Gorczyn excudit Czestochoviæ
Joh. Benzheimer f.

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS.

SEV

HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO XI.

Obsidionis Claromontanæ per Svecos & alios Hæreticos seriem DIVÆ *prodigijs illustratam, & solutionem complectitur.*

Hic apparet Ex Esther cap:

HONORIFICENTIA POPULI NOSTRI MARIA.

PErtinebat ad æternæ gratitudinis memoriam hic reminisci Obsidionis Claromontanæ, quam miraculis constare ad solatia Patriæ, ut intelligas testimonium in suo cursu pono Celsissimi Illustrissimi Principis Regnique Primatis CASIMIRI FLORIANI Ducis in Klewan CZARTORYSKI. *Expungantur memoriâ hominum, & quæ nunc facta conspicimus, & quæ aliquando in Monte hoc ad ampliandum suæ Divinissimæ Matris honorem, Altissimi manus patravit memorabilia, maneat verò unicum hoc: Mons Clarus tutelâ* MARIÆ *inter cineres fumantis Poloniæ solus illæsus, solus reviviscentis Regni saluti servatus, solus confundendæ hostium potentiæ relictus integer, ac inter ruinas urbium, Castellorum, omni hostium impetuoso furore superior. Omnem proinde Regno Poloniæ integritatem, publicas, privatasquè Reipub: fortunas, Ecclesijs cultum* DEI, *& avitas immunitates servatas restitutasque cogitemus ope solius à Claromonte* MARIÆ. Hæc Illustrissimus Princeps. Iam hic patrata prodigia, & magnalia in suas classes distributa propono.

CAPVT I.

Obſidionis Claromontanæ præſagia nonnulla & occaſio.

Polonia labefactata ab hoſtibus.

1. POſt felicem ad meliorem vitam diſceſſum VLADISLAI IV. Regis Poloniæ, qui cùm nondum regnaret, ab VRBANO VII. *Septemtrioniũ decus & fidei præſidium* eſt appellatus, ubi variorum hoſtium arma ditiones Poloniæ ſubiectas laceraſſent, & Sveciæ Rex GVSTAVUS cum apparatu bellico ſeſe Regni viſceribus intulit, eo tempore, quo Polona virtus, Kozakorum, Tartarorum, Moſchorumquè vi enervata putabatur. Suſcepit violenter obiectam belli molem Sarmatiæ Mars, eò de ſucceſſibus Victorioſis certior, quò belli cauſa iuſtior. Et quidem non fefelliſſet benè ominatos eventus expectatio, niſi ea deſertorum Regis, proditorumquè Patriæ Monſtra, in ſinu ſuo foviſſet, quæ viperino morſu viſcera lancinando, ſpes omnes enecabant. Hoſtile ingenium in hæreticis, qui caſtra Vandalorum ſequebantur, cùm profana omnia immenſis cladibus populaſſet, Templis Ariſquè nòn parcebat. Quamvis autem felicitarentur ſucceſſus Sveciæ Regis, verebatur tamen, ne diſperſa nobilitas, animis, viribus, armiſquè collectis, in copias militares coacta, aut occupatas munitiones Svecorum præſidijs invaderet, aut nec dum inſeſſas occuparet, ad urbium aliarúmque munitionum ſecuritatem procurandam diverſos Duces deſtinavit. Millerum Generalem Vicarium majori præfecit Poloniæ, cui demandavit, ut Clarum Montem in ſuam redactum poteſtatem, firmo præſidio communiret. Datum hoc Millero Generali Vicario Sveciæ Regis mandatum, innotuit *Veichardo Comiti* à *Wrzeſczewicz*, qui trahente moram in expugnatione Millero, aliquot millibus armatorum ſtipatus, Clarum Montem aggredi non formidavit. Compluribus videbatur impelli rationibus ad maturandam expugnationem *Wrzeſczevius*, tum, ut fidelitatem ſuam, nec tardatam ad obſequium Regis operam, comprobaret; tum, ut Regiam benevolentiam gloriæquè militaris inſignia Millero præriperet; tum demum (quod quidem veriùs reor) ut congeſta hoc loco Nobilitatis, Procerúmquè gazâ potiretur.

Svetica caſtra conſtabant hæreticis.

In occupandis & muniendis fortalitijs Svecorum ſtudium.

Cauſæ oppugnationis Claromontanæ.

Obſidionis præſagia.

2. ET tantò hæc funeſtiora acceſsêre Poloniæ, quantò luculentiùs docente Cœlo cognovimus, læſos Superos indignari. Cometis complurib⁹ longè ante, ut lingvis Cœli, portendebatur hæc ordinatiſſimæ Reipub: confuſio. Id inprimis malè ominoſũ erat, quòd Anno

1654.

1654. 10. Februarij fortuito incendio Claromontana turris dejecta, non mediocre damnum baſilicæ & ſubiectis intulerit ædificijs. Fatalis idem Annus erat, qui & in hypogeo noſtri cœli formidabiles ſcenas explicabat: nam præter alios frequentiores & inauſpicatos Cometas, illud portentoſum, in ſolis ad occaſum vergentis facie, tot ruinarum, cædium, promiſcuæq; per ditiones Sarmatiæ vaſtitatis, præſagum apparuit ſpectaculum. Anno eodem, 9. Iunij ſuper naſum occidentis ſolis Crux in Cor viſa converti, quod mucrone tranſverberatum in ſiniſtram ſolis partem deflectens, ſtetit ſub oculo, ſub altero verò ſolaris vultûs oculo, viſa eſt, armata manus pomum tenens, quod ſeſe per oculum ſurſum attollens, ac in quatuor minores partes diviſum, ſuper oculi ſupercilium ſubſtitit, tandem ſuper ſolis clipeum aſcendens, minacem virgam repræſentavit.

Fulmina.

Cometæ.

Formidabile in Sole occidẽte oſtẽtum.

3. QVid adeò formidabiles Cœli imagines referebant? Nonnè ſol occumbens inclinatam ad interitum Poloniæ Serenitatem præmonſtravit, cui ſemper ſalutare ſtigma Crux cordi fuit, ipſaque Religionis Cruciſque propugnatæ ſigna, in cor abierunt, exinde ſemper ſuis redundaſſet ſolatijs, niſi inimicus contra Crucis cultores exertus pugio tranſverberans Cor, immedicabile vulnus inflixiſſet. Creviſſet auſpicijs Cœli felicitas, niſi Polonus Orbis in pública ſolis facie, per tot viciſſitudines temporum, hoſtium armatâ manu jactatus, ludum fortunæ feciſſet. Porrò, quid innuebat quadripartitum imperij pomum, niſi illud monſtrum quadriceps, ſuperbiam ſcilicet Kozacorum fœderatorum Tartaris, Moſchorum, Turcarum, Svecorumque armis illis Patriam dilacerantium? quid virga minax? imminentem certè caſtigationem Dei, crimina plectentis: poſtquàm enim Patriæ libertatis poteſtas, in quodlibet audendi licentiam mutata, extra humanum Divinumquè fas cœpit evagari, Virgam furoris Domini ad vindicationem laceſſivit.

Oſtentorum interpretatio.

4. NEque tacendum eſt, quòd anno illo Sveticam irruptionem præcedente, fulmina paſſim per urbes & oppida ingenti ſtrage turrium & domorum faſtigia deijciebant, quæ ne fortuitis eventibus imputarentur, armis deinde hoſtilibus fulminata, igne vaſtata Polonia propalam demonſtravit; nec contemnenda fuerunt eo tempore Martialia puerorum exercitia, qui paſſim illis temporibus ſuæ cladi proludendo belligerabant. Obſervavimus & in Imaginis Sacræ vultu deliquia, quæ cùm antea nil niſi leporem, gratiámque ſpirabat fronte in nubem collecta, iam indignanti, jam miſerenti ſimilis, taci-

Puerorum belligerantium præſagia.

In Sacra Imagine mutationes.

tam.

tum dolorem, ſtuporémque cogitationibus ſpectatorum ingerebat. Quid Lucis noſtræ deliquia, nonnè calamitates, & damna præſagiebant? Quamobrem, ſicut illi, monſtris Cœleſtibus mala noſtra portendenti ad occiduam plagam lumini, ita Luci noſtræ apprimè convenit, quòd grandia terris præmonſtraſſet.

Virgil. Georgic.

Sol tibi ſigna dabit? ſolem quis dicere falſum
Audeat! ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpè monet, fraudéſque, & operta tumeſcere bella.

CAPVT II.

Hoſtium aſſultus, & oppugnatio.

Quare attingi non poteſt hoſti- li veſtigio Mons Clarus

5. PRopoſiti memor, miracula refero, ſine quibus attingi tentarique non potuit Mons Virginis. Ea ſunt prima, quæ vidit Bizantinus, cùm Imaginis ejuſdem præſidio, barbarorum impetus, veluti inexpugnabili Clypeo propè quingentis annis retundebantur; quæ Roxolanus veneratus eſt, cum ejuſdem obiectu Tartarorum acies ſternebantur. Movit Svecus exercitum, Caliſſio versùs Częſtochoviam, ſed arcano quodam terrore prohibitus, ab oppugnatione animum abiecit. Secundò minùs tamen ſecundis, quàm antehâc avibus, Petricoviâ inſtructiſſimum apparatu bellico, ad occupationem Arcis Marianæ expedivit exercitum, & hic deterritus, receptui cecinit, ſentiens fati cujuſdam neceſſitate ſe prohiberi. Occupatur circa Cracoviam, ubi cùm improba vota haud mediocribus felicitantur ſucceſſibus, tertiò expedivit belli robur contra baſilicam. Quid autem moraretur obſidionem, acceſſumque hoſtium primò didicimus, quando eodem die, quo è ſuo Reginali throno, ſubmota Imago ſecuritatis causâ extra limites regni aſportata fuit, peregrinus turbarum Clangor, Claſſicum cecinit. Cognovimus tam diu ipſam Sacro Monti ſubiectam humum, à ſacrilegis aſſultibus immunem fuiſſe, quàmdiu Virgo ſuam implendo regiam, occulto Numine invaſionem reprimebat.

Submota Imagine mox hoſtis aggreditur fortalitium.

Ad Svecos ſupplices libelli.

6. LAboratum eſt, prout anguſtiæ temporis ferebant, ſupplicibus libellis, ut incumbens mænibus hoſtis poſita amoliretur, ſed inſoleſcens intemperantiâ victoriæ, & rebus ad votum proſperè fluentibus, inclinari non potuit, ut receptui caneret. Enituit & hic, præpotens Numen MARIÆ, in admirabili, rebellium ejus honori, animorum mutatione, nonnulli dogmatum Lutheranorum ſequaces,

inventi, qui loci reverentiâ tacti, obſidionem diſſvadebant belli Principibus, quos inter, non mediocrem obtinet laudem *Sádowſki*, Svecorũ Regis (ut vocant) Colonellus, qui cùm ſupplices à nobis literas accepiſſet, invaſionem Domûs Virgineæ Miliero per literas diſſvaſit, ad perpetuam illorum cultûs Mariani, locique ſacri, deſertorum confuſionem, qui ad ſacrilegum claſſicum contra Templa Virginea arma ſumere non verebantur. Libet hîc Sadovij literas recitare. *Suſtinenda Vobis ô Patres ingruentis belli moles, ità tamen, nè aliqua irritatione Veſtra hoſtis ferocior evadat, tractando potiùs, nunc has nunc illas deditionis conditiones proponite, donec placitura afferantur.* Millero deinde ſvaſit, ut in ſui locum alium ſubſtitueret, inquiens: *Quæ enim laus fuerit Monaſterium expugnaſſe, cuius virtuti majora olim ceſſiſſent munimenta; quòd ſi Monachi Superiores evaſerint, quantam labem ſera poſteritate nomini tuo aſperſeris, qui ab imbelli turba ſuperatus fueris.* Hæc Lutherus Sadowski.

7. INtererat profectò *Wrzeſczevicio* Montis Clari immunitatem, honoremquè tueri, qui ex eo auſpicijs Mariæ vitæ reparatæ gratiam ſalutemquè reportavit, ejuſdemque boni promovendi, antehac Fautor & Patronus extitit, affectum ſuum (dum Vielicenſium Salis-fodinarum Præfecturam adminiſtraret) & hic recuperatum vitæ jam deſperatæ beneficium, pretioſis, (quæ adhuc proſtant) muneribus profitendo. Fœdus priſtinæ religionis deſertor & tranſfuga *Wrzeſczevicius*, quàm infenſus huic loco fuerit in conditionibus ad Aulæ Marianæ deditionem compilatis patebat. Proritavit & infamem Milleri famem theſaurorum, cùm Poloniæ opes huc confluxiſſe venditans, ſcripſit, ut quamprimùm auctus recentibus copijs, obſidionem coactis cum ejus exercitu viribus feſtinaret. Novem itaquè *Wrzeſczevicio* daturus ſuppetias Millerus traxit millia ad Clarum Montem Anno 1655. 18. Novemb: pluribus longè hæreticarum blaſphemiarum armatus millibus, ut non immeritò crediderim ſuſcitatam à damnatorũ clauſtris pœnalibus illam *Matrem fornicationum, & abominationum terræ, ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ*, protractamque, cui more ſuo, congenita Cœleſtibus clementia parcebat. Audivimus buccis fœtentibus in Sacratiſſimæ Deiparentis contumeliam fundi voces illas: *Videbimus hanc Veſtram Mariam, an Vobis aliquid ſit allatura ſubſidij.* Vidimus beſtiam, *cui datum eſt os loquens magna & blaſphemias, & aperuit os ſuum in blaſphemias ad DEVM, blaſphamare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant.*

Wrzeſczevicius hinc beneficium ſalutis accepit.

Gratitudinē muneribus teſtatus eſt.

Circũdatur exercitu & armis Mons Clarus.

Blaſphemiæ

Apocali 13.

Minacissimæ Svecorũ literæ, & querimoniæ domesticorum.

8. PRimi oppugnationis arietes fuerunt, minacissimæ literæ, graviores domesticorum querimoniæ, & externorum (qui Sveticæ factionis fautores erant) cavillationes, quærentium: *Nunquid Ottomanica Patres expectatis auxilia?* Reperti è Nobilitate, qui ad deditionem solicitabant, incentores. Laudem hic meretur G. D. *Petrus Sladkowski* Prodapifer Ravensis, qui redux è Prussia à Svecis interceptus submittebatur, ut nostrorum constantiam ad deditionem inclinaret, suscepit imperium, quod mente damnabat, accessit mœnia, & speratis è Cœlo subsidiis, animos obsessorum erigebat. Detinebantur adhuc eo tempore in castris hostilibus, ad tractandum pacis negotium Patres delegati, qui, ubi solicitationibus nihil profecit hostis, ad pœnas plagiariorum damnati, mortem non minùs generosè, quàm gloriosè, pro fidelitate Regi, Patriæq; servanda, excipere parati fuerunt, si ità fatorum tulisset necessitas. Prodigio par erat publicis privatisq; calamitatibus, non frangi, non moveri.

Sollicitatores submittunt Sveci

Duo ex Patrib⁹ nostris apud Svecos detinentur.

oppugnatur Mons virginis.

9. ANimis obsessorum sic exploratis, consilium fuit hæreticis, munitiunculæ firmitatem bellicis armorũ fulminibus experiri, quâpropter è circumductis stativis, & suggestibus, diverso armorum apparatu instructissimis, baleares machinæ mœnia quatiebant aliquot hebdomadis, sed in adversariorum perniciem retrocedentes globi, (qui nonnunquam unâ die quadringenti fundebantur) sua castra non absque suorum strage, repetebant. Non aperto tantum pugnatum Marte; Vndique subterraneis cuniculis Montem aggredi conati, celtibus resistentem pertinaciter petram habuerunt, cujus invictum arte Latomorum, qui è Polonia gregatim huc agebantur, robur, ad desperationem coëgit. Projecta per lignea Cœnobij tecta globorũ incendia, non infrequenter, nullum detrimentum inferre potuerunt. Assumptæ & ex erebo in belli societatem, nocendi artes; Plurimi Characteribus, & pactis cum dæmonibus armati censebantur, (ut infra referam) adhibitæ præstigiæ; cùm enim numerosis cladibus circa mœnia sternerentur, erepto obsessis de die medio lumine, tenebras induxerunt, ut sub umbrarum favore, munitionis naturam propinquiùs explorare, suggestus terreos erigere, fulminatrices machinas admovere, rimari cuniculos, viamquè, si quà liceret, ad oppugnationem possent invenire.

Ducunt cuniculos Sveci, sed irrito labore.

Svecorum præstigiæ.

CAPVT

CAPVT III.

Propugnatur Mons Clarus.

10. QVibus suspecta fuit Acatholicorum fidelitas, collecta pretiosiore supellectili, intra mœnia sese receperunt, non suspicati squalorem obsidionis tolerandum. At postquam se premi senserunt, magna virium & victoriæ confidentia erecti, unanimiter ad Aram, in qua jam non nisi Imago Imaginis fuit exposita, cum votis procidui dixerunt:

In qua jam nonnisi Imago Imaginis fuit exposita.

- - - *Hæc Ara tuebitur omnes.*

Et Ducem sub sago Religioso providit propugnationi sui loci MARIA. Is erat (*Clemens* hoc ei nomen primum in seculo) *Augustinus Kordecki*, eo tempore Claromontani Cœnobij Prior, seu ætatem decrepitam, seu annos juventutis, extra armorum strepitum laudabiliter exactos, consideres, ineptus tanto muneri, quia tamen, ut Doctor Angelicus 3 p. loquitur: *Quos DEVS ad aliquid eligit, ita præparat, ac disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniantur idonei*, roboratus Numinis dexterâ novo belli rudiméto instructissimus apparuit, secutus Ioëlis monitum cap: 3. *Infirmus dicat, quia fortis ego sum* Et quòd hic Viri mitissimi accingat *Clementiam* ad contundendam superbi hostis ferociam, liquido LXX, proponunt, Ioëlem interpretati: *Qui clemens est, ad prælium & pugnam se comparet, ac strenuum & bellicosum se præbeat.* Quòd hoc ad miraculum accesserit, in utraq; Martis & Sapientiæ palæstra, inclytus, hujus Obsidionis Scriptor *Stanislaus à Kobierzycko Kobierzycki* Palatinus Pomeraniæ in suo opere folio 54 declaravit inquiens: *Profectò miraculi loco censendum existimo, Numen supremum ad Matris suæ preces, elegisse infirma, ut confunderet fortia, atque ad deprimendam hostium superbiam unum Monachum, veterano opposuisse Duci.*

Augustinus Kordecki præses Monasteriũ defendit.

D. Thomas parte 3.

Ioel. 3.

Stanislaus Kordecki.

11. INgruente itaque periculo, centum sexaginta pedites, è bonis Monasterij collecti tumultuariè, quatuor Poloni Nobiles, cum suo famulitio, septuaginta Religiosi, domestica familia non adeò numerosa, & imbellis mulierum cum prolibus turba, totus erat Herois extemporanei exercitus; Incredibile est, quas non passus contumelias à nonnullis, qui virtutem senis, temeritatem & deliramentum appellabant; collapsos animos præsidiarij militis, duplica-

Ordinatio, & dispositio obsessorum.

plicato in mensem stipendio erexit, receptoq; fidelitatis Sacramento, ad propugnationem obstrinxit, coacto Patrum Fratrumq; & Nobilium conciljo, tantùm eloquentiâ flexanimi effecit, quantùm ad justam defensionem desiderari potuit. Militarem deinde Rempublicam, de omnibus quotquot mœnibus claudebantur, ordinatissimam constituit; interea, ut maturè totum belli negotium disponat, simulat adhuc conditiones pacisci velle cum hostibus, ut itâ moram longiorem nactus, quæ ad munitionis firmitatem facere videbantur, comparet. Ætate graviores, & militarium impatientes onerum, placando Numini, & de Cœlo petendis auspicijs, ad Chorum Templumq; destinat, in Religiosam iuventutem, cum præsidiarijs, communes labores partitur; alijs quatuor Patribus, qui consilio pollebant & industria, in quatuor propugnacula cum Nobilib9 præfecturam committit, designando & eos, qui libratorum fidelitatem in exonerandis balearibus machinis observarent. Excubijs reiq; tormentariæ Præfectos è medio seniorum Patrum deputat, alios præcavendis tectorum incendijs custodes constituit, alios, qui ad arcendas noctis tenebras, in turri lampades & faces exponerent, procuratores ponit; in alios alia dispensat officia, quam industriam considerans Stanislaus Kobierzycki, sic inquit: *Vnius profectò Kordecij vigilantiæ debetur Montis Clari servati, Laus.*

In obsidione, Heroes Defensores.

12. PRovidit Capiti nostro, extemporaneo illi belli Imperatori, Diva Armipotens, duos, avitissimi & illustrissimi Sanguinis Heroes, Generosum D. *Stephanum Zamoyski* Ensiferum Siradiensem, & G. D. *Petrum Czárnecki*, qui veluti

- - *Duo fulmina belli*

Scipiadæ

parem magnis nominibus, Domibusq; gloriam merebantur. Generosus D. Stephanus Zamoyski nostræ obsidionis tempore, Generalis Armorum Præfectus, Marianæ Virtutis miraculum & exemplum in se ostendit, cùm enim arctatam igne ferroque imbellem turbam magistra necessitas, admodum peritè arma tractare docuisset, lectissimam præsidiariorum manum, per profundiùs excavatæ cautis ostium, de medio die, veluti ex Equo Trojano, ipse cedes mortesq; spirans, producit; numerosas latomorum cuniculos egerentium operas dissipat, molitiones deijcit, proximam stationem illabitur, occupat, palantes Svecos persequitur, urget, cædit; apparatum bellicum disijcit, corrumpit, grandia machinarum ora, quæ ignem vome-

Gen. D. Stephani Zamoyski meridiana eruptio & hostium strages.

vomebant quâ ferro, quâ lapidibus obturat, prædam diripit; integer demum intulit mœnibus victoriam.

13. NOn impari fortuna Gen: D. Petrus Czarnecki, ad præclari nominis æternitatem laboravit: coacto enim militum agmine, noctis illunis, favente silentio, eadem vi ad proxima stativa proruit, pars in excubijs collocata dilabentibus insidiatur, pars suggestum involat, ipse Heros magnanimus, primus rei tormentariæ Præfectum, invictâ dexterâ trucidat, alios somno gravatos strage immani fundit, hinc rapientes fugam alij in nostros milites expectantes partem victoriæ, illapsi sternuntur. Cæsa tunc Regi Sveciæ charissima Ducum capita, Dux ipse potitus victoria nonnisi sangvinem, in fatigata cædibus framea, alij pingviorem prædam, ex intestatis hostibus retulerunt. Vterq; ad miraculum sub Mariano clypeo decertabat, unus diem auxit præclara victoriâ, alter noctem illustravit. *Cum his MARIA Tutrix & Propugnatrix* sui Montis, gloriam suam partita est. Immani strage sæpè fusus, & confusus hostis, cùm dæmonum artibus diem sæpiùs eriperet, adhibita Exorcistarum ope, illa tenebrionum infernalium caligo dissipabatur; prodebantur suis artibus fraudes hæreticorum, cùm enim sub favore caliginis machinas bellicas admovebant propiùs, suo destituti Sipario in aperta luce sternebantur. Non Romanâ, non Sarmaticâ fortitudine, at Mariana virtute hæc omnia succedebant, hinc & STANISLAVS KOBIERZYCKI, Senator Polonus, miraculum in continuatis feliciter eventibus rerum agnoscens, ait: *At profectò consideranti mihi attentiùs, quæ in hac obsidione evenerunt, nihil humanis viribus, aut consilio dandum esse censeo. Cœlestis ea cura fuit, indeque evidens auxilium, non Polonis tantùm, at universæ venerandum Christianitati.*

G. D. Petri Czarnecki par conatus & nocturna victoria.

14. ABSINT cætera, quod subijcio, fidem dicto conciliabit. Ipsorum Hæreticorum testimonium est, quod eo tempore, quo tormenta librabant contra Cœnobium, videbant illud jam in profundas valles descendisse, jam super terram evectum oculos elusisse, hinc in cassum fulminata incendia, aut ad Montis clivum illisa, tardatis impetibus humum findebant, aut in auras elapsa, ædificiorum summitatem prævolabant, aut in castra revertebantur. Et illæ orientalis propugnaculi ruinæ, ad gloriam serviebant, cũ murorũ partẽ hostis dejecisset, sed hæc erat probãdæ mulierum fortitudinis, imbelliq; turbæ occasio; non puduit namq; & hono-

Monasterium iam in sublimi, iam vallibus situatum, ludis oppugnantium conatus.

& honoratiores matronas, armis muliebribus, manus admovere, & opplendis hiantibus murorum vulneribus, terram, lapidesque congerere. Neque illi torpebant, quibus per sexûs, ætatisq; debilitatem, permissum à gravioribus abstinere laboribus, sed quotquot urgente periculo tumultuatim, in mœnia sunt illapsi, sudabant in laboribus, frigebant in excubijs, noctu dieq; obsidionis incommoda tolerando. Verè hic MARIA apparuit, secundùm Andream Cretensem de Dormit: B. V. *Christianorum fidei Propugnaculum, & eorum, qui spem in ea collocant, Propugnatrix.*

Andreas Cretensis.

CAPUT V.

Quæ memorabilia, tum in castris hostilibus, tum alibi, Svetica obsidionis tempore, ostendit MARIA?

15 TAm cœco, tamquè præcipiti Marte à Svecis pugnatum est, ut non adverterent MARIAM tanquam *Castrorum aciem ordinatam* pro partibus nostris stetisse. In duobus apparebat vindicis DEI pœna, utriusque nomini parcitur; Quidam Regis sui, Patriæq; desertor, haud ignobilis, Milleri favores captaturus, munus sollicitandi obsessos ad deditionem, suscepit. Admissus intra septa Cœnobii, facunda satis dicacitate, multa proponebat, exaggerabat, quæ ad Sveciæ Regem animos possent detorquere. Caperatâ fronte suscepimus hæc, responsumq; in sequentis diei tempus præstitutum, distulimus. Redijt malignorum consiliorum portitor, & incentor perfidiæ ob svasus improbos, nullis humanitatis officijs dignatus, vix à globis prætervolantibus, cum ad castra regreditur, servatus; hæc tantùm Millero retulit: *Isti Monachi nihil sapiunt, temerarij sunt, & protervi.* Mitiùs cum hoc, severiùs cum alio egerunt Superi. Eques Polonus, infamis transfuga, hæreticis adhæsit, & cum quadam animi gestientis lætitia prædam sibi pollicebatur, è direpto Montis expugnati thesauro. Arguebat nonnemo commilitonum, avarum prædationis ambitum, cui ille: *Et cur sacra diripere non liceat, præsertim nobis, qui militia Svetica nomen dedimus?* tanta superûm sacrorumquè contemptrix audacia, Cœlites in pugnam civit, qui caput ejus globo grandioris tormenti feriendum objecerunt.

Solicitantes ad deditionem.

16. DIVA ipsa se videndam sæpiùs objecit. Hostium confessione constat. Postquàm ignominioso receptui cecinit Svecus,

B. V. Mariæ apparitiones

Svecus, apud *Wierusovienſem* Civem duo Sveticæ militiæ Præfecti, *Georgius Erchner, & Arentius Lukman* excepti convivio, inter alia collo quia, quæ ad geniale symposium miscebantur, à præsente ibidem nostro Patre *Blasio Vadovio* Cœnobij Wieruszoviensis Priore quærebant. *Quænam est in vestro Monasterio Czestochoviensi saga, qua cæruleo amicta velo sæpiùs egressa, Monasterij muros obambulabat, quandoq; super illorum fastigia residens, ad cujus aspectum, multi nostratum concidebant exanimes, ita, ut ea prodeunte vultum demittere ac operire oculos debuerimus?* Hoc sanctâ fide Civium, & memorati Patris relatum docet, quantæ curæ fuerit, Præsidi MARIÆ, Clari Montis defensio.

17. HOc ipsum universa Hæreticorum castra, exterruit miraculum, auctum pœnali miraculo: Eo tempore, quo MARIA ad vigiles curas intenta muros obambulabat, germani fratres duo, ex Silesia, oriundi de villa *Gerlachowa* cognomento *Dudzicij* primùm inverecundo oculorum conjectu, blasphemijs, deinde objectam Reginalem Majestatem impiârunt, & arma contra illam levare non veriti. Fabulas in veritatem transijsse cum tempore adverte. Audisti ad obtutus Herculis, aut Medusæi vultus occursum, quosdam diriguisse in lapidem, nunc lege: Levârunt arma, sed non deposuerunt, nam unus illico in duram cautem obriguit; alteri verò ità sclopus dum collimat faciei increvit, ut opera Chirurgi exscindi debuerit. Hoc recognitum à militibus, qui *Sadovij* regimen sequebantur, dum liberaliùs apud Gen: D *Nicolaum* de *Rusko Bielánski* tractarentur, qui super his, ad Clarum Montē literas dedit, in quibus hæc habentur. *Viderunt mulierem cæruleo theristro vestitam, contra quam cùm duo milites Silesij fratres germani, de villa Gerlachowa, cognomento Dudzicowii, longiores tubos explosuri collimassent, ipsorum alteri faciei tubus ita inhæsit, ut divelli nequaquam possit, sed excindi à Chirurgo debuerit, alter duritie lapidi simillima toto corpore obriguit, quos Sveticus exercitus secum abduxit.* Clades, funera, prodigiosas aliorum vindictas, ut ut potuerunt, celare studuerunt, ad confines pagos, contermina oppida, clam avehendo, tumulando. Pares Superiorum pœnas dedisse constat & alium, ex testimonio Præfectorum militiæ, quorum in superiori numero memini, illorum improperationem ad Patrē Blasium Vadovium, refero. *Vestri Monachi sunt maleficiorum studiosissimi. Hem nostrum commilitonem ita incantaverunt, ut ab ipso temporis momento, quo contra Templum fistulam explosit ferream, manum extensam teneat, nec eam ullo modo valeat contrahere, aut flectere aliquorsum, imò totus rigidus, neque ipse possit equum ascendere

dere nec descendere, necesse ideò habuimus, veluti terræ inutile pondus, cùm erecta sic manu, quemadmodum fistulam direxerit, Lesnam ablegare. Huc apprimè Divæ nostræ adscribi debet secundùm D. Damascenum de Dormit: B. V. quod illa sit *Viva Dei Arca, quam profanorum manus non tangit.*

Ioann: Damascen: de Dormit: B. V. Mariæ.

18. ET generali Exercituum Duci *Millero*, patebant prodigia, venit Petricoviam, & in Ecclesia Monialium Divi Dominici, Imaginem ad instar Divæ Claromontanæ speculatus, dixit, non esse eandem, quæ sibi apparebat. Rem fusiùs & clariùs ex litteris Sanctimonialium Petricoviâ datis ad Sorores, tunc in Claro Monte degentes in suo cursu accipe. *D. Millerus diligenter & attentè fuit contemplatus in Templo nostro Imaginem Claromontanæ similem, & cùm aliquam parvam donari sibi ejusdem exempli petijsset, interpres illius, donatam ipse Millerus ab Interprete recepit, tenor verborum Milleri est: Nullo modo, ajebat, similis est Virgini quæ mihi apparuit, & tormentum contra me sua manu direxit, cæleste quid & Divinum, quod supra modum exhorrui in augustissimo ejus vultu reluxit.* Contenta literarum prosequor. *Asserebant & illud Sveci, quòd aliqui eorum vidissent ipsam (scilicet mulierem) super muros tormenta dirigentem, & necessaria defensoribus arma, super vallum stantibus, propria manu subministrantem. Latomis etiam cuniculos agentibus apparuisse annosum senem, qui eos moneret, ut ab inani molimine abstinerent, septenni etiam labore non superando.* Idem sub onere conscientiæ se à Svecis audivisse fassus est Gen: D. *Alexander Strzałkowski.* Ideoque inter Svecos passim ferebatur, Millerum à Muliere pretio Monachorum conducta deceptum, obsidionem solvisse. Alia itidem per castra spargebantur, ex relatione Gen: D. Grodzicki S. R. M. Armaturæ Præfecti, qui se audivisse testatus est, vultu & imperio minaci Millerum increpatum à Muliere, coactumque ad obsidionis solutionem.

Tormenta dirigit, & Arma ministrat Maria.

19. NEc tacendum est, quod annis compluribus jurato silentio premebatur. Director Machinarum, in Milleri stationem tormentum exonerans; Nepotem ejus ex Sorore in lecto decumbentem, per sinum trajecit. Millerum verò rasit per postica: Vulnus Avunculi dissimulatum, & clanculum persanatum, adactis Sacramento ad silentium Chirurgis, recrudui Calissij, ubi abjecto pudore Archiatram advocat, qui discissis cicatricibus inveteratum vulnus repurgatâ sanie persanaret. Inter illud tormentum sola

Miller⁹ plagam in obsidione accipit.

sola hæc vox dolentis & indignantis fuit: *O Czestochovia! O Czestochovia!* ignotum quid volvebat, volebatq; manum medicam passus. Relatum Anno 1664 Adm: R. P. Augustino Kordecki ab eodem Calissiensi Chirurgo. Acceperat lividam plagam in femore ab hostili tormento. Librator Germanus, qui fidelitatem suam in Orientali propugnaculo non satis probaverat, quà ad vindicandum proritatus, in hostilibus stativis igneo globo tormentum discussit, bellicæ supellectilis Præfectum sustulit, vasa nitrati pulveris incendit, quo excæcati complures. Pœnam pœna sequitur, dum in ipso Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Marianum honorem ore blasphemo hæreticus incessat, in porta Noviciatûs ad Sanctam Barbaram, à terra haud fracto impetu globo resiliente traijcitur.

Habuerunt Carnivori Lutheri asseclæ & in Convivijs, videruntquè deliciarum pœnas. Millerus Præfectis Militiæ Convivium apparabat. Sub placentas & delicatiores pastillos, ex libro Magnalium Divæ Claromontanæ papyrus substernebatur, non parcebatur sacræ Imagini, quæ substrata nobiliori placentæ, ardoribus clibani illæsa protracta fuit, hanc diribitor inter nobiliores convivas partiturus, dum scindit, deformem, vivum, virulentum bufonem clausum invenit, digna satis hospitibus panchresta, quam proritabant deliciæ, famem oppresserunt. Cœlabantur hæc, tamen in publicum venerunt; nam Svecorum nonnemo, cùm à Nobili *Anna Sczypierska* de *Sczypierow*, uno milliari Calissio humaniter exceptus fuisset, huic convivio se adfuisse, se hæc vidisse, jure jurando professus est, duo similium Imaginum exemplaria in vicem humanitatis relinquēs. quod & à R. P. Pigłowski Societ: IESV Collegij Ravensis Rectore, hoc loco recognitum Anno 1658. 3. Martij.

Imago B. V. M. in Clibano illæsa.

Pastillus cū bufone.

20. ADhuc armis premebatur Mons clarus, & jam alibi crebrescentia miracula, Polonos de Patria bene sperare jubebant. *Calissij*, Civis loco sacro faventior, Sveco, qui ad procinctū itineris equum conscenderat, dixit, nunquam expugnandam Marianam Arcem, quòd in ejus peculiari tutela conservetur. Dum Svecus pertinaciter verbis contenderet satis, protracta gestatoria bombardâ (pistoletum vulgò dicitur) ait. *Tam certum est nostrâ militari potentiâ subvertendum hoc fortalitium, quàm certum est, hanc fistulam me posse exonerare, dixit,* ac nitrato pulvere, & silice instructissimam bombardam levavit, sed chalibe silex durior flammam negavit, ipse equo delapsus gulâ fregit, à Calissien: Civibus relatū, tum ab A. R. P. Luca

Solvendæ Claromontanæ obsidionis præsagium.

Hostes spectris exagitantur.

Luca Tramkowicz Præposito Brudzovien: Et Lemurum, spectrorumq; umbris propulsabantur à nefarijs conatibus Sveci, ex ore illorum auditum est, tum incolarum Częstochoviensium testimonio firmatum, quòd Panico timore coacti, domibus excedere, sub aperto Iove frigido, insomnes noctes ducere cogebantur.

Masculus mulieris animus.

21. Evenit sub primos oppugnationis assultûs res memorabilis. Vetula quædam, *Koślka* nomine, Constantiā latinis sonat, vidit aliquot Svecorū tuguriū suum invasisse, quod dum excutiunt, rebus suis, tenuique supellectili minimè parcens, obfirmavit fores, ignem subiecit, quo hostes exusti, didicerunt quid de Virorum hîc fortitudine censendum, si de Viris anus decrepita triumphat: hæc in fissuris petræ toto obsidionis tempore habitans, globos in aperto campo, & sub mœnibus colligebat, obsessisq; per funem subministrabat sæpius, cùm internuntij Claromontani apud Millerum, & Duces alios indigniùs tractarentur, ad Millerum legationibus perfuncta.

Et paredris armati sternuntur.

Dæmonum auxiliares copiæ non profuerunt hosti contra servos MARIÆ. Septem dæmonibus obarmatus quidam, dum in suggestu truncatus, in excursione nostrorum invenitur à Svecis, hæc passim ferebant: *Częstochovienses Monachi insignes malefici sunt; virorum nostrorum fortissimos, nec quidquam eos juvantibus geniorum suorum pactis sua prosternunt incantationibus, sic præclarem commilitonem nostrum septem paredris stipatum, triginta prælijs Victorem, & nec unico quidem capillo læsum stupentibus nobis, illi artes suas alias salutares non profuisse, interfecerunt.*

CAPUT V.

Quæ memorabilia intra Virginis mœnia obsidionis tempore.

Mons nebulâ circumdatus eludit oculos hostium, & iaculα.

22. Testantur hostes & prædicant, quanta suo Monti fecerit, populoq; MARIA. Quod summatim insinuavi superiùs, hic expressiùs testimonium Svecorum propono. *Sæpius* inquiebant illi: *expugnationem Monasterij apparatu tormentorum nobis aggredientibus apparebat nebula, quâ Mons involutus, umbrâ fallaci intuentium eludens aspectum, videbatur cum Monasterio in altum aëris exporrectus, quò cùm dirigerentur ictus Machinarum, jacula ad conceptum in aëre scopum projecta, supra Monasterium innocuo cursu ferebantur. Quandoque autem per eandem nebulæ interpositionem, errantibus similiter oculis, cernebamus Cœnobium in humili colle positum.* *Directores proinde nostri, caliginis opacitate decepti, cùm fistulas tormentorum contra umbram exploderent, globi ante mœnia Monasterij à Montis radice excepti, humum feriebant tunc gelu constrictam, & inde resilientes, in aërem reassumpto impetu pellebantur.* Ordinaverat *Cordatus* & prudentissimus Vir *Kordeccius*, circum Mariana Pergama Theophoriæ Solennitatem, ut DEUS ipse pugnæ proludere videretur, Arcæ fœderis resuscitata prodigia videbam⁹, cùm frequens Agmen, quod per Mœnia DEUM sub speciebus Eucharisticis, secutum volantibus super capita globis hostilibus illæsum, intactumq; procedebat.

Sanctissima Eucharistia circūfertur per mœnia.

Vnum erat omnibus Synthema, inviolabiliter servandus & propugnandus Honor DEI & Mariæ, Regibus & Patriæ fides. usum classicum, Laudes Mariæ, quæ, dum utrinq; ferveret oppugnantium ardor, & zelus propugnantium, musico apparatu per summa turris odea distributo cantabatur. Ringebatur hic Leo Sveticus, quod Montem, quem necdum vicisse, & adhuc ambiguo Marte pugnasse videbat, triumphale pœan ante victoriam canentem audiebat.

Ignivomi globi fulminati iterum castra repetunt.

23. Et in aëre nata vidimus prodigia, jactati per altum ignivomi globi, *Granaty* appellamus, fulmina crebrescentibus fulgetris, & fragoribus imitati, dum in claustra librati ferunt incendia, veluti adamantino clypeo excussi resumpta vi, in altum retrocedentes, iterum resupino volatu castris hostilibus stragem, cædesquè inferebant; alij ad Augustalis Mariani sacros parietes illisi, eâ, quâ venerant viâ, stativa sua repetebant. Nonnè hic Omnipotentiæ Divinæ ludus pandebatur, peregregiè prosequitur eum Lyricâ Poësi magnalia hujus obsidionis tēpore facta, referendo in sua *Regina Polonia*, R. P. Michaël Krásuski, parte 1 Ode 18.

Aspice quam refluo Mæandri more fugaces
Instituat Bellona refluxus!
Vulnificum ructat dum bellica Machina nitrum
In proprios revoluta recurrit
Authores Lachesis. Puerilis ludicra lusûs
Jn Martis revocantur arenam;
Nam velut à duræ resilit pila, tergore terræ,
Et celeri retroacta regressu
Ludentis volat ad palmam, sic flammea missam
E castris in castra remittit.

Tempestas pluviam: & recipit Gotus ipse Mariæ
Per turres quæ vulnera sparsit.

In cunis puer globo petitus igneo, illæsus.

24. CVM passim omnia prodigijs implerentur, nec infantiles cunas, ab ijs vacasse vidimus. Flammans pila de nocte tectum cum ingenti fragore subijt, cœcum sinu concavo ferens incendium. Retardavit, repressitq; impetus ardentis globi fumariũ, qui in vicinas pueri cunas relapsus, nec læso infante nec adusto, ad latus ejusdem recubuit. Retorsisset puer in hostem fulmen igneum, si per ætatem viresq; licuisset. Qviescit cum miraculo, quod in ijsdem cunis, & infestissima mortis arma, & vitæ securitatem sociavit. Hæc admiratus Scriptor obsidionis Magnifi D. Stanislaus Kobierzycki, meritò verba usurpat Eusebij Emisseni Homilia 1, de Epiphania: *Quantum latitiæ in præsenti obtinent merita Religionis, & Privilegia sanctitatis: Ecce horrendum nescio, quid anhelavêre globi, extrinsecùs sæviunt, intrinsecùs parcunt.* Neque illud inferius censeri debet, quod in Scytha homine barbaro obstupuimus: Cum quartiarijs quibusdã in Sacrarium deduci impetravit: cùm lustrasset Augustal Virginis, loci reverentiâ tactus, obsessos hortatus est, nè hominibus impijs, fœdifragis, ædes profanandas committerent, appromittens futurum fore, quod brevi inglorij hinc essent discessuri.

Eusebius Emissenus.

Tartar⁹ deditionẽ dissvadet.

B. V. M. visa progredi è Monasterio stricto gladio minax.

25. NOn potuerunt sibi victoriam polliceri, qui Divam ipsam ad victorias nobis præeuntem viderunt. Visa etenim sæpiùs fuit MARIA Bellatrix ex Arce sua prodire, & castra Gotorum deterrere, de quo sic in litteris suis G. D. *Nicolaus* de *Rusko Bieláwski. Milites Regiminis Sádowski &c. cùm sciscitarentur quid Czestochoviæ ageretur, & in Monte tanto exercitu cincto: quos haberent successus, respondebant, frequentiùs sibi apparuisse candido amictu Personã quandam è Monasterio prodeuntẽ, & districtũ gladiũ adversus castra vibrantẽ, quam intuitus aliquis corruebat exangvis Libitinæ victima. Et esse compertum ab Excubijs nocturnis quadraginta milites hoc infausto spectro exterritos animas dedisse.* Quo autem comitante procederet Armipotens Maria, facilè intelligitur ex testimonio Virorum Nobilium *Ioannis Wieckowski & Matthiæ Wegierski*, qui interposito jure jurando asserebant se à Svecis audivisse annosum senem latus stipasse decoræ Mulieris, cum qua obambulans mœnia, globos in hostes refulminabat, non alium constat hinc, fuisse, quàm Divum Paulum Thebæum Eremitam, cujus pusillus grex ædem Marianam propugnabat.

Ad eius conspectũ 40. exanimãtur.

S. Paulus Patriarcha Eremitarum comes Mariæ.

26. Dele-

26. DElectat animum tantarum gratiarum recordatio. Libet ad Patriæ solatia ad Lyram decantata hæc proferre magnalia à R. P. Michaële Krasuski Societ: IESV in sua *Regina Poloniæ* parte 5. Ode 14:

Magnalia summatim perstringit R. P. Michael Krasuski.

Prima Tuos fregit Gote Częstochovia fluctus
Et inde prima naufrago
Lux micuit populo,
Virginis ô quanto petitur Domus unica bello,
Sed una Bellorum Domus,
Fulmina nulla timet:
Qualiter immoto Rhodopæia culmine rupes,
Quamvis consulto desuper
Iupiter igne fremat,
Quamvis præcipitent misti cum grandine nimbi,
Omnesque contra cærulæ,
Stent acies hyemis.
Stat tamen, & flantes contemnit vertice lixas,
Spernitquè cyclopum fabro
Tela recocta foco:
Sic perstant Clari non læsa cacumina Montis,
Licet juvantem Vandalo
Fœderet Orcus opem:
In sanctas mittat si bellica fulmina turres,
Huc rursus, unde venerant,
Fulmina pulsa volant:
Rupea belligero, si tundat pegmata nimbo;
Nimbus reverso propria
Pondere castra petit.
O Virgo Lechicæ Fons nunquam sicce salutis?
Miraculorum, & munerum
Prodigiosa seges;
Vix numeranda Tuam cingunt miracula sedem,
Sed vidimus nunquam, Tuis
Vtiliora Lechis.

CAPVT VI.

Miraculoſa Montis Clari ab obſidione ſolutio, & memorabilia nonnulla eandem ſubſequentia.

Apparitio.

27. IAM ad hebdomadæ ſeptimæ decurſum toleratus obſidionis ſqualor, uſu quotidiano, uſum patiendi roborabat; cùm eadem tempeſtate N. *Hedvigi Iaroßenſka* mulieri pientiſſimæ facta apparitio, ſolvendæ obſidionis certitudinem afferebat. Videbat ſenem ætate, & canitie venerabilem, qui brevî affuturam libertatem ſpondebat, hoſtemque deſperatum ingloriè receſſurum. Divum Paulũ Patrem noſtrum fuiſſe interpretati ſumus. Huc ſpectat & illa decantata, per Vandalorum caſtra Millerianæ confuſionis parodia illũ à muliere pretio Monachorum conducta, ab oppugnatione deterritum. Dies aderat victoriâ Divi Stephani Protomartyris coronata, quâ more patrio celebrari ſolitam ſtrenam obibant Heroes extemporaneæ militiæ, quocunque officiorum genere mutuam ſibi annuè recurrentem Natalis Domini feſtivitatem apprecando. Præiverunt multiplici Symphoniarum apparatu perſonantes muſices chori, ſubſecuta Cœnobij familia, quocunque ſtrepitu officinarum officiorumque inſtrumentis non ſegnem operam Præſidi, cæterisquè majoribus conteſtata, tandem prædiarius miles, quâ tormentorum, quâ fiſtularum omnium, tubarum, tympanorum; omnisquè bellicæ ſupellectilis miſtis fragoribus, Præſidi Cœnobij. illisquè Heroibus G. D. *Stephano Zamoyſki* & G. D. *Petro Czárnecki*, & Statûs ſecularis dignioribus Perſonis, Salvatoris noſtri Natalitiam celebritatem gratulando. Confudit hoſtilia caſtra latè diffuſus exultantium jubilus; fruſtrà advertit hîc conatus exeri, inſumi tempus, ubi & bellicæ ſupellectilis, & nitrati pulveris copia, & maximè (quod cor eſt militiæ) generoſus obſeſſorum animus non deſiderabatur.

Fama Millerum à muliere deterritũ ab obſidione.

Feſtivus applauſus obſeſſorum in Feſto D Stephani ſtrenam celebrantium.

Cõfuſus hoſtis ab obſidione regreditur.

28. QVAM inchoavit lætitiam Salvatoris, Diviquè Stephani Natalis, conſummavit D. Ioannis Evangeliſtæ ſolennitas. Ad hanc & oſtenta Cœlorum præluxerunt, quæ à nefarijs auſibus ſacrilegam potentiam deterrebant. Inter alia quæ paſſim fama circumferebat, Cœlorum oſtenta, quemadmodum Romæ accepit R. P. Gulielmus Guppenberg: dum nonnemo pœnitentiæ causâ ad ſacra Apoſtolorum limina profectus, quæ vidit, quæq; audivit,

divit,

divit, referret, ſcribit in Atlante Mariano. *Viſa ſupra Templum fulgentiſſima in Cœlo Crux, aliaquè voces fugientibus inſolitas expreſſere, auditi enim ſunt inſanis vociferationibus ingeminare*, ô MARIA, ô MARIA! Cogentibus itaquè oſtentis, turpiter rejectus hoſtis, nocte, quæ Divi Ioannis Natalem præcedebat, ſtativa reliquit, quod ubi per Poloniam innotuit, Principes, Proceresque, cum ſolennibus gratiarum actionibus, & gratulationibus ad *aram ſalutis* convolabant. Quid ageret hæreticorum impudentia? novam ſibi mentitur victoriam Millerus, datis ad exteros literis de excidio Clari Montis, & cæſis Polonorum viginti millibus. Tentavit & Wrzeſczevius aliquoties ex inopinato aggredi Monaſterium, ſed ignominiosè repreſſus à Nobilibus, quos Clari Montis ſolutio animoſiores reddiderat, tandem clade ſuorum nongentorum confuſus, rem agente immortalitate dignam Illuſtriſſimo ac Magnifico D. Grudzinski Palatino Caliſſienſi, indignus plecti heroâ manu, à plebe ruſtica ſtipitibus duris, ſudibusvè præuſtis actus, pro tot rapinis & ſacrilegis conatibus, infamis religionis Catholicæ deſertor & transfugâ, turpem animam Erebo dedit, ſuo non honoratus funere.

Supra Templum Crux viſa.

Gratulantur victoriam Principes Proceresq; Poloniæ.

Fama mendax Milleri de excidio Clari Mõtis & cæſis 20 millib. Polonorum. Millerus interfectus.

29. BEne ominoſum erat Patriæ, quòd caſu quodam, nec myſterij vacuo accidit. Cùm enim Ordo officij Divini pro Anno immediatè ſequenti conſcriberetur, præter conſvetudinem in diem Paſchatis additum nomen Victoriæ: Dominica RESVRRECTIONIS & VICTORIÆ, hoc in Eccleſia Principes Viros. Illuſtriſſimum & Reverendiſſ: D. Andream Comitem à Leſzno Leſczynski Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, Legatum Natum, Regni Poloniæ Primatem, Primumq; Principem: Illuſtriſſimum ac Reverendiſſ: D Caſimirum Florianum Ducem in Klewan Czartoryski, eo tempore Vladiſlavienſem & Pomeraniæ Epiſcopum, & Illuſtriſſimum ac Reverendiſſ: D Ioannem Tarnowski, Archiepiſcopum Leopolienſem: & Illuſtriſſimum ac Reverendiſſ: D. Ioannem Stephanum Wyzga, tunc Luceorien: Epiſcopum, aliasq; dignitatis Eccleſiaſticæ Perſonas induxit, ut quærerent ſcrupuloſa indagine, quid illa die potiſſimum eveniſſet, quod Victoriæ titulum mereretur, in confuſo adeo Reipublicæ Statu, compertumquè eſt eo die ſacram Imaginem, quæ ſecuritatis causâ alibi conſervabatur, in Sacrario, publico populorum cultui expoſitam, ſubmoto exemplari, quod ad inſtar, ipſius obſidionis tempore locum occupabat. Quapropter iidem Illuſtriſſimi Præſules, anno eodẽ ſexto Nonas Iulij, cum Sereniſſi-

Poſt obſidionem quæ fuerit Dominica Victoriæ.

Sereniſſimi Reges cum Senatoribus Montẽ Clarum viſitãt.

reniſſi.

serenissimis Majestatibus advenerunt, & ab hac augurata, indice Cœlo, *Victoriæ* festivitate gloriosum mutitis calculis nomē imposuerūt; Montem Clarum à triumphatis hostibus deinceps *Montem Victoriæ* dicendum decernentes. Eadem mens & alijs Regni Proceribus, quos inter M. D. Stanislaus Kobierzycki Palatinus Pomeraniæ, qui in suo opere Montem Clarum *Poloniæ Capitolium* appellavit, ex quo, ut idem loquitur. *Salus & Victoria universæ affulsit Poloniæ.*

Mons Clarus Mons Victoriæ.

30. HIc Ianum claudit MARIA, cujus singulari Protectioni Serenissimus Rex Ioannes Casimirus, cum Serenissima Consorte Ludovica Poloniæ Regina suam attribuunt securitatem, ab insidiantibus undique Svecorum Turmis præservati. Placuit itaquè Serenissimis Regibus ad hanc *Securitatatū Aram* commorari, hic celebrata Regni Procerū Comitia, in quibus coalescens in solidiores vires Reipublicæ corpus roborabatur; hic belli pacisq; negotia tractata, quæ pluribus alibi Comitijs ægrè componi potuissent. Traxit huc Principum ac Senatorum animos, & ad unitatem non obluctantes composuit. Divinæ porrò reconciliationis argumentum spectavimus in luminoso diademate, quo Clarum Montem Cœlum coronavit. Quale diadema nisi solibus contextum, deceret *Solū ac Lucis Aulam?* Post paucos dies elapsos ab adventu Serenissimi Regis in Montem Clarum, ipsâ Dominica Passionis trinus apparuit Sol de meridie, visa insimul duplex corona solaris candida, quarum altera latiùs per aërem protensa totum cum Monte Monasteriū, altera longè strictior versùs meridiē porrecta, fastigio suo solis circumdati clypeum, quem ab utraque parte respiciebant bini soles, ambiebat. Iucundum erat Serenissimis Majestatibus Regniq; Proceribus illud reconciliati Numinis argumentum intueri, tres Soles in coronam textos, qui trium annorum continuatas calamitates, subsequentibus solatijs compensarunt.

Serenissimi Reges hosti bus vallati evadunt insidias.

In Claro Monte Comitia Regni

Mons Clarus triplici Sole & luminoso diademate coronatur.

31. ET hæc erant, quæ circa obsidionem memorari debuerunt. Gratiæ itaque hic reddendæ immortales Serenissimo Regi Casimiro, cum Serenissima Consorte Ludovica Regina, totique Reipublicæ Polonæ, quæ attributis, ad munimentum & ornamentum bonis Locum sacrum cumularunt. Et quidem quantum ad singularem Serenissimi ac Religiosissimi Regis Ioannis Casimiri gratitudinem, qui hinc reportata & in Regnum integrum derivata beneficia Divæ suæ, nostræque Tutanæ MARIÆ studebat, nobisque compensare, totum illi placiturum ratus, quidquid ejus tribueretur. mancipijs interest reminisci, supplicationis illius super Ordinis nostri negotio, ad SS D. ALEXANDRVM VII. P. M. datæ, in qua nunquam satis laudabilis tanti Principis erga locum Sacrum devotio, & æstimatio perstringitur, Est autem hæc

Serenissimorum Regum & Senatus universi erga s. locum Liberalitas.

32. *SAnctissime ac Beatissime in Christo Pater, D. D. Clementissime, post oscula Beatorū pedum Sanctitatis Vestræ, mei Regnorūque ac Dominiorum meorum, humillimam cō mendationem.*

Serenissimi Regis Ioannis Casimiri, pro Loco sacro ad Sanctissimum D. N. Alexandrum VII. Literæ.

CEleberrima Magnæ Deiparæ Imago, quæ Czestochoviæ in Regno meo, per vetusto cultu, & miraculorum frequentiâ affulget, cùm Sarmaticum hunc Orbem implevit, tum ad Vrbem ipsam Augustam Romam, ac præcipuè ad aures S. V. opinor nobile & eximium ejus decus pridem penetrâsse. Claritudo loci antiqua, & recens ab ingenti devotæ multitudinis concursu, afflictorum solatio, magnis & Solennibus Divinæ Clementiæ ostensis, sed neque inferiùs censeri debet virtutis & Constantiæ specimen, quod religiosi, dicti loci, Fratres Ordinis Sancti PAVLI Primi Eremitæ, afflictis, & propè desperatis rebus meis nuperrimè ediderunt. Perspectum planè Sanctitati Vestræ, quibus & quantis angustijs ego, Regnúmque meum premebamur, conspirante prævalidâ fatorum injuria, cui & potissima Regni mei pars, cis Vistulam succubuerit; Sola Claromontana Czestochovia, nullis hostium vel artibus, vel instrumentis potentiæ cōcussa, pro me egregiè stetit, & adversa quæque Deo propitio & favente, ad ultimum supera-

peravit. Est verò quod, excellenti merito Religiosorum dicti loci, debere me plurimum profitear, neque interea vacuos commendationis meæ dimittam &c. & paulò post Admittet Sanctitas Vestra Paterno affectu desiderium, simulq; ut nobile claustrum Czestochoviense specialibus gratijs Sanctitatis Vestræ inclarescat, Apostolicum thesaurum nunquam deficientem aperiet, & derivabit, quod ego beneficij instar mihi collatum interpretabor &c.

Gratiæ confessor. 33 SVperest magnificentiæ Marianæ confessio, quâ ab inimicis redempta triumphat populorum gratulantium & exultantium devotio. Facio id stylo Seraphici Doctoris in Psalt: B.V. Vtinam & affectu Seraphico liceret! *Confitebor tibi Domina in toto corde meo, & narrabo populis laudem & gloriam Tuam. Tibi enim debetur gloria & gratiarum actio, & vox laudis. Inveniant gratiam peccatores apud Deum, per te Inventricem gratiæ & salutis. Respirent ad indulgentiam humiles pœnitentes; Sana contritiones cordis eorum; In multitudine pacis & requie opulenta cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ, ô MARIA?* D. Bonav. Psalt. B.V.M.



ANA-

ANALECTORUM MENSÆ REGINALIS SEV HISTORIÆ, DIVÆ VIRGINIS CLAROMONTANÆ MARIÆ.

PARTITIO XII.

Miscellanea.

Hîc est, *secundùm D. Bernardum in sermone Signum Magnum &c.*

OMNIBUS OMNIA MARIA.

NE prolixum nomenclatorem agam dignitatis MARIÆ, gratiarum, & miraculorum vetat pluralitas, & varietas, quæ hujus libelli capacitatem excedit. Habent hîc universi, ac singuli quidquid illorum exigit, aut in solatijs gratiosa voluptas, aut in miserijs dura necessitas. Habet hîc orphanus Matrem, cliens Patronam, servus Dominam, mancipium Reginam, Bellonam miles, pupillus Tutricem, sapientiæ alumnus Palladem, Spem desperatus, Sanitatem infirmus, Robur debilis, Solatium afflictus, Patronam reus, Amicam justus, Vindicem injuriatus, mortuus Vitam, hostis, & contemptor Ultricem. Quidquid demum voles, per MARIAM habes, & in MARIA. Miraberis, quòd sicut est *Omnibus Omnia*, ità etiam perfidorum, & fœdifragorum Vindex est, Quomodo Omnibus omnia Maria

Grata bonis, invisa malis, inimica superbis.

Amabilitati MARIÆ in præcedentibus plurimùm consecratum est; nunc in severitatis nube, Marianam serenitatem fulminantem vide.

CAPVT I.

Votorum rei, dum proposita negligunt, à terribili MARIA castigantur.

Vnde. & quare terribilis Maria.

1. ET MARIÆ serenitas cudit fulmina. Quamvis hæc nihil fulminari, præter amorem, videatur amantibus; suæ tamen religionis desertoribus, ac fœdifragis pœnas intentat clementiæ blandimentis contemperatas, ut per formidinem ad Maternam cogendo rebelles confidentiam, ostendat, quòd quemadmodum, qui non procul ab Iove, non procul à fulmine, ita per neglecta, aut violata pietatis ejusdem officia, qui procul MARIA, non procul à fulmine; cujus minacissimo tonitru segniores excitantur, fulgure terrentur contemptores, rebelles domantur, sternuntur contumaces, ut discant MARIÆ manum, non tantùm imperialibus sceptris, pacificis oleis, & palmis triumphalibus impleri, sed & fulminibus armari, dum aut à perfidis cogitur, aut ab inpudentibus provocatur. Quadrant Reginæ nostræ, Cœlestium, terrestrium & infernorum imperia; quadrāt & arma vindicia, quibus illius propugnatur potestas, majestas exornatur, Honor defenditur, Authoritas augetur, Reverentia conciliatur. Proinde.

Discite Iustitiam moniti, & non temnere Divam!

Tantùm enim Diva temnitur, quantùm vilescit, quod voto promittitur. Exempla fœdifragorum punitorum, quæ hîc legenda proferuntur, Diva quid exigat loqvuntur.

Votorum reus punitur.

2. PRincipale est in A. R. D. *Christophoro Iwanicki* Canonico Kamenecensi, Præposito Miedzibozensi & Barensi &c. exemplum, quod idiomate patrio, manu propria fastis Marianis inseruit, præsens ad votorum solutionem. Recognitionis transsumptum refero fideliter:

Ego Christophorus Iwanicki *Canonicus Kamenecensis &c. profiteor sub attestatione conscientiæ quòd anno Dñi 1637. Leopoli in extremam ægritudinem collapsus, & à Medicis, quos principales tunc Leopolis habuit, desperatus, cùm fatiscerem, & arca funebris futuro mox cadaveri pararetur; Admodum Reverendus D.* Matthias Párzyński *Canonicus Kamenecensis Collega-*

gamens, ad visitationem hujus loci Czestochoviensis me devoverit, quo facto eadem hora, valetudinem reparatam sensi, & brevi sanitatis perfectæ beneficium adeptus sum. Iterum in anno 1638. ijdem immedicabiles morbi recruduerunt: à festo S. STANISLAI, ad primam Dominicam Adventûs quinquies relevatum, totidémque vicibus relapsum, angebat votorum non impletorum conscientia, quapropter Divinum Numen exoravi, vt sua Immaculatæ Virginis & Matris interventu, pristinam redonaret valetudinem, quominus promissis liceret satisfacere. Sic iterum plena sanitate sum potitus. Ità ego credo, & profiteor &c. Idem qui supra mpp:

Mementote clientes ad hanc morborum corporis, & animæ, Dominam, sinceros devotæ mentis oculos obvertere, & irretortam eorundem aciem in ejus contemplatione frigere; atq; ne ullo momento suos misericordes oculos à vobis avertat, observare sedulò satagite, à quorum amabili intuitu, tota nostræ salutis ratio dependet. D. Anselmum audite & credite: *Vt enim impossibile est, quòd illi à quibus Virgo* MARIA *oculos misericordiæ sua avertit salventur, ità necessarium, quòd hi ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur, & glorificentur.* *D. Anselm.*

Nunquam impunitus votorum neglectus.

3. INconstantes, & singulis variabiles momentis, imitantur Protheos, qui nunquam sui, ad omnem felicitatis auram circumferuntur, & religiosè propositorum obliti, Divis illudunt; quæ in casibus adversis vota spondebant, in verum secundè fluentium successibus, aut negligendo intermittentes, aut contemnendo: aut etiam, quod apud leves supernarum gratiarum æstimatores usu venit, pro diviti hecatombe, Caricas (ut ajunt) immolant victimas perfidi. Sed quisquis es ex hac ingratorum classe

Perfide, te Divos sperâsti fallere Protheu?

Scito nunquam impune mendacibus votis provocari superum Clementiam, quæ sæpe in fœdifragos vindicibus armis accingitur, eadem dextera, qua sublevat è calamitate, in graviores longè pœnas præcipitat. Expertus, authographo testatur M. D. *Ioannes Graienski* Vexillifer Wyscensis:

Exemplo asseritur.

Ego Ioannes Graiewski *Vexillifer Wyscensis, coram Deo, & mortalibus omnibus recognosco, quod pestilentia afflatus, primùm in bonis Conjugis meæ Zukow dictis, deinde in Chutachy, famulum,*

mulum, & hoſpitem cum nepote amiſerim, quo ſtatim tempore vovi Montem Clarum inviſere, implorando patrocinium Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ, ut nos à ſubitanea, & improviſa morte cuſtodiret. Adjutorium ab ejus interceſſione cognovimus, cùm illa ſæva peſte jam infectorum nullus, aliquem capitis dolorem ſenſit. At quia promiſſum exequi neglexi, Deo piaculum vindicante, invaſit animum quadam atrox intemperies, & gravior deſperatio, in qua animarum hoſtis mille offerebat modos ad interitum manibus proprijs conſciſcendum; quam deſperationem, & continuam à ſomno vigiliam, cùm hebdomadis octo toleraſſem, occupavit & filiam infirmitas incurabilis, jámque deploratæ guttur, letiferum implevit apoſtema. Hìc rurſus abſque cunctatione ſtatui antecedentibus propoſitis ſatisfacere, quæ ut primùm reaſſumpſi, deſperatio remiſit, redditum ſomni beneficium, filiæ reparata valetudo, pro quibus Divæ favoribus acceptis, gratias acturus, huc me contuli, vota perſolvi Anno 1579. 7. Decembris.

D. Bernardus ſuper *Salve Regina*.

Etiam dum ſævit, & ſalutari pœna plectit, Dulce eſt, Clemens eſt Numen Mariæ. Fatetur idem cum Lactimelleo Bernardo, ſuper *Salve Regina*, & cum Eccleſia, quod ſit in hac Miſericordiæ Matre *vita, dulcedo, & ſpes noſtra.* Hìc porro, *Primò ponit vitam, quæ eſt in integritate virtutum, ſecundò Dulcedinem ſpiritualium gaudiorum, deinde ſpem infert ſupernorum. Omnia hæc Regina Miſericordiæ Domina mundi, Regina cælorum contulit mundo, Virgo virginum Sancta Sanctorum, Lumen cæcorum, iuſtorum gloria, peccatorum venia, deſperatorum reparatio, deficientium fortitudo, ſalus Orbis, ſpeculum totius integritatis MARIA.*

Quomodo omnium ſpeculum Maria

Patet in Exemplo.

4. SPeculum eſt, non tantùm integritatis, ſed & fidelitatis MARIA. Fidelis fidelibus, quibus ſua, vitæ, gratiæ, miſericordiæ, ſpeique promiſſa conſervat, ſi votis erga ſe fidelitatem probaverint. Talis tibi in exemplis apparet, qualem te ei præbueris. Experti Clientes in ſuæ gratitudinis monumentis talem oſtendunt. Vir Nobilis *Valerianus Grocholſki* territorij Sochaczovienſis, amplioribus Divæ noſtræ favoribus, è diverſis fortunæ malignantis occaſionibus ereptus, votum ad viſitandam Aulam Partheniam ſpondebat, nunquam fruſtratus deſiderijs, quotieſcunq; cum propoſitis religioſâ mente conceptis huc recurrebat. Sed quia apud ingratos nihil adeò frequens, ac

bene-

benefactorum oblivio, Valerianus quoq; non recordatus quanti ſit piaculi Voto promiſſo, nec probato, ſuperis illudere, oblivisci voluit, aut prorſus oblitus eſt, quod antehac ſolicitis votis quæſitum, erat conſecutus Divæ ſubvenientis auxilium. Intermiſſo itaque Claromontanæ peregrinationis debito, cum frumento de bonis ſuis natat Gedanum. Divæ perfidum, ne Viſtulei fluctus excuſſum ſorberet, parum abfuit; ſenſerunt inimicum voluntati MARIÆ, Ionam, & pœnam Valeriano machinabantur. Acclinis ad undæ ſubjugatæ captandum è tranſtris, abluendæ faciei gratiâ laticem, ut primùm vultum & oculos perluit, veluti ſi quoddam virus hauſiſſet, utroque lumine captus, & apoplectica malignitate afflatus, prolabitur. Redijt cum pœna ſanior mens; obligationem, quàm apertis non vidit, clauſis agnovit luminibus, nec priùs ſe perfidiæ, quàm mortis, ex imminenti caſu, reum animadvertit. Iterum affulſit animo conſternato MARIA, fit illi ſupplex, viſumque cum ſanitate precatus, eam in oculorũ ſuorum pupillam aſſumit, vota ſolvere, quæ neglexerat, decernens. Tribus horis ſub aperto ſole noctem ferebat in oculis. Redijt iterum voti nuncupati beneficio, gratior virium, & charior oculorum ſanitas, quam, in acceptis Divæ Claromontanæ, vota ſolvens ad ejus Aram, referebat. Anno 1609. 17. Iulij.

Parentum culpam, luit filia.

5. PAri pœna, par negligentia plectebatur in N. *Catharina Popławſka*, Diſtrictûs Opoczynenſis, de Villa *Kurow*. In tenera ætate viſu privata, nec unum adoleſcentis vitæ ſuæ videndo ſolem, ad maturiorem vixit ætatem. Oculorum Lux MARIA deſiderabatur. Serò mœſtus genitor intellexit, nòn priùs tamen, quàm exemplis eruditus, MARIAM Claromontanæ ſerenitatis lucem pro cæcis, & à cæcis implorandam. Itaque huc filiam votis offert, quo facto, videre videt filiam, ſeque videri, noſcique Patrem à filia lætatur. Abrupit illud diuturnius oculorum ſolatium pediſequa ingratitudinis oblivio, quæ rurſus pœnalem Catharinæ luminibus noctem iniecit, ſub cujus umbris, ignotus morborum exercitus, votorum, & ingratitudinis ream proſtravit. Auxit ærumnam priſtinæ lucis recordatio, cujus eò gravior jactura, quò gratior uſura, votis diuturnioribus expetebatur. Perfidiæ piaculo Reginæ noſtræ ſerenitatem læſam advertit, negligentiæ conſcius Pater cum filia; iterum facti Divæ ſupplices, amicam exorantibus, illius Clementiam appellant, & optato viſûs ſolatio fruuntur. Dum vota publica ſolverentur, in faſtos Marianos illatum beneficium Anno 1646. 6. Maij. Quàm amabilis! quàm exorabilis,

lis,

lis, quàm desiderabilis es ô MARIA! cogit nos, ad amandum Te, amabilitas, ad desiderandum gratiositas, ad exorandum miserendi facilis pietas. Profectò (libet, & delectat loqui iterum cum Tuo lactimelleo Cliente ô Amor, Desideriúmque nostrum MARIA) Quòd

D. Bernard.

MARIA Virgo Beata Tu via es, per quam homo venit ad Deum, & peccator ad veniam, & per quam venit ad peccatorem venia; non enim venit ad veniam, qui nescit amare MARIAM.

CAPVT II.

Idem Argumentum continuatur.

Filius Matris injuriam ulciscitur.

6. QVod si in his pœnalitatibus, aliquid Marianæ Clementiæ, suapte natura ad miserendum mortalibus & non puniendum propendenti, derogare videtur, opinari cuique licet filium vindicem, Matris suæ desertos, & fraudatos honores ulcisci, ne Clementiæ, & Misericordiæ Reginam, immisericordem appellare. Habet partem gratiæ, arbitrio MARIÆ permissa, aut immissa castigatio, ex qua non sequitur perditio, sed ad meritum devotionis pristinæ, restauratur neglecta piè gerendorum, aut Divis solvendorum, intentio. Hinc merita cumulare docet necessitas, quod exemplorum, in Illustrium Virorum Maritis, palam facit claritas, cujus dantur authographa. Primum est *Annæ Iłowska* Palatinæ Płocensis ex Archivo decerptum:

Exemplum.

Ego Anna Iłowska, *Palátina Płocensis in ægritudine gravi spopondi hunc locum sacrum invisere, verùm ex negligentia per tempus non modicum solvere propositum intermisi, primæ punitionis immemor. Porrò cum vice altera vindex Deus plagâ percussit corpus meum, redonatam sanitatem accepi, & lubens, cum firma fide, vota in his necessitatibus concepta, solvendo, hunc locũ visitavi. Testor itaq; magnam Bonitatem Dei, qui me consolari, & sanare Divæ Matris interventu, dignatus est. Actum Anno Domini 1555. post Divi STANISLAI Translationem.*

7. HEdvigis Annæ subnectitur. Seu natalium ornamenta spectes, seu necessitatem, gratiam, propositum, pænam, iterúmque repetita solatia conferas utrinque par in omnibus. Hæc in protocollis gratiarum, habetur ejus syngrapha:

Simile.

Hedvigis Pilchowska, *de* Dzierzkow, *Dapiferi Wyssogrodensis conjunx, profiteor me permagnis infirmitatibus cum*

tribus

tribus filijs meis extremè laborâsse usque ad omnium desperationem. Sed mandato mei Consortis, cùm me, filiosq; ad hanc Aram sistere despondi; convalui. Hoc item recognosco, quòd votorum solutionem protrahere volens, rursus in pœnales morbos relapsa satiscebam, cùm autem votum peregrinandi ad hanc sacram Ædem prosequor, gratiâ sanitatis iterum potita sum, pro qua sit DEO honor, & gloria, in æternum, gloriosissimæq; Virgini MARIÆ, Anno 1567. Hæc ex Fastis Marianis, quamvis nonnihil ob idioma vetustum, utpote centum & amplius, annos, immutata.

8. EX æquo dispensat opsonia gratiarum, ex hac sua Mensa, omnib⁹ MARIA, nemini dulces solatiorum micas subtrahit, nisi qui ab ejus obtutibus ultro se subduxerint. Quantùm ad eam per affectum appropinquas, tantùm incalescis, & inclarescis. Nam quemadmodum Sol *omnibus omnia*, ità sola, & longè quidem liberalius *omnibus omnia* MARIA, quæ, (ut loquitur Richardus à S. Laurentio de Laud. B. V. M. lib: 6.) *Tanta liberalitatis est, quòd à nulla creatura, quantumcunq; fœtente, & sordida, si sit ei exposita, radios suos avertit; nec quantumlibet speciosam illustrat, si abscondatur ab ea, Similiter nec Maria à quantumcunq; vilissimo peccatore, ipsam fideliter invocante, avertit respectum pietatis suæ, nec quantumlibet magnus fuerit, quis, per literas, divitias, aut honores, ipsum irradiat, si ipsam negligat invocare; multos tamen prævenit, ut velint, & volentes prosequitur, ne frustra voluerint.*

Sicut Sol, omnib⁹ omnia Maria.

Richardus à S. Laurent.

9. ITerum coronatrix Regum Vrbs Cracovia, reconciliatam cum reviviscentis pueri miraculo, gloriosissimam Deiparam proponit. Hîc Civis Martinus Dudzic, filium supremo langvore pereuntem Divæ nostræ despondet, votiquè beneficio, incolumem gremio lætus excipit. At quia gratitudinem in hoc loco Divæ Sospitæ probare neglexit, in pernitiem prolis Divinam provocavit vindictam. Iterum progenitoris culpâ gratitudinis exactor, vindex infirmitatum agmen, innocentem pusionem exagitat, quo commonefacti Parentes, ad Divæ nostræ Templa vota properant, & qui votorum neglectu, anno medio langventem, mortis reum fecerant, deprecantes propitium Virginis Numen, vitam filio, sibiquè solatia in superstite prole meruerunt. Inter Gratias Marianas relatum Anno 1612 Sabbatho post Dominicam in Albis.

Parentũ ingratitudo fit pœna filij.

Oo 10. Obs-

10. OB ejusmodi perfidiæ culpam, alius de morbo in morbus, alius de infortunio, ad infortunium, repetitis casibus revolvitur: alius è carcere, de quo nonnisi mors absolvere debebat, in carcerem, pœnalem vitam daturus, quòd vitæ redonatæ Patronam contempsisset, retruditur: Super hoc, seculi præcedentis autographum in Fastis Parthenijs legitur:

Votorū reus per infortunia volutus.

Ego Bartholomæus *de* Semborzice *notum facio, me in teterrimum carcerem proiectum, atque cùm spopondissem hunc locum sacrum invisere, mirabiliter ereptum, & liberatum fuisse. Verùm quia vota non persolvi, licentiosiùs vivendo, rursus me punivit vindex* DEUS, *nam in crudeliorem longè retrusus, supremum terminum vitæ præstolabar. Et hîc pro libertatis consecutione* MARIÆ *supplex, eadem horâ, beneficium libertatis adeptus, nunc vota soluturus locum hunc visito. Pro tanto beneficio* DEO *sit honor, & gloria, & Sanctissimæ Matri ejus Virgini. Anno Domini 1576.*

11. EN MARIA supplicum complet desiderium, quæ dignanter sui desiderandi contulit affectum. Pulsant ergo gemitibus Misericordiæ ianuam, nec desinunt votis humilibus precari, qui DEO per MARIAM cupiunt reconciliari; nec fraudantur expectatione, qui sincera suspirant devotione. Pulsemus & nos ad *Ianuam Cæli*, qui adhuc in dubiæ æternitatis itinere, subsistimus, erramus, fatigamur. Dicamus Matrifamilias Cœlesti, ad æternitatis ambiguam sortem trepidantes: Domina, Domina aperi nobis! memento nostri in beneplacito miserationum Tuarum. *Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis; sit per Te excusabile, quod per Te ingerimus; fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus; excusa quod timemus, quia Tu es Spes unica peccatorum. Per Te speramus veniam delictorum, & in Te Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorū. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles; ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu. Sentiant omnes Tuum juvamen, quicunque celebrant Tuam sanctam venerationem, ô* MARIA.

Pulsandum ad Mariam. D. Augustin serm: de B. V. Maria.

CAPUT

CAPUT III.

Ex laminis aureis ac argenteis, MARIÆ, gratiarum & Liberalitatis vota solventium, symbola.

12. NOn absque grato animi sensu iterum venis in memoriam Dive VLADISLAE Poloniæ & Sveciæ Rex, qui præter alia monumenta gratiarum, quæ Tuam raram devotionem, fiduciam, & liberalitatem erga hunc locum propalam ostendunt. auream laminam centum aureorum gratiæ, & gratitudinis testem, ad Divæ Tuæ Sospitatricis Aram appendisti cum hac inscriptione:

Serenissimi Regis Vladislai recognitio.

D. O. M.
MAGNÆ MATRI SEMPER VIRGINI,
Infirmorum Saluti,
VLADISLAVS QVARTVS
POLONIÆ & SVECIÆ REX,
Jn gravissimis calculi doloribus,
opem ejus expertus
Ex Voto
Varsaviæ Anno Domini M. DC. XXXV.
VI. Januarij factum
P. M.

Et Anno D, 1648. in summo vitæ discrimine constitutus, ad solitum suæ devotionis Amuletum, Divam Claromontanam recurrens, vitæ beneficio lætus, Epigraphen hanc, quam in eius ore frequenter personantem audivimus, argenteæ grandiori bracteæ superjectam Divæ hoc loco obtulit.

Ex Voto
JESUS MARIA IOSEPH.
Solve vincla reis,
Profer Lumen cœcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce!
Die 17. Ianuarij Anno 1648.

Episcoporũ autographa

13. ACcedunt ad Regalium Diadematum apices, Præsulum Tiaræ, ad Divæ Virginis Claromontanæ Aras cum gratiarũ recognitionibus, & in argento cælatis beneficiorum imaginibus, inclinatæ. Primo loco recensetur Ioannes à Lipie Lipski, Referendarius Regni, illo tempore Culmensis, pòst & Pomesaniæ Episcopus, à VLADISLAO IV. pro CÆCILIA RENATA ad FERDINANDUM III. Roman: Imper: Pronubus, Vir eloquentissimus, &, ut loquitur in *Vladislao Rege* Vassembergius *purissima latinitate prorsus Lipsius*, Archiepiscopus deinde Gnesnensis, Primas Regni, cujus hæc sunt in argento:

JOANNES LIPSKI Referendarius Regni, ob vitam per Virginem datam, eidem ex voto posuit. Anno D. M. DC. XXX. IV.

Simile.

14. ILlustrissimi ac Reverendissimi D. IACOBI ZADZIK, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Supremi Regni Cancellarij, in argenteo anathemate hæc leguntur:

D. O. M.

Singulare Deiparæ Virginis patrocinium, in pace primùm cum Moschis, in ipsis Moschoviæ penetralibus; postmodum cum Svecis in Prussia confectam: tum etiã sanitate in diversis periculis conservata; exiguo hoc debitæ gratitudinis signo testatum, Iacobus Zadzik Episcopus Cracovien: Dux Severiæ. Supremus Regni Cancellarius, Anno Dñi M. DC. XXX. VI.

Simile.

15. ILlustrissimus quoque ac Reverendissimus Dñus PETRUS GEMBICKI, loci huius Virginei Fautor eximius, qui deinde virtutibus Præsuleis Cracoviensis Episcopatûs Cathedram exornavit, beneficium acceptum, his in tabula argentea expressum obtulit:

PETRUS GEMBICKI, Episcopus Premislensis Cancellarius Regni, ex gravi morbo vovens exolvit. Anno Domini M. DC. XL.

Ex parte gratiæ testimonium.

Adeò magna Pontificum exempla, provocant non illiberalem aliorum devotionem. Episcopis Vicarium annecto vota huc ferentem, cuius apographum in argento hoc est:

Anno

Anno Domini 1621. in pestis, mortisquè medio, beneficij accepti, valetudinis servatæ pignus, anathema, votum B. V. MARIæ Częstochoviensi, Iarosłaviæ, Adamus Nieznamoviensis Senior Vicariorum Ecclesiæ Collegiatæ Iarosłaviensis.

Inter Mariã & Sacerdotem quæ affinitas?

16. NOvit MARIA, qui sunt ejus; Regali ex progenie procedens, Sacerdotij Regalis decora, auget gratiâ. Novit, quanta, quàm q; propinqua ad eam accedant affinitate, qui Sacerdotalis officij præfulgent dignitate. Magna vicinitas Virginis, virginitate uteri concipientis DEI Primogenitum, & Sacerdotis virginitate manuum, in manibus regenitum excipientis. Quod in se factum ex se lætatur, idem quoque in alijs re fieri gratulatur; ut qui ante omnia tempora ex Patre, sine Matre est genitus, in tempore ex Matre sine Patre natus; per omnia tempora, utroque, tum Patre, tum Matre carens, nová genitura, extra uterum Filius renascitur. His peculiariter, proprium cùm fecit communem Filium, neque gratiarum negavit participium. Est Regina, simul & Sacerdos MARIA, quæ in Obsidem, pro nobis Filium in carne sua offert Patri, Advocatam omnium gerendo. *Quamobrem* (cum D. Methodio in Hypapante loquimur) *ô Sanctissima Deipara. quæ reliquis omnibus & benignior es; & Materno honore, & cum DEO colloquendi libertate gloriosior, Te obnixè rogamus, ut nostri jugem, ac perpetuam habere memoriam velis!*

D. Method: in Hypap:

In vitæ supremo periculo salvatã recognitio.

17. AVitissimæ quoque Opaliniorum Familiæ, plena omnibus in utraque Republica meritorum ornamentis ONERARIA, quàm placidè, quàm securè in hoc *Gratiarum Mari* navi get, testatum fecit Illustrissimus D. Ioannes de Bnin Opalinski, cùm huic Sospitatrici suam in acceptis incolumitatem in majori tabula argentea consignatam referebat. Incomparabilem ejus, erga hoc Salutis, Bonæque Spei Promontorium, affectum, & Liberalitatem sic lego:

D. O. M.

Sacratum Tibi ô Magna Æterni DEI Mater, unica post DEUM Omnipotens Sospitatrix, Patrona Virgo MARIA, Tuus ex animo Cliens, Ioannes de Bnin Opalinski, Palatinus Posnaniensis, & Inowładisłaviensis Capitaneus; cui Tu

cui Tu jam ultima fata expectanti, illicò Advocata adstitisti, optatæ incolumitati restituisti, debitas ut referret gratias, anathema hoc, in Templo Częstochoviensi, à Te præ omnibus electo, Tuæ amplitudini ex toto devotus appendit. Anno Tui partûs Virginei, M. DC. XXXIV. monstrasti Te esse Matrem!

18. HOc naulum, quod vitæ naufragium evitârit, Cliens Illustrissimus deposuit. Liberalem Heredes Illustrissimi devotionem imitantur, quam grandioribus argenteis muneribus testati sunt. Pulchram sibi necessitatem duxêre, cum alijs Clientibus huic loco devotissimis muneribus certare, & amoribus. Affulget itaque hinc MARIA veluti Pharos Opaliniæ Argo, per undantes Honorum, & Fortunarum affluxus prosperè naviganti, affulgebitque, donec optatum plenæ beatitatis portum attingat. *Quia* (ut inquit D. Amedeus Homil: 8 de Laud: B. V. M.) *MARIA id est stella Maris, provido Dei consilio vocata est, ut Nomine declararet, quod re ipsa clarius manifestat. Nam ex quo cœlos cum Filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se, mirabiles elationes maris solo nutu cõpescitura. Mare quippe præsentis sæculi navigantes, seq; plena fide invocantes, ab impetu procellæ, ex ventorum rabie eruit, eosq; secum ovantes ad littus felicissimæ Patriæ perducit. Dici non potest Charissimi, quoties hi asperrimis scopulis naufragaturi, offenderent; illi in Syrtes pessimas non reversuri inciderent: hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret; illos Syrenarum cantus, in exitium, dulces, detinerent, nisi Stella Maris perpetua Virgo Maria ope validissima obstitisset, suosq; jam fracto gubernaculo, & rate conquassata, omni humano consilio destitutos, cœlesti ducatu ad portum æternæ Pacis applicandos eveheret.*

D. Amedeus Homil: 8. de Laud: B. V.

Maria stella maris.

19. ILlustrissimus quoque D. *Alexander Służká*, Palatinus Novogrodensis, & gratiam, & liberalitatem huic Aulæ Marianæ probatam voluit, quapropter hæc argento incisa hîc deposuit.

In morbis beneficium.

D. O. M.

Alexander Ioannes Służká, Novogrodensis Palatinus Rzeczycensis, Homołogensis &c. &c. Gubernator, votum hoc Sanctissimæ Deiparæ Virgini Częstochoviensi, ob recuperatam sanitatem sacravit. Anno M. DC. XL.

Alius Divæ Nostræ post morbos & infortunia detriumphata, suam debet incolumitatem; alius ab his novercalibus, tum naturæ, tum fortunæ odijs, præservationem. Vtrumque se debere fatetur M. D. Georgius Kászynski Prodapifer Podoliensis, simul & fortunatos successus, sub auspicijs ejusdem Patronæ, complexus.

Auspicijs Mariæ Legationis momenta felicitantur.

Matrem Virginem MARIAM, cui Sponsus DEVS est, Filius VERBUM: Georgius Kászynski, Subdapifer Podoliensis, post binam Legationem sub Sigismundo III, & Vladislao IV. Regibus Poloniæ, ad Turcas susceptam, Virginis ope Częstochoviensis, feliciter peractam: Optimam, Maximam Sospitatricem, è morbo convalescens, hac tabella supplex veneratur. Anno M. DC XXXI.

20. VNdecunque tandem, seu è barbarorum compedibus, seu è captivitatis carceribus, seu è funerali sponda, seu terra, seu mari, propè, aut longè, semper tamen rectà itur ad MARIAM. Nec immensa tumultuantis Oceani littora eripuerunt, aut longa terrarum sub alio sole jacentium divortia, ne subveniret invocantibus præpediverunt, Germanis Fratribus è Kostkarũ Illustrissima Familia, Stanislao, & Alexandro, qui hæc in lamina argentea, ferè palmorum quinque, fluctus tempestuosi maris referente, deposuerunt ad Aram MARIÆ:

In mari naufragantes salvantur.

MAGNÆ MATRI VIRGINI

Conservatrici suæ Clementissimæ,

& sibi juncto Sangvine

B. STANISLAO KOSTKA

Stanislaus & Alexander Kostká Fratres uterini, jam jam vorticibus æstuãtis Oceani, nõ procul Zelandiæ portum, & ejus Vrbem Briel, circa meridiem absorbendi, amborum invocatorum beneficio, præsentissimo subtracti naufragio, salvi, & reduces in Patriam, pro incolumitate ex voto posuêre. Anno à Partu Virginis 1638. 3. Aprilis.

21. SVaviter navigat, quem Mare Gratiarum MARIA supportat; Maternæ dulcedinis abundantiâ, maris perniciosam sal-

Quomodo & quale mare Maria.

sedinem indulcando. Hanc affundit Clientum pectoribus, & ad virtutis amorem inflammantur; hac reficit pusillanimium infirmitatem, & ad subeunda intrepidè ardua negotiorum molimina concitantur; hanc procellosis depluit fluctibus, & placantur. Bellè ad meam rem, & sensum Bernardinus de Busti, parte 9 Marial: Sermone 2. inquit: *MARIA assimilatur mari, quia sicut mare, est origo & principium omnium aquarum, caput & hospitium fluminum, & fons imbrium; ità ipsa Benedicta Virgo fuit principium Divinarum gratiarum, in quantum principaliùs propter ipsam Filius Dei Incarnatus est, per quam omnis gratia mundo elapsa est. Item omnis gratiæ plenitudo in ipsam descendit, tanquam in hospitium idoneum, & per eius merita, & intercessionem in alios diffusa est.*

Bernardinus de Busti parte 9. Mar: Serm; 2.

In vitæ discrimine beneficium.

22 QVidni & medicinalis fiat Clientibus hæc Marina, seu Mariana gratiarum dulcedo? mortis funestæ pestilentiam absumit, dum imploratur. Hoc cognitum, & recognitum in argento legitur:

MATRI MISERICORDIÆ
Cuius præsidio extremum vitæ discrimen
peste sæviente evasit,
Ex Voto
Generosus Petrus Máláchowski, Cápitaneus Stanisławowiensis, S. R. M. Aulicus, Festo Annunciationis die, Ann o Domini M. DC. XXXI.
Præsens, ac prostratus obtulit.
Ob vitam datam per Divam,
Benedicam Te quoad vivam!

In felici rerum successu & in paralysi gratia.

23. CVmulata beneficia, pari pietatis, & gratæ Liberalitatis, seu Liberalis gratitudinis, affectu, in bractea paulò grandiore exaravit Generosus Dñus Christophorus Dzierzek, in cujus facie leguntur:

Votum hoc
D. O. M.
Et Sanctissimæ VIRGINI MATRI,
Primùm
Ob Legationem feliciter ad Scythas obitam; ad hanc enim à

pim à Serenissimo Rege Poloniarum Vladislao IV, & à Republica ad Chamum Tartarorum Anno D. 1639 destinatus, ea dexteritate, prudentiaquè cum eo negotium transegit, ut Chan Inachet Gerey, cum Exercituū Duce Galga Vsan Gerey, juramento se obstringeret, quòd amicitiæ perpetuæ jura inquinatè culturus, & decem millia Scytharum Regi Poloniæ contra Turcam bellaturo esset oblaturus.

Deinde
Ob sanitatem ope Divæ Matris receptam. Cùm enim Anno Domini 1642. ità paralysi afflatus esset, ut manuum pedumquè usu destitueretur, illius invocatione ad vigorem redire cœpit, ac membrorum usum recipere.

His igitur beneficiis à Cœlo auctus,
Regi, Reginæque Cœlituum,
Per votum istud, se gratum exhibet,
Anno à Partu Virginis M. DC. XL. III.
Christophorus Dzierzek &c.
(Locus Stemmatis)

Compluriū beneficiū obtentū.

24. ALius alio graviorum ærumnarum capacior, & miraculorum. Hæc ad vitæ periculorum decempedam metimur in Magnif: D. *Philippo Ptragowski*, Viro à teneris Gloriosissimæ Virginis MARIÆ cultui devincto, qui toties huc ad quærendam opem votis recurrebat, quoties infecundis casibus ad interitum volvebatur. Periculorum ejus; & miraculorum Synopsis hic ex argento subjicitur;

Deo Optimo Maximo:

Divæ Tutelari, ac Deiparæ votum pro auxilio, servatrice opera. Quando me puerum Tartari, Patriâ, domo, & terrâ abduxerunt, sæpè venditum barbari mancipârunt, Ponto Adriatico, Oceano, vexerunt; tandē per Hispanos liberatus, Regi Catholico donatus, Tuâ ô Virgo tutelâ vivo! Quando bello Moschovitico, auspiciis

VLADISLAI Quarti, tentata infaustis cuniculis Biała; ubi collaterales socij, vivi mansere sepulti, ego egesta mole terræ obrutus, illæsus exivi, Tuo ô Virgo auxilio vivo. Quando bello Germanico, sub signis Ioannis Casimiri Principis Poloniæ, de monte prærupto, in profundâ Mosellam à Gallis actus, supra mergentium terga salvus enatavi. Inter morientes socios peste sub Vormatia; inter latronum sclopos Hafelli, & Notorn: Tuâ ô Virgo operâ vivo, æternùm Tuus Philippus Ptragowski, Cubicularius Sacræ Regiæ Majestatis.

Vt à filijs imploranda MARIA.

25. ET unde Mariophilis Clientibus tam secura, & certa vitæ præsidia, nisi à MARIÆ protegentis præsentia? quamvis continuis exagitentur infortuniorum laboribus, nunquam possunt periclitari, qui id unum curant, per MARIAM salvari. Credite hoc immortalitatis beatæ candidati, & ad tantæ Matris occupandos favores impigrâ devotione festinate, & futuri ejus Filij, per Filium Redemptorem, confidenter implorate, cum D. Anselmo sua illi desideria propalantes: (Orat: ad B. V. M.) *MARIA obsecro Te per gratiam, quâ sic Dominus esse Tecum, & Te voluit esse secum; fac propter ipsam eandem gratiam, misericordiam Tuam mecum, fac ut amor Tui semper sit mecum, & cura mei semper sit Tecum; fac ut clamor necessitatis meæ, quamdiu ipsa persistit, semper sit Tecum, & respectus pietatis Tuæ quamdiu ego persisto, semper sit mecum; fac ut congratulatio beatitudinis Tuæ sit semper mecum, & compassio miseriæ meæ, quantum mihi expedit, sit semper Tecum. Sicut enim ô Beatissima, omnis à Te aversus, & à Te despectus, necesse est, ut intereat, ita omnis ad Te conversus, & à Te respectus, impossibile est ut pereat ô MARIA!*

D. Anselm. in Orat: ad B. V. M.

CAPVT IV.

Superioribus similia referuntur.

Ex animi, fortunæque bonis erga Divam nostram liberalitas.

26. AD hanc quoque Virorum Illustrium pertinet Classem Illustrissimus D. Stanislaus à Kobierzycko Kobierzycki, Palatinus Pomeraniæ, qui (ut alibi memini) obsidionem Claromontanam per Svecos, & alios Hæreticos, sublimi, & magnifico stylo, pangebat. Ad hoc Divæ Virgini Claromontanæ, locoque sacro præstandum laboris, & honoris obsequium, quòd periculis, & necessitatibus, adactus fuerit, palàm in Præfatione demonstrat, cùm ait: *Quod in Publicis Patriæ, meisque privatis calamitatibus votum conceperam, jam debitor exolvit calamus &c.* Mentem gratam exposuit, beneficium insinuavit. Liberalitatis tamen interest meminisse, quam Illustrissimus Cliens, ex asse erga Sospitatricem suam liberalis, orbi palam fecit, cùm non tantùm animi sui, affectúsque ad loci sacri venerationem propendentis, decora, in operoso Historiæ oblatæ munere, devovit legenda; verùm etiam fortunæ sumptibus non pepercit, cùm opus in prælo Typographico perfectum, argenteis thecis involutum, ad latus Aræ Marianæ appendit, in cujus una facie Gentilitium stemma, in altera hæc Inscriptio legitur:

MARIÆ
Hæreseon Gloriosæ Triumphatrici,
Magnæ Matri Virgini,
Reginæ Regni Poloniæ,
Suæ Clementissimæ Dominæ, ac Patronæ,
Defensi Clari Montis,
A Martio Svecorum furore,
fideli creditum calamo
Beneficium,
STANISLAVS à Kobierzycko KOBIERZYCKI Palatinus Pomeraniæ,
Ex voto supplex dicavit
Anno Domini 1659.

Replicati beneficij recognitio.

27 REplicatum in se Nepoteque suo beneficium Claromontanæ Virginis, liberali stylo, & munere professus est, Anno Dñi 1641. M. D. *Daniel Łásiński*, quod in altera bracteæ grandioris parte sic exaratum est:

Ego Daniel Łásiński *de Grochow, gravi morbo per aliquot hebdomadas oppressus, Anno Domini 1621, Medicis de salute mea desperantibus, meque derelinquentibus, Dominis autem meis consanguineis de vita mea timentibus, variaque vota ad diversa loca sacra, pro mea incolumitate recuperanda, nullo solatio facientibus; cernens me extrema infirmitate decumbentem, imo de cor-*

de supplex, tale emisi votum: Si, Deo volente, per interpositas preces Deiparæ, convaluero, locum Clari Montis Czestochoviensis, & Imaginem SSmæ Virginis MARIÆ *visitabo. Mox, per duas horas circiter, loquelâ sum privatus, ubi me Conjunx mea, & Mater, Dominique consanguinei mei deplorantes, quasi vitâ functum deseruerunt. Interim puer, seu famulus meus Piasecki, post moram longiorem venit, lacrymas copiosas super me effundit; cùm ergo quasi ex gravi somno expergefactus, notabilem emendationem in sanitate sensi, statimque altera die proprijs viribus nixus, ad Templum Sanctæ* BARBARÆ *Cracoviæ, cum gratiarum actione perrexi, Cracoviâq; celeriùs ad proprias ædes cùm remeassem, locum Clari Montis Czestochoviensis visitavi, ac demum integris viribus resumptis, feliciter redij, alia beneficia à Deo Optimo, mihi in diversis necessitatibus, & afflictionibus meis, per Matrem Misericordiæ collata expertus.*

Modò recenter Anno Domini 1641. misi Dominum meum Nepotem in urgentibus meis negotijs, in Prussiam; is, iter peragens in periculosam incidit ægritudinem Bydgoscij, quem morti proximum illius Civitatis incolæ videntes, per celerem cursorem parenti ejus indicarunt, pro funere filij sui necessaria convenientia mitteret. Ego tamen nihil dubitans de misericordia DEI *mortuos vivificantis, cum certa fiducia confugi ad Matrem Misericordiæ, promittens moribundum in S. loco Clari Montis Czestochoviensis sistere; ex qua hora, ut mihi per certam notitiam constat, meliùs se sensit habere. Gratus ergo existens beneficij, per merita SSmæ Virginis obtenti, humili, ac sincero corde, & cum debita gratiarum actione, hoc signum voti mei, licèt exilis, coram Divina Majestate, corde imo, ac supplici, dedico: illum tutelæ ejus Divinæ, ac patrocinio Matris afflictorum, & me unum ex peccatoribus commendans. Anno Domini 1641. 17. Augusti.*

Daniel Łasiński.

Plures gratiæ. 28 IN decumannis belli discriminibus, tum in pestifera lue, consimilem Beneficentissimæ Matri MARIÆ, gratiam acceptam, anathe-

mathema te professus est G. D. *Stephanus Iakowski*, quot favoribus MARIÆ, tot, secundùm Ethymum, coronis decoratus, qui hæc argenteæ tabulæ superiecit:

Recognoscens in diversis necessitatibus, & periculis larga DEI *beneficia, per suffragia Sanctissimæ Virginis, in Expeditione Prussica, præcipuè in pestilentia, memor gratiæ acceptæ, in perpetuum mnemosynon, Divæ Virgini honorandæ obtulit,* Stephanus *de Ostrawa* Iakowski. *Anno Domini 1619.*

Decet meminisse & Illustrissimarum Matronarum, quæ superatorum vitæ discriminum, mortisque trophæa in pretiosiore metallo affabre cælata, & circumscripta, ad Nostræ Thaumaturgæ Virginis Aram appendunt. Locum principem habet, inter orbis nostri Pandoras, nunquam laudata satis virago Illustrissima Princeps *Marina Radziwilia*, quæ in ægritudine Medicam facultatem excedente, ut votum ad hanc sacram Imaginem invisendam concepit, pristinæ valetudini restituta, liberalem gratitudinem tabulâ argenteâ testatam fecit, in qua hæc vernaculo idiomate expressa leguntur, nunc genuinè, quamvis non ad Poëseos tornum Latinè reddita: In morbis exitialibus discrimen superatum.

Ad mortem quæ poscebar spe jam destituta
STANISLAI RADZIWIL MARINA *Marita,*
Vivo Sospes, ò Virgo Mater DEI *mei,*
Cùm dixi: visitabo Templa meæ Spei.
JESV qui Tuam Matrem tantum adamâsti;
Si mihi vitam dedit, quid ei negâsti?

MARINA RADZIVILIA *Princeps in Olyka, & Nieswiez.*

29 HÆc vitam; alia vitam prolemque debet Divæ Nostræ, & voto nuncupatam in cælato argento supplex præsentat: In partu gratia.

Cœlituum Regina, Virgo Deique Mater, Orbis Asylum, Decus Montis Clari. Ecce Tibi Munusculum, cujus opem in partu sensit, Sophia Gorczycowna Bobrowska, *cum* Agnete *primogenita sua, offert, dicatque. Anno 1620.*

Non à solis Regum, ac Principum Aulis huc feruntur symbola gratæ mentis. Et Vrbes, Civitates, Oppidaque, plurima tulerunt, quæ A Peste, & Fame liber.

quæ Divæ nostræ thronum Reginalem exornant. Particularia quoque Civium prostant anathemata. Inter alios hoc Loviciensis Civis in argento dedit:

D. O. M.

Beatæ Virgini MARIÆ

DEI GENITRICI

Cujus intercessione, à peste, & fame Anno 1630. grassante, servatus est; gratus tanti beneficij, tabellam in memoriam æviternam, votum reddens, appendi curavit *Andreas Casimirus* Pharmacopola Lovicien: Anno quo supra.

30 HÆc nonnulla ex plurimis mentis gratæ symbolis, pauca ex innumeris testimonia, quorum insinuatæ gratiæ, & miracula, ex consilio huc reiecta, nullibi in superioribus memorantur, si Serenissimum Regem VLADISLAVM IV. solum excipias. Locus, temporisq; scribendi, hæc festinantem deficeret, si ad omnium transumendas, & hic referendas, ex auro, ac argento gratiarum ideas, & apographa, studium impenderetur. Sufficiet, non dubito, illis, quorum hic relatio desiderabitur, tacita, rectè facti, & oblatæ gratitudinis conscientia, si hæc remuneranda in suos fastos æternitatem adnotasse cogitaverint. Omnium ferè Familiarum, quæ Sarmaticum cœlum illustrant, alia majora, minora alia visuntur hic anathemata, quæ tantæ Cœlorum, Terrarúmque Principi factæ tributariæ, illud se optimè elocasse credunt, quod hujus Patronæ, Tutanæque suæ honori, Decorique impendunt. Dives hic in omnes MARIA, qui invocant illam, etiam Clientum diviti censu honorari, ornarique meruit. Cùm census defuerit, & affectum pensat, suisque compensat divitijs. Proponit eas Lactimelleus Doctor cùm dicit: *O Dives in omnes, & super omnes MARIA; de cujus substantia modica pars assumpta; totius mundi sufficit solvere delicta.*

Non omnes hic memorantur gratiæ.

D. Bernard.

CAPVT V.

Ex Marmore, alijsque tabulis desumpta Divæ Nostræ Gratiarum, & Magnalium Synopsis.

31. ET in Marmore, in coloribus, in ligno, in literarum monumentis leguntur, & cum solennibus gratijs in conspectum Odigitriæ

triæ Virginis ferunt prodigia, & gratiæ, quarum nondum alibi meminimus. Primum in marmore gratitudinis testimonium est:

E pluribus morbis salvatus.

Anno salutis M. DC. VIII. Deiparæ Virgini, Cœlorum Angelorúmque Reginæ MARIÆ. totius vitæ Patronæ, tempore quodam præterito, multitudine gravissimorum, diversorumq; morborum, obruto, penéque oppresso mihi, dum vota & ipse, & pro me Sophia *Ducissa in Zaslaw, & Ostrog, Conjux, familiaresque, concipimus, supra spem humanæ rationis miraculosæ liberatrici,* Ioannes Comes *de Ostrog, Castellanus Posnaniensis, Maiburgensis, Garwoliensis Capitaneus, vota solvendo, humiles hoc loco gratias ago, reliquum vitæ exitum, ac mortis horam, Cliens eidem Patronæ commendo.*

32 SEculi præcedentis est beneficium in vetusta adnotatum cum gratiarum actione, tabula, quod Litvaniam, ad cultum, & venerationem Claromontani loci sacri propensissimam, illustravit:

Superiori simile.

Anno Domini 1545. DEO Opt: Max: ac Beatissimæ, intemerataque Matri ejus MARIÆ semper Virgini, G. D. Ioannes Haiko *à Zbirothy Litvanus; hanc tabellam gravi, ac periculoso morbo occupatus existens, ex voto facto præsens hîc suspendit, acceptum ferens DEO Omnipotenti, se præsidio ejus Matris, pristinæ valetudini, non solùm fuisse restitutum; verùm etiam omni jam planè periculo liberatum. Quod eadem tabellâ contestans, se totum ipsi DEO, ac Matri suæ, perpetuò pronus, ac supplex cõmendat, atq; offert. Posita, Anno quo supra.*

33 NOndum antiquata interferuntur, ne mera vetustorum memoria legenti pariat fastidium. G. D. *Christophori Siemieński* de Solearum, cum Crucibus, Illustri Familia, gratiæ, & gratitudinis testis tabula, Clientem supplicem, in coloribus viventem referens, proponitur, cui hæc inscribuntur:

In sanguinis profluvio beneficium.

Christophorus Hieronymus Siemieński, *è Palatinatu Lublinensi, recognosco magnam, & incomprehensibilem Misericordiam DEI, per interventum Beatissimæ Virginis Deiparæ præstitam; quando vulneratus die 12. Septembris, unâ hebdomada post acceptam plagam, ex aperto vulnere prorumpens patiebar*

tiebat ſangvinis profluvium, quod nullâ hirurgorum opera potuit cohiberi, uſque dum me ad ſacram hanc Imaginem ſiſtendum devoviſſem; quod ut primùm decrevi, ipſe ſua ſponte cohibitus eſt. Pro quo gratias DEO, *& Sanctiſſimæ Virgini, vivus teſtis præſens perſolvo, & hoc apographum depono. Anno Dñi 1626. 1. Octobris.*

Vnde digna adoratione Maria:

D. Thomas.

34 QVid mutæ in parietibus loqvuntur tabulæ, niſi velut è quibuſdam Roſtris declamant Miſericordias, & Miſerationes Dominæ Noſtræ, eam univerſalem Patronam, & Reginam dignam perſvadendo, cui univerſum hoc reparatum, veluti uni poſt Deum Primati, & Principi, in ſupremi recognitionem Dominij, flectat genua. Hoc meruit ſoli Deo vicinior gratiâ, & gloriâ, ut quod præſenti exhibendum eſſet, abſenti deferatur, ſi tamen abſens eſt, quæ præſentem ſuam virtutem mirabilium effectricem, in ſuis thaumaturgis per orbem ſimulacris propoſuit. Nam illa ut D. Thomas loquitur: *Ex gratia ſibi collata meretur illum ſanctitatũ gradum, ut congruè poſſet eſſe Mater Dei, ad quod ſanè nullus unquam pertingere valuit, niſi ſola Beata Virgo. Quia cùm à Deo praelecta eſt in Vnigeniti ſui Matrem, & unicuique largiatur Deus gratiam accommodatam ſtatui, & muneri ſuo, conſequens eſt, tot cœleſtibus Divinæ gratiæ chariſmatibus illam locupletaſſe, quod opus erat ad hoc, ut ſi non de condigno, ſaltem de congruo Matris* DEI *dignitatem, & per conſequens, in elevatiſſimo illo ac ſupremo gratiæ vnionis Hypoſtaticæ ordine, immediatè poſt Chriſtum collocari promereretur.*

Qualem, & quare participat à Deo potentiam Maria.

35 A Tantis prodigialium onerum oſtentis celeberrima MARIA, accedit ad Omnipotentiam Divinitatis, cujus poteſtatis eſt, naturam vitiatam reparare. Eam tamen, quæ ſoli DEO cenſetur propria, pro communicati corporis induvijs, participat a Deo, ad miſerendi affectum, omnibus ſubveniendi Potentiam. Iterum ſeculi præcedentis teſtimoniũ, è vetuſtæ picturæ tabulis, aſſumitur, quod eſt in cæco, & guttur læſo.

Teſtimoniũ in gratia duplici.

Thomas Laſſocki *Profiteor magnam miſericordiam* DEI *ſuper me, & Patrocinium Sanctiſſimæ Virginis* MARIÆ. *Cùm enim in teneris annis præ gravitate morbi, turpitudinem membrorum contraxiſſem; ac per longum tempus tam periculosè ex oculis laboraſſem, ut propinqui mei pupillas oculorum iam effluxiſſe*

xiſſe cenſerent; unde humana remedia deſperantes, multum de meis miſerijs afflicti; me patrocinio Divæ commendarunt, ac peregrinationem ad locum ejus Claromontanum pro me ſpoponderunt, ſi Diva propitia adeſſet. Adfuit illa, nam per ejus interuentum DEVS *Optimus mihi gratiam exhibens, & morbum, & cæcitatem diſpulit. Inde ego, quoties me Deiparæ tutelæ in meis neceſſitatibus, negotijs gerendis, ac periculis declinandis, committebam; toties ipſam efficacem experiebar. Ideo hodierna die me cum gratiarum actione,* DEO, *& Deiparæ præſentans, in ſignum grati animi, hoc teſtimonium, manu propria conſcriptum publicè affigo. Die 19. Auguſti. Anno Domini 1598.*

Alterum ſic legitur:

DEO *ejuſque Intemeratæ Matri, glorioſæ Virgini* MARIÆ *in Honorem, Iacobus Iamnia, cui ſpina piſcis in arteria mentali hæſit per aliquot ſeptimanas, & cui in ſomnis liberatio à periculo declarata eſt (cùm Medicorum manus nullum auxilium præſtare potuerit) ut in eo loco Deus invocaretur, cum interceſſione Virginis Matris, poſuit 23. Novembr: Anno 1551.*

Quomodo incomprehenſibiles perfectiones Mariæ.

D. Bernard. Senens.

36 SVbveniendi poteſtas, & pietas compatiendi, affectus miſerendi; gratiæ, & prærogativæ MARIÆ, dotalia ſunt munera Matris & Sponſæ DEI. Fuſiùs, ideóque luculentiùs ea percenſet D. Bernardinus Senenſis ſermone 61. de B. V. capite 12. cùm inquit: *Sicut Divinæ Perfectiones omni intellectui incomprehenſibiles ſunt; ſic perfectiones gratiarum, quas Virgo ſuſcepit in Conceptione Filij Dei, ſoli intellectui Divino, & Chriſto, & ſibi comprehenſibiles extiterunt. Et quidem quòd Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ, intellectus produceret* VERBVM *per omnia ſibi æquale, imo impoſſibile eſt, quòd non generet Deum propter ſuam fœcunditatem; ſed quod fœmina conciperet Deum, eſt, & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim (ut ſic dicam) fœminam elevari ad quandam quaſi æqualitatem Divinam, per quandam infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam creatura nunquam experta eſt. Vnde (ut credo) ad illam abyſſum imperſcrutabilem omnium Chariſmatum Spiritûs Sancti, quæ in Beatam Virginem deſcenderunt in hora Divinæ Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus, nunquam potuerit attingere.*

CAPVT VI.

Ex Opuſculo PETRI de ROZPRZA vetuſtiora beneficia Divæ Virginis Noſtræ MARIÆ.

Antiquiora beneficia complura.

37 HAbent & retrolapſorum ſeculorum anni, illuſtres MARIÆ gratiarum memorias, quæ tum à vetuſtate, tum à Scriptoris Authoritate, tum demum, quod principalem illis confert dignitatem, à Clementiſſima Matris Miſericordiæ pietate, & poteſtate, fidem deſumunt. Hæc ex vetuſto codice *Petri Rozprzenſis*, in Alma Academia Cracovienſi olim in Scientijs viri laudatiſſimi, deprompta, in ſuo curſu, & ſtylo relicta, nec in præcedentibus memorata, huc ex conſilio referuntur.

1. Age verò, vide, quantæ ſit iſtud admirationis. Clementi viro cuidam Borzima, unicus cùm eſſet filius, in piſcina ſubmerſus eſt; de cujus ſuffocatione parentes, diutius eundem requirentes, dum à pueris, qui vidêre ſubmerſum, nuntiantibus, ſole ad occaſum tunc tendente cognoſcunt, ociùs properant ſolliciti ad aquam, & inventum cadaver extrahunt: eóque loci uterque protinus votum vovet MARIÆ *pro vita filij. Porro ubi non revixit, ægri tum ambo animi, fide verò, & ſpe integrâ, ſumpto mortuo, in Ædem D. V. MARIÆ properant, biduo nihil comedentes, neque bibentes, pedibus nudis. O quantùm humilitas valet! quantùm curarum in Deum proiectio! quantùm denique perſeverantia! venêre ad locum Templi miſerrimi parentes, tunc, quando Miſſa ſumma agi cœpit, poſito humi cadavere orant Divam: Natũ vivum reſtituat. Et cùm ibi ingens multitudo hominum (nam feſtus erat dies Aſſumptionis MARIÆ) præſtò adeſſet, audita tanti temporis morte, conjugum importunitatem arguit; cenſet potiùs cadaver ſepulturæ tradendum, preces iam fruſtrari debere. Sed dulcis amor parentum obſequi vetat; facilè enim cùm ipſi valemus, recta conſilia ægrotis damus. Quid plura? in tanta turba hominum, cùm propiùs Aræ Virginis cadaver mortui admoveretur, & preces conſtanti pectore ardentiùs funderent, ventum eſt ad Canticum* Magnificat &c. *& cùm illud verbum Cantaretur:* Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum, &c. *mirum dictu! Juvenis illicò ſurgens, cœpit veluti ſudorem frontis extergere. Tunc omnes ſtupore ingenti, & gaudio affecti, gloriam Immortali DEO dedere, famam rei ubique vulgando.*

2. Joannes loco Namyslow oriundus, unà cum puero morbo peſtis infectus, votum MARIÆ *ſpondens ſanatur.*

3. Michaël Sievterienſis morbo caduco cruciatus adeò, ut os interdum versùs occiput converteretur, hacq; immiti ægritudine anno integro maceratus, dum ſe Divæ devovet, ſalvatur.

4. Ejuſdem loci Sievier, inquilinus frondes ſuccidens altæ pinu lapſus eſt, unde tantùm ſibi doloris evenit, ut oſſa intus crepitarent. Itaquè lecto affixus, dum vota facit, ſaneſcit.

5. Ioannes de Mochow oriundus, tam periculoſo diſſenterio laborabat, ut Sacramentis pro morte muniri deberet; porro votum ut emiſit, ſalvatus eſt. Ejus quoque filia morti proxima cereum ſacrum manu tenens patrem orabat, ut ſe devoveret MARIÆ, *quod dum factum eſt, convaluit.*

6. Femina de Oppido Pilzna, integro anno viſu carebat, quamprimùm votum Divæ peregit, viſione donata eſt.

7. Ejuſdem loci puella è faſtigio domûs lapſa, tribus ſeptimanis fermè integris mortua putabatur, hanc cùm Dominæ Divæ devoviſſet, priſtinæ ſánitati reſtituta eſt.

8. Catharina è loco Pſary, in ſiniſtro latere paralyſi tacta, ſex hebdomadis ægrotabat. Votum peregrinationis in Clarum Montem ut emiſit, liberata eſt. Ejus quoque filius morbo caduco torquebatur, ſed per votum Divæ Claromontanæ factum, ſanus factus eſt.

9. Piechná, loco Popow oriunda, tribus ſeptimanis grandi morbo macerabatur, jamquè morti proxima, pro voto ſanata eſt.

10. Margarita è loco Ráſſow, habuit duas filias, quarum una integrum annum viſu carebat, altera ſimul cum matre febri cruciabatur. Omnes fide integrâ voto facto, ſalvatæ ſunt.

11. Catharina de loco Gáwlow duodecim dæmonibus obſeſſa, in Clarum Montem voto adducta liberatur.

12. Clara femina è loco Zawádá, habuit natam parvulam,

quæ cùm ferrum, fortè inventum, ori imposuisset, parente inscia, eodem suffocata est. Hanc parens ore distorto, manibus, & tergo supinam inveniens, territa nimiùm morte filiæ, quid faciendum sit, ignorat. Ergo flectit genua, votum Divæ Claromontanæ pro vita filiæ facit; nata illico ferrum evomens reviviscit. Inde mulier ferrum in MARIÆ Sacellum intulit, rem gestam ordine suo narravit, ac tres Missas fieri curavit, totidemq; candelas obtulit.

13. Paulus de loco Boronno, dolorem oculorum anno integro passus, patrocinio MARIÆ, pristinæ sanitati restituitur.

14. Catharina Lysmiensis, per biennium dæmonio obsessa, voto Claromontanæ invisionis emisso, liberata est.

15. Catharina Pinczoviensis, in puerperio à dæmonio vexata, voto MARIÆ liberatur.

16. Puer cujusdam feminæ Civitatis Oświecim, haud longè à Castro in lacu submersus, per diem integram exanimis jacuit; quem cùm mater palàm in præsentia multorum Divæ Claromontanæ devovisset, redivivum recepit.

17. Joannes loco Kozlin oriundus, corrosiones diversas patiebatur, voto MARIÆ salvatus est.

18. Mulier de Civitate Pilzno, dæmonio vexabatur, insuper visu privata est; veniendo ad Sacellum Virginis MARIÆ sanata est.

19. Cracoviensis vir quidam Kramárczyk, accusatus coram Episcopo Vratislaviensi crimine falsitatis, ac vinctus perpetuo ergastulo deputatus, voto piæ peregrinationis Claromontanæ liberatus est.

20. Nicolaus Ratiboriensis, gravi dolore calculi torquebatur, eo per votum emissum liberatus est, qui ejectus, nuci silvestri magnitudine æquabatur.

21 Joannes Kuncza de Ilkuss, biennio gravissima febri tenebatur; votum instaurans MARIÆ, sanitati restitutus est.

22. Ejusdem Oppidi femina Dorothea, hydropisi annum superante, laborans, pio voto persanata est.

23. Alia item femina de Kruplin morbo caduco oppressa, præsidio MARIÆ firma convaluit.

24. Vir-

24. Virgo Anna de Zárnowiec, biennio integro surda, voto MARIÆ, auditum recepit.

25. Ioannes, Ciećiuchowicâ oriundus, ab Hussitis sagittâ acriter vulneratus, voto MARIÆ sanatus est.

26. Vir quidam Petrus Porembski, biennio gravi morbo excæcatus, voto MARIÆ liberatur.

27. Cujusdam Petri Zatoriensis filius, igne perustus acerbè torquebatur, sed voto MARIÆ dato, sanitati redditus.

28. Ioannes de Biała, corrosiones vermium in capite per annum integrum passus adeo, ut deliraret, voto Claromontanæ peregrinationis, sanatus est.

29. Matthias Piscator, Łatysławice oriundus, tempestate derepentè exorta, naufragium in Odra fluvio passus, ac profundo absorptus, præsidio Virginis ad ripam defertur.

30. Dorothea de loco Swatlin, unicum filiolum habens, per Hussitas vi raptum amisit; sed vovens, post biennium perditum nacta est.

31. Barbara Cracoviensis, podagrâ integro anno cruciabatur. At postquam Virgini MARIÆ se devovit, sanitatem obtinuit.

32. Venit quidam Illyricus cum uxore, & filio, ad Clarum Montem. Hic narravit palàm, absente uxore, puerum illum ad vas aqueum non occlusum accessisse, & cùm formam faciei suæ apprehendere voluisset, submersum fuisse, post votis Divæ Claromontanæ emissis, ad vitam rediisse. Anno D. 1522.

33. Mulier quædam post partum sola in cubiculo manens, vidit ad se quatuor Æthiopes nigerrimos accedere. quam cum rapere conarentur, hæc votum Divæ fecit, & isti evanuerunt.

34. Homo quidam, seu dæmonis arte, seu melancholiæ vitio inductus, se suspendere constituit. Itaque sumpto laqueo cùm ad locum suspendendi venisset, venit sibi interea in mentem locus MARIÆ venerabilis: quo cùm primùm se devovisset, sententia mutata facinus intermisit.

Hæc ex Petro Rozprzensi, ante Annos centum, & sexaginta circiter, typis mandata, nunc ex illius ætatis busto suscitantur, ad ampliorem Magnæ Matris & Virginis MARIÆ gloriam propagandam, cu-

dam, cujus gratijs non tantùm hic locus, at universa Polonia beatur, Beatamquè prædicat omnium populorum vox, supernorum Civium gratulationes imitata. Nam (ut D. Athanasius ait in Evangelio) *Beatam Te prædicant omnes Angelorum, & terrestrium Hierarchiæ, & hierarchicas manus attollentes, benedicunt Tibi, quæ & in cælis benediceris, & in terris Beata prædicaris*, ô Laus generis nostri MARIA!

D. Athanasius.

CAPVT VII.

Ex eodem PETRO de ROZPRZA impudentis puellæ, in hoc loco, pœna senariis illigata.

Impudentes abominatur MARIA.

38. SI Beata in Cœlis, & in terris MARIA prædicatur, & flexo Cœlestium, ac terrestrium genu, tanquam Mater Dei adoratur, procul fastus mortalium, procul ab ejus conspectibus impudens oculus, cùm ad ejus Aras accedimus. Nemo enim impunè serenitatem læsit, qui exporrecta fronte, superbo oculo, majestatem ejus ausus est contẽplari. Quæ neminem a cœlestibus hujus Mensæ delicijs repellit, sineret ad illarum opsonia inter innocentes, & nocentes accedere, nisi vindex Numen sic accedentes, nonnunquam in conspectum innocentissimæ Matris, absque spe veniæ puniret, ut deinceps pœnis impudentis audaciæ, erga Imaginis Odigitriæ majestatem, concilietur affectus profundioris reverẽtiæ; & unius pœna, omnium fiat disciplina. Rem audi ex eodem Petro Rozprzẽsi in cõspectu Virginis intemeratæ factam. Illigatã senarijs, ut aliquomodo in hac parte, & antiquiori Musæ D. nostræ honorẽ prosequẽti, faveamus, prout est apud R. P. Andream Goldonowski, propono:

Horribili exemplo probatur.

Lenczyca, mercimonijs celebris locus,
Cœtuquè clara & plurium vendentium,
Inde sacro itineri Mater, atque Filia
Dant se: At procax puella vano risui,
Jocisque non cessat vacare jugibus.
Irâ Mater hortatur: puellarum probos
Mores sequatur, scandali vitet malum.
Hæc aure surda percipit sana monita
Matris, quasi ad convivium itura blandulo
Vultu, serena fronte pergit, & bona

Paren-

Parentis in se concitâm bilem evocât.
Dùmque appropinquant Ædibus sacri loci,
Instat genitrix acrioribus minis:
Filia scelesta! cernis ut domus DEI
Propè sit? remitte pervicax gustus tuos,
Assume gesta Sacrarium decentia,
Vindicta super te DEI, DEUM time!
Si te pudor hominum reprimere non valet,
Regina Cœli Virgo Sanctissima, vide,
Ne te inde feminam petulcam puniat.
Frustra loquela Matris: & non frustra abit.
Nam dum hæc soluto crine, compta vestibus
Templum intrat, & crispa interest rei Sacræ,
Sudore vertex capitis, & frons impudens
Obducitur; gravi inde percita tædio
Dextra, & sinistra dum humidum extergere studet,
En capitis omnes detrahit crines simul,
Caput inde squalet turpis instar cranij.
Denuntiata pœna Matris, altiùs
Procurrit: hac pallescere, cadere, emori.
Elata misera protinus sacro è loco.
Ab obstupentibus parens requiritur:
Tam tristia unde fata filiam premant?
Mœsta genitrix cœlare verum non potis:
Mentem sine pudore, ac honore debito
Cùm Divam adiret, irritaq; monita sua
Enuntiat, malum profectum à filia.
Corda gelidus constringit omnium pavor.
Sed heu magis miserabilem sortem istius!
Nam tertio die ferox parca eripit
E corpore animam. Sine sacro Viatico,
Et Pœnitentiæ salutaris bono
Decessit. Inde more pecudis lugubri
Posita in sepulchro, gravia dans monita omnibus

Quànte

Quanto cum honore ſacra debeant loca
Adire, quique Genitrix Summi DEI
Et Domina Mundi digna ſit reverentia.

Quæ abominatur cõſpectus Mariæ.

39. NOn fert aſpectus Immaculatæ Virginis, in ſuam præſentiam adducta meretricia, formæ pigmenta, omnem aſpernata fucum MARIA, damnat impudenter exporrectam frontem, & ad nuda colli, promiſſa calamiſtris capillitia, quibus veluti inferni rudentibus innocentum animæ in perditionem pertrahuntur. Exquiſitior cultus corporis, paupertatem, & neglectam animæ curam oſtendit. Nam tantum decoris animæ detrahitur, quantum inordinatæ munditiei corporis impenditur; in qua lucet imago turpis animi, qui ſtudet arte corrigere, quod fuco DEUS noluit temerare. Diſcite Divorum Templis mentem puram inferre, & Numen Virginis, non veſtium pretioſis nitoribus, ſed conſcientijs innocentibus, coli debere. Hîc namque humiliter ſubeuntes gratijs ſuis exornat Clientes MARIA, quæ verè ſecundùm D. Damaſcenum, eſt *Generis humani ornamentum, & omnis creaturæ decus*, Ornat mulieres, erga illam devotio, quia, ut ait Ildephonſus Serm: 10. de Aſſumpt. *Hæc eſt Decus mulierum, digna omnium creaturarum, ætatumq́ lingvis, & præconijs coli.* Nam (ut ait D. Damaſcen: Orat: 1. de Aſſumpt: *Si eorum qui juſtitiam coluerunt, memoria laudibus celebranda eſt; & quis tandem Iuſtitiæ Fonti, & Sanctitatis Theſauro laudem non adhibeat? Beata es Virgo inter omnes generationes, ſola, quæ digna, quæ Beata prædiceris. Ecce enim Beatam Te dicent omnes generationes, quemadmodum ipſa dixiſti. Te Filiæ Ieruſalem, id eſt Eccleſiæ viderunt, ac Reginæ, id eſt, juſtorum Animæ, Beatam Te dixerunt, atque in ſecula collaudabunt.*

Ornamentũ Mariæ. D. Damaſc: Orat: de Nativit: B. V. Ildephonſ.

Beatificanda Maria.

CAPVT VIII.

Pro obtinendis, obtentisquè gratijs, ſub auſpiciis Divæ noſtræ Virginis Claromõtanæ, Literaria gratitudo.

Votum Neoſophi ad Mariam.

40. SI verum eſt, quòd *Amor Poëſim docet*, Clientis Anonymi votum, pro felici in ſtudijs Philoſophicis decurſu, Divæ Virgini Noſtræ, Muſæ pedeſtris officio cantatum, referens, fateri cogor illud examantis, Amores Mariæ, animi affectu profectum, non minùs piè, quàm eleganter deſcriptum, & Ordinem Hiſtoricum ſummatim complectitur. Appenſum ad Odigitriæ Virginis Aram ſic legitur:

Quo me

Quò me paventem vis agis acrior,
Quò Virgo ducis? cur Tibi ſaucium
Splendore lædis: perdis impar
Diva Tuo mihi perdis aſtrum.
Non ſic Berillis irradiat Tagus,
Non ſic nitenti Sardonyches micat.
Fultus Pyropo, nec Topaſus
Attalicis decorata gemmis.
Vt grata cunctis fulget Imaginis
Tuæ venuſtas, cùm cremat intimas
Cordis medullas, igne ſacro
Per tenues jaculata fibras.
Perfuſa frontem, tempora ſpiculat
Nullius unquam pervia ſenſibus
Verenda Majeſtas amœnis
Suaviter irradians ocellis.
O Virgo felix! cui proprio ſinu
Cœli Toparcham ſæpius accidit
Fovere, velamenquè ſacro
Luce ſuâ removere vultu!
Te, pertinacem qui Solymum colit,
Te, vorticoſum qui bibit Adriam,
Miratur, ô Tutela præſens!
O Mare, vel Maria, ô MARIA!
Te Belza vidit celſa ſub algidi
Septemtrionis curribus Hoſpitem,
Hac ſede fixam trux Gelonus
Biſtoniâ terebrat ſagittâ.
Haud pœna claudo deſeruit pede
Vltrix ſceleſtos; in medios enim
Telum retrotorſit, perennem
Quod reliquis pareret timorem.
Tandem recepit Clarus ut Advenam
Te Mons Sacello, jam trepidant graves
Morbi vehentes mox retrorſum
Exanime, ac gelidum cadaver.

 Quæ nec

Quæ nec priori ſecula tempore
Toto patentis Sarmatiæ ambitu
Videre, nunc jam perpetrata
Attonitus ſtupet omnis æther.
Vtroque caſſus lumine filius
Videt parentem; viſit Imaginem
Qui lora reſtrictus lacertis
Geſſit iners, timuitque mortem.
Hinc unde vitam ſumeret inſcius
Nec ſcire fas eſt omnia. Mortui
Sordente circum nauſeosâ
Illuvie, putridisque pannis
Senſere præſens Numen in Icone,
Sensêre quid mens ſacra, quid indoles
Poſset, quid Auguſtæ benignus
Erga homines animus MARIÆ.
Devota ſentit tota Polonia;
Sentit medelæ ſymbola vividæ;
Votis, nec in caſſum vocare
Rebus in ambiguis ſalutem.
Pars nulla quâ Sol circuit aureus,
Quâ Pontus undas porrigit, angulo
Terræ latens, quocunque ſacro
Abdere ſe valet à calore.
Vt Aula Cœli fornice lucido
Complexa terras; pervigili Tuâ
Sic universos comprehendis
Chriſtigenas pia VIRGO *curâ.*
Mundi è ſupremis culminibus, loca
Latè tueris, quælibet abditi;
Præ cæteris ſed dona clemens
Sarmatiæ potiora pandis.
Tu ſpem reducis mentibus anxijs;
Tu dulce maſtis præſidium reis:
Tu peſtilentem pellis Eurum
Ne miſeras populetur Vrbes.

Te ſacra

Te ſacra Chriſti gens prece ſupplici
Clamat Parentem. Te Dominam miſer
Vocat popellus; Te Monarchæ,
Rexque ſuam vocat Advocatam.
Hinc provoluti poplite ſupplices,
Hi dona, dulces hi lacrymas ferunt;
Ardere ſuccenſis at illi
Lampadibus ſua corda monſtrant.
Ferox ſatelles tela dicat ſua
Queîs militavit, non ſinè gloria.
Hîc aureas figit tabellas,
Hîc lapides pretioſiores.
Hæc Virgo Clemens, hæc Tua gloria eſt.
Adgratulantem me quoque pro Tuo
Agnoſce, ſplendoremque Muſis
Adde novum, tenebras repelle.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro. Tu Sapientium
Curas, Tu & arcanas Sophorum
Conſilio retegis querelas.
Nil, Diva Mater, nil ſinè Te mei
Valent labores. Id Sapientiæ,
Dulcem, Clienti ſat futurum,
Quo ſapiam, tribuas IESVM.

En *Omnibus Omnia* MARIA, Docentium, & Diſcentium Magiſtra, ut omnium Scientiarum Athenæum, votis frequentatur, ut Facultatum omnium Auguſtiſſima Præſes imploratur. Non mirum; quia, ut ait Rupertus Abbas, eſt *Dei Patris Sponſa, ſanctæ Religionis Magiſtra, virtutū Operatrix,* MAGISTRA MAGISTRORVM. Quia ad pandenda Sapientiæ arcana, aſſerente D. Ephræm, eſt LVMEN STVDIOSORVM; & ſecundùm Idiotam, lib: Contēplat: de B. V. M. DOCTRIX DOCTORVM MARIA. Rupertus Abbas. D. Ephræm. Idiota.

41. NOn ſolùm ab Inſtituti Noſtri, Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſoribus, & Auditoribus, qui plerumque Philoſophica, ac Theologica Studia in Theſibus Mariæ in hoc Simulacro Mos dedicandi Philoſophicas;

 Vene-

Venerandæ, tanquam ſuæ Præſidi conſecrant; ſed ab alienigenis Diva Noſtra Literario munere colitur. Beneficia, & gratias, quas hinc petitas accipiunt, Scholaſticis ſuis laboribus Mariæ rependũt. Inter alia principaliora Literarum monumenta, non poſtremum eſt, quod ex Lycæo Olomucenſi allatum excepimus, Anno Dni 1673. à R. ac Doctiſſimo D. Ioanne Andrea Slovatio, Slavo Vitenczienſi, Auguſtiſſ. Ferdinandi II. Alumno Eccleſiaſtico; qui ſub hoc titulo Divæ MARIÆ Claromontanæ ſuas Theſes de DEO Vno & Trino, hîc ad Aram appendit:

NOVÆ CAPTIVORUM ARIADNÆ

E Turcica captivitate liber, Theologica ſtudia Divæ noſtræ dedicat. Mulieri fortiſſimæ, velut Caſtrorum Aciei ordinatæ, Turri Davidicæ munitiſſimæ, ex qua mille pendent Salutis Clypei, Aſylo Refugii, & Caſtello Fidelium tutiſſimo, Matri DEI Potentiſſimæ, Sanctiſſimæ Czeſtochovienſi Virgini, Miraculis clariſſimæ, Patronæ ſuæ, & Protectrici Magnificentiſſimæ, & Liberatrici Clementiſſimæ.

Quibus Divæ Noſtræ beneficijs obſtrictus, hoc affectûs grati anathema depoſuerit, palàm oſtendit in Præfatione ſe à Turcica captivitate Auſpicijs Divæ Claromontanæ, liberatum. Curſum publicæ recognitionis recito. Poſtquam ſe Mancipium, ac Servum tam Auguſtæ Cœlorum, ac Terrarum Principis appellavit, pergit:

Et quid, me talem coram DEO, typis publicis, utroque orbe auditore verear confiteri, quem Tu graviſſimo captivitatis Turcicæ jugo innodatum, in ſacram Tui mancipatûs vindicaſti libertatem? ſi hoc beneficium præteriero, ſacrilegio ingratum animum cruentavero. Vos ego Mortis Aræ ad Galgoczium fideli Chriſtianorum ſangvine cruentatæ appello: Vos meæ captivitatis ſocios, qui mihi à latere avulſi, in barbaræ laniena partem abijſtis: vos partus patriæ, quorum revulſas à corpore cervices manibus meis acervare juſſus, etiamnum ad tam atrox ſpectaculum vitâ palpitante, volũ me adnumerabam. Tertium jam cum devotis morti victimis ad ferales pertrahebar Aras, tertium per calcata meorum funera ibam, fatalem ictum excepturus: ſtabam inter mortis, & vitæ confinia, & quaſi jam vitæ defunctus officio, immaturam mortem adſalutabam. Sed dum caderent à latere meo mille, mille Clypeis invocata Domina vitæ & mortis obarmabat imbellem, & quaſi è numero mortuorum, in vivos reſuſcitatum juſſit reſpirare. At verò, neque his Mare Gratiarum littoribus definitam ſtetit, pluribus victima deſtinabar periculis, ut non mendacem fabuloſæ antiquitati, Fortunæ aleam, ſed Maternam Protectricis Deiparæ manum, quam periculorũ poſueram Præſidem, ſecuriùs devenerarer. Igitur juſſo valere Vivarino meorum hactenus vinculorũ cuſtode, ſecundo Danubio, ſed infelicibus velis ad ipſa barbariæ defluebam viſcera, Belgradum, ut ubi finem carceris mortem expectarem, ibi Civitatem Refugij invenirem. Vixi in medio nationis pravæ: in cruenta flagitijs barbarie, in Aula Ali Baſſæ (militiæ Turcicæ Generaliſſimi) ubi morum magiſtra Impietas. Vixi, & octo reconcinnatos Lunæ orbes, inter crebra ſuſpiria, quibus tanquam arietum machinis Marianum Caſtellum muro undique vallatum impetebam, enumeravi. Tandem ſupremam vitæ jacturus aleam, ut cui ſemel, quàm ſemper emori potius erat, nocturnis audaciâ meâ involutâ tenebris, penduli ab alto rudentis beneficio elapſus, fugam ordiri cœpi. Quid hîc ego aſſiduitatem periculi, viarum aſperitatem, famis tolerantiam, temporum iniuriam, ſolitudinis horrorem, extra Patria, extra carceris hoſpitium ordiar enarrare? Vox me deficeret, lacrymas oculi ſuppeditare! Illius mihi ſilentium neſcio imperare, quòd rurſus à crudeliſſima graſſantium hinc inde barbarorũ manu, deprehenſus, & à fuga in iteratam retractus captivitatem, iteratò elapſus, feliciter cœptum continuaverim propoſitum. Tuam hîc ego Liberatricem exoſculor Dexteram. Tuam amplector Munificentiã, veneror Pietatem. Perieram infelix Theſeus, tot labyrintheis ſepultus erroribus; niſi Tu felicior Ariadne non filum, ſed manum porrexiſſes. Nemo ſanus, qui periculorum magnitudinem temeritati fugæ (ſi natura ſpectet rationẽ) comparaverit, Tuum Patrocinium mecum non confitebitur. Equidem Te Liberatricem agnoſco, Tibi debeor, Tuus ſum, & ero, ac proinde meipſum, Theſeſq; meas de DEO Vno & Trino in gratitudinis teſſeram profeſſione ſolenni, Tibi in anathema appendo

Æternum Mancipium
Ioannes Andreas Slovatius.

Per tot adverſæ fortunæ caſus Mariæ Cliens volutus, è celſo fiduciæ culmine in deſperationem præcipitari non potuit. Credo equidem, quòd MARIAM, cujus virtutis manifeſtam habuit præſentiam, ſuis hæc auribus inſinuantem audivit, Ieremiæ 16 v. 21. *Ego tecum ſum, ut ſalvem te; & eruam te, & liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium.* Ierem: 16.

CAPUT IX.

Votivâ Pöesi, in Typo, & Argento solutæ Divæ Nostræ pro beneficijs gratiæ.

42. ET Orbis universi Magistra Societas IESV colit suis affectibus Montem Virginis cum Imagine Odigitria. Præter alios, qui ex eadem Societate in diversis suis lucubrationibus, & operosis Scriptorum monumentis, aut gratiarum meminerunt, aut invocârunt, memorandus hîc est ab annis plurimis in Ecclesia Varsaviensi ad S. Ioannem Ecclesiastes R. P. Ioannes Załuski, qui Anno 1671. ad Aram Mariæ Claromontanæ, hanc Ode appendit.

ODE VOTIVA MAGNÆ DEI MATRI REGINÆ CORDIUM.

Et quâ sereni delicium poli,
Terræque Præses Numinis Arbitra
Nam Virgo Mater; Cordiumque
Terrigenum, Superumque latè
Potita sceptris, dignior est coli
Quàm Cordis Ara? Cor mihi marmore,
Si fortè duratur, stupescat
In solidi monumenta voti.
Quêis æviternis certa fides notis
Insculpat alto vulnere vividum
Hoc mancipatæ mentis, usque
Mnemosynon, Xeniumque Divæ:
Tibi per omnes temporis orbitas
Cliens volutus, fixaque termino
Per secla nullo, dedicatum
Mancipium remanere nexu
Stringor perenni. Tu modò me Tuum
Quæcunque tandem fata rotaverint

Agnosce Mater, nosce sacri
Perpetuam Tibi Cordis Aram.
Seu me caducum proterat aspera
Fortuna passu, victima concidam
Virgo Tibi, totius orbis
Digna coli famulante casu.
Seu læta vultu riserit aureo,
Interque cæli me locet igneas
Flammas, amoris semper urat
Casta Venus Tua, me favillâ.
Tui sub umbra tegminis ignifer
Non me calenti morbus acumine
Decoxit, ardores retusi
Quando Tuo pelago MARIA.
Me fluctuantem vorticibus feris
Quòd non dolosus sorbuit Adria
Jam naufragantem, à Monte Claro,
Fausta Tuæ Cynosura lucis
Portu locavit. Sic bene protegat
Me sulphurati stygis ab æstibus
Umbrosa Cedrus, vel Cadano
Palma Tibi spatiosa Monte.

Tuum æternum mancipium omnibus nominibus
Anno Domini M. DC. LXXI.

43. PLerumque aut Latinis, aut idiomatis vernaculi Versibus inarantur argentea anathemata, quæ ad Divæ Nostræ Salutis Aram, pia Clientum gratitudo, cum acceptorum beneficiorum testimonijs, appendit. E plurimis unum propono, Illustrissimi Domini *Ioannis Ernesti à Rautenstain*, Serenissimi Principis Neoburgici ad S. R. M. Ablegati in tabula argentea grandiori expressum, in cujus prima facie hæc sunt: Extorris Patrio solo, hic Divæ imploratum in paralysi habet auxilium.

D. O. M.
Beatissimæ DEI Virgini Genitrici
MARIÆ,
SALUTI INFIRMORUM,

Cujus veneranda Imago tam Sancti Lucæ penicillo,
quàm infinitis miraculis clarissima
Sacrum hunc Montem toto passim orbe Clarum
reddit Clariorem

Votum

Periculoso in morbo, quem sex Mensium secuta est paralysis Samboriæ factum nunc reddit,
Clementiq; Patronæ tantæ præsidio se, & suos porro
commendat: ac totum
D. D. D.
Cliens minimus, Servus devotissimus,
Ioannes Ernestus à Rautenstayn.

Ex altera verò parte Versus:

Diva, salus miseris morborum turbine pressis,
Queis sæpè ipsa nocet plus medicina malo.
Ad Te confugi mea Spes post Numen, anhelans
Czestochovam, velut ad cervus anhelus aquam.
Samboriæ quando procul à tellure remotum
Teutonica, opprimeret me genus omne mali.
Intempestivæ inprimis cùm balnea Tyræ
Deficerent, corpus, membraque fracta priùs:
Ecce Tuo Sanctas nunc munere sistor ad Aras,
Munera, pro tanto munere, parva ferens.
Sed cùm plus animum quàm munera respicis, ergo
Cor Tibi do, & totum me offero, dono, sacro.
Syngrapha sit, gratus quam nunc appendo Tabella,
Dum Te possim alijs concelebrare modis.

45. HÆC sunt pauca è plurimis religiosissimi affectûs vota, quibus Diva Claromontana colitur. Prorsus innumera temporum vetustas absumpsit; aut similium satietas posteris adnotare neglexit. Qui hic acceptas, relatasq; gratias legerit, agnoscet haud dubiè jure MARIÆ, tum publicas Regnorum, tum privatas hominum necessitates committi. Neminem fastidit omnium Custos, locorum Patrona, Regnorum Administra, omnium Potestatum Domina, omnium virtutum, & miraculorum Opifex, Facultatum, & Scientiarum Præses, Sanctorum omnium Regina, & Pacis Dispensatrix. Quapropter Andreas Cretensis, omnium Angelorum Ordinibus præponit ejus Honorem: *Cui tantam contulit DEVS gratiam ut ex sua affluentia unumquemq; Cultorem suum possit custodire plusquàm Angeli: de omnibus locis diligentiam habere, plus quàm Archangeli: de omnibus Regnis providentiam, plus quàm Principatus: dedit ei super dæmones potentiam, plus quàm Potestatibus: mirandorum efficaciam, plus quàm Virtutibus: super alios Electos præeminentiam, plus quàm Dominationibus: dedit ei pacem, & quietem in suo throno, plus quàm Thronis: Sapientiam profundam, plus quàm Cherubinis: Charitatem succensam, plus quàm Seraphinis.* *Andreas Cretensis.*

CAPVT X.

Varijs in hoc loco, variorum Statuum, muneribus colitur, & affectibus MARIA.

46. ET muneribus amplissimis colitur in hoc loco MARIA, & affectibus; ab his munera pondus habent, quia vilior est in dono quicunque census, cui pretium non addit affectus. A Serenissimis Poloniæ Regibus exemplum est. Serenissimus Rex Sigismundus Augustus, ut non tantùm propensum animũ in pretioso donario liberalem, declararet; verùm è labore quoque suo, tributariâ pro beneficijs gratitudine MARIAM coleret, Crucem argenteam grādiorem, artificio insignem, & pretio (quæ nunc Ligni vitæ thesaurum claudit) tum ferculum Sanctissimæ Eucharistiæ (Monstratorium appellamus) pretiosa manuum suarum opera, Anno D. 1510 ad Aram Imaginis Odigitriæ obtulit, se, suorumq; Regnorum felicitatem Marianæ protectioni submittendo. Sparsim hic tum aliorum Poloniæ Regum, tum Serenissimi IOANNIS nunc feliciter, atque utinam diutissimè regnantis, Reginarumq; munera, & affect⁹ memorâtur, inter quas cēleri debet & Serenissima Isabella Vngariæ Regina, quæ ut in hoc loco MARIAM, ex decreto Sancti Stephani Vngariæ Regis, generali titulo REGINAM VNGARIÆ appellatam, honoraret regio munere, argenteā Crucem ad Aram ejus, munus misit. Ad hanc Reginarum Poloniæ seriem pertinet è prærogativa Sangvinis, Illustrissimi Principis Michaëlis Radzivilij Illustrissima Conjux, Serenissimi Regis Poloniæ Ioannis III. Soror Augusta; quæ ut MARIÆ in hoc loco præsens, florentem *A Regibus munera.* *A Regina Vngariæ.*

in flore, gratum in odore, ardentē in colore, affectum ostenderet; Rosam auream ardentibus carbunculis distinctam ex voto dedit.

Ab Imperatrice Romanorum.

47. LEgitur & hodie recentior vetustæ Regum Liberalitatis imitatio, in Imperialibus Augustissimæ Romanorum Imperatricis, olim Ferdinandi III. Consortis, Eleonoræ muneribus. Dum enim Anno 1670, cum Inclytissimis suis filiabus, Serenissimā Eleonora Poloniæ Regina, & Archiduce Austriæ, MARIAM in thaumaturgæ Imaginis Simulacro veneratura advenisset, argenteam Christi flagellati statuam Cristallinæ alligatam Columnæ, tum duo Candelabra, in quibus admirabilis ars, certat cum pretio, obtulit. Antecedentium Reginarum affectus æmulata Serenissima Poloniæ Regina Eleonora, Augusta Serenissimi Regis MICHAELIS Primi Marita, Nuptialem pro sacro Altaris apparatu vestem, auroque textum, ad velandam sacram Imaginem, flammeum, tum monile aureum 75 orientalibus adamantibus compactum dedit, Anno D. 1674. 23. Octobris.

A Principibus.

48. SErenissimus Princeps Carolus, à Serenissimis Fratribus Poloniæ Regibus, quemadmodū affectibus erga hanc Regum Regnorumq; Patronam, ità muneribus, ne videretur inferior, Aulæ Marianæ decora, Cruce argenteā, & grandioribus Candelabris argenteis, tum alijs muneribus, aut expertam recompensans, aut cupitam in necessitatibus gratiam deposcens, auxit. Inter hæc, non postremum Marianæ gazæ numeratur augmentum, Calix ex puro auro, gemmis insertis fabrefactus, in cujus pedis convexo, legitur:

Carolus Archidux Austriæ, Episcopus Wratislaviensis, B. V. MARIÆ Czestochoviensi D. D. Anno Domini 1611.

Regum Patrona MARIA.

Regum Principumq; Patrona MARIA, dum hîc salutatur:

Ave MARIA, gratia plena, Dominus tecum:

ut arcanum sensum Agnensis eruit, talis esse agnoscitur, nam idem in Anagramma coactum sonat:

I. Regum Patrona, en Diva immaculata es.

Vlteriorem sensum culta elucidat Poësi, inter Cracoviensis Academiæ Lumina, Lux in nubilo, in Oraculo Parthenio, ad CLEMENTEM IX. Pontificem Max. 69.

Majo-

Majorum Regalis honos, Tibi Virgo vetusti
Sangvinis, ex Proavis fert, Atavisq́ decus.
Numinis æterni, qui Te quoque jure coronat,
Et Natam, & Sponsam, regius ambit honos.
Omne coronarum jus est Tibi, dosq́ perennis
Ad Fasces veniunt omnia sceptra Tuos.
Jnde Tibi tantus Soliorum cultus, & omnis
Majestas, flexo vertice prona Tibi.
Nempe thronus maculam ceū regius odit, & arcet.
Sic Reges, maculæ nescia Virgo, decet.

E Lubomirsciana Domo Domus Mariana decorata.

49. GEmmifer, & aurifer Illustrissimæ *Lubomirsciana* Domûs SRZENIAWA (dulcis ad fecunditatem Patriam, Sarmatiæ Nilus) profusissimæ suæ Liberalitatis in hunc Locum, argentea, aurea, gemmea dona exonerat, ex quibus religiosissimum erga MARIAM affectum, qui metiri voluerit, inæstimabilem, & incōparabilem inveniet. Illustrissimus, & Excellentissimus D. Alexander Comes in Wisniowiec & Iároslaw, Lubomirski Sac. Roman: Imperij Princeps, Palatinus Cracoviensis, Gubernator Sendomiriensis &c. cum Illustrissima Consorte diu expectatam, expetitamque votis prolem Iosephum Carolum, (nunc Sendomiriensem Capitaneum,) cùm accepisset, meliori Cœlesti Lucinā MARIA favente, tantam puri, putiq; auri massam in statuam (quæ nunc supplex adorantis instar, è genibus, ad Odigitriam Imaginem spectatur) destinarunt, quantum recens nata proles ponderis continebat. Iam quovis anno (decimus nonus decurrit) pro fortunato vitæ decursu, tantum virgineæ, seu candidæ, ceræ, ex voto ad Imaginem Parens Illustrissima deponit, quantum ponderis in succrescente quotannis invenitur. Pro ejus incolumitate, gemmas, monilia, pretiosos lapides, torques, annulos, & alia aurea munera, diversis temporibus, in quanto numero, & pretio ad hanc Aram obtulerit, monstrant principaliora Domûs Marianæ decora. Ipse Illustrissimus Capitaneus, votorum filius *Iosephus, Accrescens* virtutum, & honorum ornaments, post obtentam valetudinis reparationem, Anno 1671. 28. Augusti, monile puris adamantibus contextum, gratitudinis ergò, Sospitatrici suæ Mariæ deposuit, Anno 1675. in Majo, Reginæ Cordium, Cor aureum obtulit. Demum Anno 1678. 18. Martij, dum ex hoc loco ad exteras nationes proficisceretur, laminam au-

 ream

ream ponderis 30 aureorũ, ad Mariæ pedes suffixit, in cujus fronte inaratum est consvetum supplicis Ecclesiæ votum:

Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix &c. In altera verò facie hoc scriptum legitur, Illustrissimum Clientem, Comitesq; itinerum, & Fortunæ, commendans:

COELI REGINA

Tuum præsidium in toto peregrinationis cursu, expectat Josephus Carolus Lubomirski Capitaneus Sendomiriensis, unà cum suis Comitibus Stanislao Glinski, Alexándro Myßkowski, Matthia Psotecki, Casimiro Trzemeski, ac cæteris; precantes Tuum auxilium. Die 13. Maij, Anno 1678.

Ecclesia in Litaniis.

50. IVre in præsidium contra omnem fortunæ iniquioris incursum invocatur MARIA, quia *Potens est.* Hunc ei authoritas Vniversalis Ecclesiæ appropriat titulum, dum eam invocat: *Virgo Potens.* Sic eam invocant Clientes, & Potentem in protectione habere desiderant. Respondet arcano sensu, spondetq; bene ominatum cum Filio solatium. Hoc revelat *Quintinus Duretius* in suis Litanijs, rimatus mysterium, ex Anagrammate, nam *Virgo Potens* idem sonat, *Sinu protego.* Elucidat cupita, sperataque protectionis beneficia:

Quintinus Duretius.

Virgo MARIA *Potens*, nullis nos protegit armis,
Sed tantùm proprio protegit illa sinu.
Parvulus inque sinu Matris dum ludit IESVS,
Protegit adjuncta cum Genitrice DEVS.
Sic humiles famulos nos *Protege Virgo* precamur,
Inque *Sinu* faciat Matris habere locum.

51. ILlustrissimus quoque & Excellentissimus D. *Georgius Sebastianus*, Comes in Wiśnicz, & Iarosław, Lubomirski, S. R. I. Princeps, Gubernator Cracoviensis, Supremus Curiæ Regni Mareschalcus, & Exercituum Dux, pluribus religiosæ mentis testimonijs, & muneribus, affectus suos erga hanc Poloniæ Reginam, Innocētiæ Patronam MARIAM, testatus est, cum Illustrissimis suis Filijs, Magnorum nunc in Republica Officiorum Administris. Idem animus est Illustrissimæ Consortis Barbaræ de Czekarzewice, quæ amplioribus cum devotionis, tum liberalitatis monumentis Mariæ suos amores probat,

Illustriss. D. Georgio Lubomirski.

probat. Nuptialem ex auro puro Coronam, pretiosis distinctam lapidibus, hic obtulit Reginæ Cœli. Reginalem ejus Aulam, & Aram, auro, argentoq; textis, tum Phrygio opere laboratis, ornamentis auxit. Diversis deinde temporibus annulos, segmenta varia, adamantibus, & carbunculis lucentia, pro se, & Illustrissimorũ Filiorum suorum, Francisci Olsztynensis, & Georgij Casimiriensis, Capitaneorum, incolumitate obtulit, quibus Marianos affectus obligaret: Et cùm ipsa sæpiùs ex hac Reginali Mensa cœlestibus solatiorum fruitura delicijs, diuturniorem habitationē in Claro Monte prorogasset, Illustrissimorũ etiã Filiorũ juventutē, in primis Virtutis, Pietatis, & Literarum elementis, sub disciplina Clarissimi, & Admodum R. D. Pauli Woiewodzki, in Alma Academia Cracoviensi Collegæ Majoris, Regij Professoris, ad Ecclesiam S. Annæ Canonici (nunc in eadem Vniversitate Facultatis Philosophicæ Decani) imbui voluit, ut tam præclaro Viro Duce, hic erga DEI, hominũq; tam bonam Matrē, & Sapientiæ Præsidē, concepti amores, ad sperata in Illustissimo Sangvine, Patriæ solatia adolescerent.

52. KONIECPOLSCIÆ religionis Ideam, in argentea tabula, Victoriarum Illustrissimi D. Stanislai à Koniecpole Koniecpolski, Castellani Cracoviensis, & Generalis Exercituum Ducis, testem dedi supra. Ejus Illustrissima Marita Ioanna Barbara, ne minùs liberalis erga hanc Patronam videretur, Anno 1648. 17. Aprilis munus pretiosum, Coronam Nuptialem auream, insertis adamantibus fulgentem, & annulos, aliaque temporibus alijs, in auro munera deposuit. Tum Religione in DEUM, ejusque Matrem, tum avitissimæ Prosapiæ prærogativâ, Illustrissimos Parentes imitatus, aut æmulatus, Illustrissimus, & Excellentissimus D. Stanislaus à Koniecpole Koniecpolski, Palatinus Podoliæ, Anno 1669. 20. Octob. argenteam, cum infusorio, peluim, ad Aræ Marianæ usus, obtulit, & annulum, quo propitiam suis votis Mariam, ad ulteriores sibi, totiq; Illustrissimæ Domui, favores obligaret, despenderetq;. Par devotio, & erga Divinam Matrem affectus, in Illustrissima ejus Consorte, Eugenia Catharina, Principe Wisniowiecia, quæ item Nuptiali Corona aurea, lapidibus pretiosis decora, Mariam coronavit.

Koniecpolscij.

53. SEnator Polonus, & Orator ad VRBANVM VIII. Pontificem Max: Illustrissimus & Excellentissimus D. Georgius Dux in Ossolin, Comes in Tęczyn, Supremus Regni Poloniæ Cancella-

Georgio Ossolinski.

cellarius &c. *Prodigam Polonum Liberalitatem* in templa, Sacrorumq; usum, in Vrbe Roma à se dilaudatam ostendit, cùm prodigiosâ propè liberalitate Aram Ebeno-Argenteam, Odigitriæ Imagini erexit, prout hic Partit: 5. Cap: 3. num: 9 patebat. Plura Ossoliniæ Liberalitatis, & affectus in Mariæ venerationem propensissimi, perennant insignia. Prodigæ in Deum ejusque Matrem liberalitatis argumentum hic reliquit, & Illustrissimus D. Ioannes Wielopolski, Supremus nunc Regni Cancellarius, & Cracoviensis Gubernator, qui argenteam Lampadem ad Aram, tum ex puro auro Calicem ad usum rei Sacræ obtulit Anno 1668. 9. Iulij. Alij alijs colunt Divam muneribus. Illustrissimus Dñus Demetrius Princeps Wisniowiecius, Castellanus Cracoviensis, Palatinus Volhiniæ, & Generalis Exercituum Regni Dux, dum vota Mariæ solveret, tenam auro, argentoque textam, pro apparatu ad peragendam rem sacrã donavit, addito ad Marianos favores captivandos pretioso torque, pluribus aliàs favoribus Montem Clarum dignatus.

Opalinij. 54. ET ARGO OPALINIA aureo pretiosiora Vellere, huc ad MARIÆ cultum defert munera. Illustrissimus D. Ioannes de Bnin Opalinski Regni Pincerna Anno 1672 tabulam grandiorem argenteam, in qua Nativitas D. N. I. C. expressa est, ipso die Immaculato B. V. M. Conceptui sacro, deposuit. Illustrissima Conjux casu fortuito majoris bõbardæ globo, Musquetum dicim*, letaliter saucia, at patrocinio Mariæ devota, extra vitæ periculum, globum eundem torqui illigatum, in acceptæ gratiæ monumentum appendit. Pium erga hanc Sospitam animum, tum in auro, ac lapidibus pretiosis, tum in pari munere, seu tabula, quæ Divæ Virginis Annuntiatæ præsentat effigiem, testat* est, Germanus ejusdem Frater, Illustrissimus D. Stanislaus de Bnin Opalinski Neo-Corcinensis Capitaneus; uterque Illustrissimorum Parentum, quorum affectûs insignia Mons Marianus explicat, devotionem æmulando. Plures ex auro fulgentibus donis, Divinum, ac Marianum in hac Æde sacra cultum illustrarunt. Illustrissimus D. Stanislaus Wárszycki Castellanus Cracoviensis, eximius olim Clari Montis Fautor, & Patronus, lampadem ex puro putoq; auro, ad Reginalem Mariæ thronum appendit. Æmulatus est ejusdem liberalitatem, & religionem Illustrissimus D. Theodorus Carolus, Comes in Tarnow Tarnowski, Krepicensis Capitaneus, alteram itidem ex auro puro lampadem,

egregio

egregio Fricaustices artificio exornatã, ad eundem gratiæ thronum figendo, superaddito ejusdem pretiosi metalli Calice ad Sanctissimi Sacrificij usum. Stanislaus quoque ejusdem Illustrissimæ Familiæ Heres, Comes in Tarnovv Tarnowski, Anno 1668. aureum affectum, aureis muneribus Mariæ probavit: tum & Illustrissimus Senator, Archiepiscopus Leopoliẽsis, Tarnovvski Anno 1663, Mariam ad vota sua, oblato pretioso torque, sibi obligando.

54. MEruit devotis suis amoribus, & muneribus Illustrissima Domus POTOCIORUM favores MARIÆ. *Potocij.* Nonnulla ex hac Virtutis & Gloriæ Herede Domo, illustria non nudi affectûs argumenta superiùs insinuavi. Illustrissimus D. Stanislaus in Potok Potocki, Palatinus Cracoviensis, Generalis Exercituum Regni Dux, Clavam argenteã, officij insigne, ad Bellonæ MARIÆ Aram deposuit. Illustrissimus Dom: Andreas Potocki, nuper Palatinus Generalis terrarum Kijoviæ, nunc Palatinus Cracoviensis, & Illustrissimus D. Felicianus Potocki, Siradiensis Palatinus, secuti Parẽtis Illustrissimi religionem, varijs in auro muneribus, pretiosis segmentis, & monilibus, Divam Sospitam in hoc Monte coluerunt: quibus meritò adnumerandus est Illustrissimus D. Ioannes Potocki, Palatinus Braclaviensis, & ex affectu erga Templa Virginis apud posteros laudem, apud Superos, è merito, gloriæ sociale participium consecutus. Serenissima Domûs SIENIAVIÆ Sidera venerantur *Sieniavij.* affectibus, ornant muneribus in Clari Montis Cœlo miraculis & gratijs Clarissimam, Reginam Siderum MARIAM. Ex hac Domo sua non vulgaria habet decora Aula Mariana. Pristinos Aborigenum suorum, ac Illustrissimorum Parentum amores erga MARIAM ardentes, & lucentes Illustrissimus D. Nicolaus de Granovv Sieniavvski, nunc Curiæ Regni Mareschalcus &c: tum hic oblatis, dum præsens suæ Salutis Auspicem MARIAM, veneratus est, muneribus; tum pro vitæ gratia in desperatis casibus recuperata, huc missis, ostendit.

CAPVT XI.

Vlteriorem aliarum Familiarum Liberalitatem, & affectum erga Locum Sacrum, continuat.

55. ILlustrissima PACIORUM Domus (inclytum Lithavum decus) Pacis Dominam MARIAM Auspicem suam pre- *Pacij.*

tioso-

tiosioribus colit muneribus. Illustrissimus D. *Christophorus Pac*, Supremus M. D. L. Cancellarius, cum votis, effigiem filij sui deposuit, propitium Virginis Numen honorando. Præterea lampadem argenteam, infra quam aliæ tres minores dependent, ad ejus Aulæ ornamentum dicavit, Anno 1678. Ab Illustrissimo D. Constantino Pac M. D. L. Vexillifero lampadem quoque argenteam thesaurus Marianus, oblatam præsentat: & alia, ex eadem Illustrissima Domo erga MARIAM Montemq; Clarum propensioris affectus, aurea monumenta habet Reginale Mariæ Sacrarium.

Sapieha. 57. NOluit, nec potuit, aut esse, aut videri, quemadmodum in affectu, ità in liberalitatis censu, erga MARIAM parcior, indoles SAPIEHANÆ Prosapiæ, & hodie in Illustrissimis Heredib⁹, ad maiorum dignitatum, in M. D. L. & Officiorum prærogativas, è Virtutum suffragio admotis, Montis Clari cultui, & Mariano honori promovēdo devincta. Ex hac Illustrissima Domo Lampas argentea grandior Marianæ Domûs auxit armamēta. Atque ne aliorum liberalitatis merito apud DEUM, ejusq; Matrem, tum apud posteritatem cederet, Illustrissimus D. *Leo Casimirus Sapieha* (postea Palatinus Vilnensis) Pixidem auream, pro Augustissima Eucharistia conservanda, aliquot millibus æstimatam, ad Marianam Aram ex voto obtulit, Anno 1650. Rependit suo Clienti munus, liberali gratia, in acie decumāno labore cum hostibus dimicanti. Cùm enim Anno 1660 Illustrissima Conjux illius, in Monte Claro votorum solvendorum causâ, pro Illustrissimo Consorte, sub *Lochowice* acri prælio cum hostib⁹ decertante eo tempore, tum pro se filijsq; suis, præsens adesset, oblatoq; aureo monili, in favores suæ Illustrissimæ Domui, MARIAM desponderet; pluribus hic diebus in devotione perseverans, inopinatum in Sacello Mariano accepit nuntium, Illustrissimū Maritum, subactis hostibus, gloriosâ coronatum Victoriâ. Gratam mentem pro amplioribus⁹ Illustrissimæ Domui suæ præstitis favoribus, tantæ Propugnatrici, & fortunarū Auspici MARIÆ, ut testaretur, Anno deinde 1665, Casulam opere Phrygio laboratam, inter universum Aulæ Marianæ apparatum, munus non postremum, per Leonem, filium donum misit, qui hinc ad exteras nationes profectus, Adstitem ad tutelam ubique, MARIAM, suæ Illustrissimæ Domûs Heredibus semper amicam, habere meruit.

Lesczynij. 58. LESCZYNIÆ quoque liberalitatis, & affectûs insignia Mons Clarus habet, præcipuè ab Illustrissimo Domino Vence-

Venceslao Comite in Leszno *Lesczynski*, Palatino Wolhiniæ, qui argentea Candelabra ad ornamentū Aræ Partheniæ (votum pro accepto beneficio) obtulit: tum ab Illustrissimo & Reverendissimo D. ejusdem quoque Nominis *Venceslao*, Comite in Lesczno *Lesczynski* Episcopo Varmiensi, qui depositum è collo suo torquem, pretiosa Cruce, decem adamantibus lucente, decorum, in affectus Mariani compedes transiens, Marianæ Domûs thesauro inseruit Anno 1654. *Tarlovij.*

TARLOVIÆ Liberalitatis, & animi in Patronam universalem ejusque Montem Virgineum propensissimi testimonia, vidimus in muneribus Illustrissimorum Virorum, Palatinorum, Sendomiriensis, & Lublinensis, quorum hic argenteam statuam suæ prolis, Anno 1654, 11. Februarij; ille monile aureum carbunculis insertis pretiosum, tum minutiora aurea candelabra, ponderis 60 aureorum, Anno 1666, Mariæ Numen benignum implorantes, ad ejus Aram deposuit.

59. EXæquavit aliorum, aliorum superavit, suo munere liberalitatem, in affectûs, erga Mariæ occupandos amores, certamine, ac erga Claromontana ejus Templa religione, nemini cedens Perillustris & Magnificus D. *Samuel Lipski*, Capitaneus Ravensis. Redux ab exteris nationibus Anno 1656, hîc Divam suæ fortunæ sub alieno cœlo, Patronam, Tutanamq; vitæ, veneratus est; utq; gratiam protectionis Adstiti, Comitiq; suæ Mariæ rependeret, ad sacræ ejus Odigitriæ Imaginis illustriora decora, gestamen aureum, seu monile puris adamantibus compactū, aliquot millibus æstimatum, quod galerum incinxerat, depositum donavit. Pristinam deinde religiosissimi sui Consortis munificentiam æmulata est & Perillustris illius Conjux Anno 1660, dum suis ornamentis detractū monile carbunculis ardens, illustres suos amores Mariæ testatura, ad Aram ejus obtulit. Anno postmodum 1661. 2. Augusti, ut votis suis, uterque inclytissimorum Conjugum, sibi Mariam despōderet, Annulos Nuptiales eidem Cordium suorum Sponsæ, supplices dedicarunt. *Lipscij.*

60. NOn inferior alijs censenda est, quemadmodum in muneribus, ità in amoribus erga MARIAM, ejusq; sacrum Montem Illustrissima Domus DONHOFFIA. Plura ab hac Mons Clarus habet Liberalitatis Argumenta, quæ cum ornant, & defendunt. Amplificata majoris Basilicæ majestas, per Sacelli, quod magnis nunc impendijs continuatur, erectionem; auctæ Divorū Lipsanis Aræ; *Donhoffij.*

nis Aræ: hinc enim testamento Perillustris ac Reverendissimi D. *Alexandri Donhof* Abbatis Andreovienfis, (qui hic ad Odigitriā Imaginem primum, & in decursu vitæ ultimum celebravit Missæ Sacrificium) oblata integra Divorum HONORATI & CANDIDÆ, sub Diocletiano tyranno glorioso Martyrio coronatorum corpora, ad quorum triumphalem Translationem, & publicæ venerationi expositionem (quantum per temporum calamitatem, fortunæq; tenuitatem licet) à nostris adlaboratur, Ecclesia Claromontana excepit. Hinc auctum balearibus machinis, ad præsidium Arcis Virgineæ Armamentarium; hinc auleis auro, argentoq; textis in solennioribus festivitatibus Reginalis Basilicæ fulgent parietes, in quibus Illustrissimorum Heredum (qui prærogativa generosissimi Sangvinis Regum attingunt purpuras) Regia Munificentia, quam Augustissimæ Romanorum Imperatricis, ad Serenissimi Poloniæ Regis MICHAELIS, Regales Nuptias Hospes Aula, nunquam satis admirari potuit, faciliùs oculis legitur, quàm verbis exprimitur.

Sigismundus Porembski.

61. IN expeditione ad felicis æternitatis meliorem vitam, ut sibi desponsaret affectus MARIÆ, eamq; Comitem ad exules à vita manes habere posset Illustrissimus D. *Sigismundus Przerębski*, Palatinus Siradiensis, Vir erga DEUM, ejusq. Matrem religione, & pietate laudatissimus, Annulum ad Marianam Aulam testamento legavit, per manus Perillustris ac Magnifici D. Nicolai Przerębski, Capitanei Tuszynensis, Monti Claro Anno D. 1668. 2. Decembris redditum, cui miræ magnitudinis insertus adamas nondum ex judicio prudentum dignum sui pretium, valoremq; accepit. Imitata Illustrissimi sui Consortis erga Mariam affectus Illustrissima Conjux Palatina Siradiensis, Crucem auream adamantibus distinctam Aris illius munus dedit.

Nicolaus Porembski.

62. SEu pretium, seu artificium, seu majestatem muneris, quod ante Odigitriam Imaginem appendit Illustrissimus Dominus *Nicolaus* de Magna Poręmba *Porębski*, Castellanus Zavvichostẽsis, magna omnia. Candelabrum est argenteum, seu moles quædam è cujus medio aliquot sinuata, & in varios flexus desinentia in coronam explicantur Candelabra, opus aliquot millium pretio æstimatum. Sub majori ejusdem globo pendet orbicularis formæ tabula, in cujus una parte illustria in Poloniæ Cœlo stemmata, KORNICZ & RADWAN expressa, in altera verò facie hæc supplicis Clientis dedicatio legitur: TIBI

TIBI
DEIPARA VIRGO
ET SACROSANCTO, NATURÆ
& orbi admirando, & incomprehensibili partui
Tuo, DEO vero Redemptori & Salvatori nostro,
ad sacram Iconem vultûs Tui, in AEdibus Tuis Sarmaticis, miraculis, & donis cœlestibus Claro in Monte celebratissimis, Candelabrum hoc, licet argenteum, sed tanquam atomum, ipso nihilo nihiliorem cernuus, ac
supplex, abjectissimus & vilissimus Clientum
Tuorum humillimè offert NICOLAUS
CORNICIUS de Magna Poremba
Castellanus Zavichostensis,
Anno
A Tuo Virgineo Partu,
Reparataque per eum Salute
CIↃ. IↃC. XXX. V.

Vestes mutatoriæ Sacræ Imaginis.

60. SParsim hîc inserta leges per totum Opusculum Polonæ liberalitatis, & affectus erga MARIAM, locumque ejus testimonia. Quæcunque tum in præsenti, tum in superiori Capite, tum hîc sparsim, pretiosa segmenta, gemmæ, lapides, torques, memorantur, in compendio sunt. Ex his aliquot vestes mutatoriæ, pro circumstantia temporum, & solennitatum, seu pectoralia Sacræ Imaginis, ex puris torquibus, monilibus, cylindris, inauribus, crucibus, annulis in unum coactis factæ, Patriæ liberalitatis compendia ad stuporem peregrinorum præsentant. Summam prodigæ, & (ut ità dicam) prodigiosæ liberalitatis Sarmatiæ exhibet opus, cui Europæus orbis (aliorum judicia refero) non facilè par dabit, Ferculum Augustissimæ Eucharistiæ, seu Monstratorium, quod curis domesticorum, & præcipuè R. P. Romualdi Dymalski Provinciæ Polonæ Definitoris, qui in Conventu, & Ecclesia Claromontana thesauri Mariani cõpluribus annis Præses, & Custos, curis pro decore Domûs DEI, & promovendo cultu Divino, & Mariano optimè meruit, ex puro auro putoq; industriâ & labore prorsus incomparabili, factum est. Cor ipsius, seu Sedem Sanctissimæ Eucharistiæ capacẽ, radijs artificio mirabili puris adamantibus, & carbuculis, lucentibus, circumdatam, ambit in utramq; partem explicata vitis, botris, carbun-

Monstratorium aureū ex lapidib. pretiosis constans.

carbunculis gemmantibus gravida, cujus summitates superne diadema incingit orientalibus gemmis, & adamantib⁹ præfulgens. Tota moles ex aliquot millibus pretiosissimorum lapidum compacta, non facilè etiam limatissimi judicij, pretium & æstimationē ferens, theatrum quoddam, & compendium Liberalissimi in Divinam Matrem amoris, Poloniæ, spectatoribus offert, & in sua majestate genti Sarmatiæ venerationem conciliat.

CAPVT XII.

Varia ad complementum Collectanea.

Ad exteras nationes discedent, hic sua sumunt auspicia.

64. QVia sicut meipsum, ità & alios studium brevitatis delectat, omissis pluribus, quæ hic possent inseri, nonnulla strictim persequor selectiora, quæ ad complementum præsentis opusculi facere judicavi. Morem hic insinuo plurium ex Illustrissimis Regni Senatoribus, qui dum ad exteras nationes filios suos eruditionis causâ expediunt, hic viarum, fortunæ, vitæq; cursum MARIÆ commendant, desumptis ad Odigitriam Imaginem felicium successuum auspicijs; ac rursus in patrium solum revertentes, priùs hic ad Aram cum gratiarum actionibus procumbentes Mariam, quàm lares proprios salutantes, excipiunt. Publico constant Virorum Illustrium præconio, plurimis hanc Imaginis Odigitriæ visitationem, antequam discederent, salutarem in varijs necessitatibus, & auxiliarē in desperatis casibus fuisse. Exemplum idem faciendi præbuit Serenissimus Poloniæ Princeps VLADISLAVS IV. postmodū Poloniæ Rex. Romam ad solennitatem Iubilæi Magni profectus, priùs viæ vitæq; successus hic MARIÆ commendavit, eamque sibi propitiam Salvatricem in multis vitæ discriminibus adfuisse, redux ad ejus Aram cum gratiarum actionibus, & munerib⁹ professus est. Illustrissimus D. Iosephus Carolus Lubomirski Gubernator Sendomiriensis, ut supra memini, ex hoc loco, dato aureo anathemate, discedens, viæ ad exteros accepit fortunata auspicia. Par erga Divinam Matrem fiducia in Illustrissima Anna Lanckoronska, Neocorcinensi Capitanea, quæ cùm pro se, Filioq; suo Anno 1673. 3 Iunij pretiosum segmentum, seu monile 365 carbunculis compactum, & caput aureum, valoris aureorum 10 obtulisset, gratiamq;, in ejus valetudinis reparatæ beneficio, accepisset, ad exteras nationes proficiscentem hoc loci diutiùs illum commorari voluit, Anno 1680, ut Mari-

MARIAM quam nuper expertus erat in salutis redonatione benignam & ad expeditionem ad exteros sincera devotione sibi faceret propitiam.

Granū Sancta Ioanna oblatum.

65. ET externi pro suæ fortunæ vitæq; successibus, Divam nostram amoribus dignantur, & muneribus. Adm. R. P. Franciscus Stadfeld Minorū Provincialis Definitor Generalis, & Commissarius Generalis in Poloniam, Divæ nostræ postquam se devovit, & ejus manum auxiliarem votis imploratam in relevatione habuit, ex voto Granum S. Ioannæ Originale, ad quod cætera consecrari solent, cum authentico, ad thesaurū Marianum obtulit, quod & nunc in Crystallina theca honorificè asservatum, inter potiora gazæ Marianæ decora numerari debet. Quantum in hoc Monte thesaurum foveat Polonia, testantur illi qui ritus Ecclesiæ Græcæ secuti, Divam nostram muneribus colunt. A. R. D. Barlaam Kozinski, Archimandrita Mścislaviensis, velum auro textum hic Mariæ supplex ex voto obtulit. Plures alios diversis temporibus ritûs ejusdem Sacerdotes cum votis ad Odigitriam Imaginem accurrentes, atque ad Aram ejus, ritu, moreq; suo rem sacram peragentes vidimus.

Ritûs Graci Sacerdotes hic Mariam venerantur

Magister Crucigerorum votum ponit.

66. EXternos cum votis huc accedentes, quorū supra non memini, hic propono. E statûs Ecclesiastici prærogativa antecedit alios Reverendissimus D. Paulus Blachilik Ordinis Crucigerorum, ad D. Matthiam Vratislaviæ, Magister, qui laminam argenteā majorem ad Mariæ pedes, posito in fronte Ordinis Stemmate Cruce cum Stella, fixit cum hac inscriptione;

BEATVS

Quisquis placido naufragus dat vota littori.

Magna DEI Hominisque Matri, in Claro Czestochoviensi Monte Miraculū Clarissima ancipitem valetudinis statum 26. Septembris Anno 1666 confidentissimè se devovit; eidemq; recuperata sanitate, debitum gratitudinis pensum tribus Missæ Sacrificijs, duobus cereorum paribus, erogatâ in præsentem plebem pauperem eleemosyna, hacq; lamella, persolvit

Paulus Blachilik,
ad D. Matthiam Vratislaviæ Magister.

Votum Rákoczij.

67. VOtorum subscriptiones, ex quibus Illustrissimorum Regni Hungariæ Procerum animus erga Imaginem Odigitriam

triam æstimari potest, subnecto. Statuæ argenteæ B. V. M. Puerū IESUM in gremio gerenti circiter cubitali, hæc subarata leguntur in lamina:

VOTVM

Divæ Virgini Matri MARIÆ Clari Montis Czestochoviensis oblatum. Illustrissimorum Parentum Comitis Pauli Rakoczy de Felso Vadaß Iudicis Curiæ Regiæ in Vngaria, Comitis Supremi Comitatuum Saarosiensis, & Thornensis, Invictissimi Imperatoris Ferdinandi II. Consiliarij, & Camerarij, &c. &c. Nec non Annæ Pethe de Hethes, pro dilectissima ipsorum progenita Filiola Maria Anna Rakoczy, Anno reparatæ salutis 1675.

Ex Infirmitate Votum.

67. PRostat ad Aræ Marianæ latus bractea grandior MARIÆ supplices personas opere cœlato præsentans, cum torque, Anno 1667. 18. Aprilis, oblata ex voto, offerentem subscriptio demonstrat, hæc verò est:

Illustrissimus Comes D. Sigismundus Petheo de Gierze, Partium Superiorum Regni Vngariæ Generalis, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Consiliarius, & Camerarius, Eques Auratus; Arcis, & Præsidij Onodiensis Supremus Capitaneus: & Illustrissima Comitissa Anna Paczoth de Beki, ejusdem Illustrissimi Comitis Consors, postquam facto voto ad Beatam Virginem Czestochoviensem, à gravi infirmitate liberati fuissent, hanc Imaginem in perpetuam rei memoriam consecrarunt.

Affectum anathemate testatur.

68. EX eodem Regno Vngariæ, in quo fanctus, Sanctorū Regum institutis, decretisque Augustissimæ Reginæ Cœli, cultus propagatus, ad hoc Solium gloriæ Sarmatiæ Divæ Odigitriæ Regium, munus illatum est Anno 1671. 24 Iunij, à quo? loquitur disertè argentea lamina major ad latus quoque throni Mariani patentem locum occupans, in qua hæc, personis è genibus Divam adorantibus, subjecta sunt:

Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus, D. Georgius Drugeth de Homonna, Perpetuus de Vngh, nec non Comitatus ejusdem Supremus, ac perpetuus Comes, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Consiliarius, Camerarius, Superiorum Partium Regni Hungariæ Generalis, Dei Genitrici supplex offert.

In infirmitate & naufragio salvus.

69. IN triplici Anathemate, Nomen Clientis, & duplicē in naufragio, & infirmitate illius, gratiam expertam lego, at locū unde? non habeo. Cor, laminam, & umbilicū, ex argento facta; affectum, testimonium, & sui partem, quæ laborabat periculo, refe- rentia

rentia schemata, ad pedes Marianos appendit. Hæc inaravit supplex cum gratijs Cliens MARIÆ:

Ludovicus laure de Hauteville,
In periculo naufragij, & ægrotans
Beatæ MARIÆ Virgini Czestochoviensi,
ista solvit.

Beneficia accepta per usum aqua fontis prodigiosè evocati ex arida.

70. EO planè tempore, quo hæc Analecta in prælo ultimā manum accipiunt, venit in manus meas Archivum Novitiatûs, seu Domûs Probationis Fratrū Ordinis Nostri, sub Claro Monte ad S. Barbaram; in quo adnotata legi beneficia, haustu fontis, qui ad abluendam sacram Imaginem miraculosè erupit ex arida, (prout hîc supra Partit: 3. Cap: 5. num: 11. ostendi) à DEO Optimo interventu meritorum suæ Divinæ Matris, præstita. Nonnulla subijcio. Anno 166 N. Matthiæ Czarnecki Conjux habitans Czestochoviæ diuturniorem, ætatiq; ingravescenti infensissimam tussim patiebatur. invocata ope MARIÆ, dum hujus fontis undā cum fiducia bibit, salutarem, & medicinalem contra tussis naturam experta est, & recognovit cum gratiarum actione.

Pecora hac aquā aspersa à peste liberantur.

71. MIrum est, quòd & hæreticus inde beneficium acceperit, non quod dignus fuerit, verùm quòd & illi DEus Matris suæ merita, ad maiorem hæresis confusionem, nota fieri voluerit. Anno 1627. *Vitus Kánká* subditus Domini Luteranâ hæresi laborantis, statis temporibus revisere solebat Marianam Clari Montis Domum, huiusq; fontis undam, consveto alijs more, secum domum adferre. Pestilens totum illud territorium insedit plaga, quæ magnā ubique in armentis stragem faciens, *Viti* quoque pecoribus imminebat. Prævenit periculum. Hac aqua caulam, gregemq; conspergere solitus, stupente hæretico Domino, totaq; viciniā, immunem à lue servavit. Præstitutum redijt annuæ peregrinationis tempus, cui se commissurus, ne Dominum obsequijs Catholicæ religionis minùs amicum, offenderet, discedendi facultatē precatur, obtinetq; Inter alia, quæ familiariter conferebat cum subdito, quærit Dominus: Quomodo à cōmuni clade gregem servaverit? respondit ille: Tantæ virtutis, & efficaciæ, meritis Divinæ Matris MARIÆ, fuisse hujus fontis aquam, ut hæc aspersâ, ad omnem pestilentiam propulsandam, sola sufficeret. Obligavit ergo subditum, ut ejusdem undam adferret. Redit, fert aquam, pestilentiā prostratos hæretici greges aspergit, & pristino vigori sanitatiq; restituit. Recognitum cum te-

cum testibus. Quis indignabitur quòd & hæreticis suas gratias palàm faciat Maria? ut confusis suæ virtutis manifestatione, illorum erroribus, tantis donis rebelles Ecclesiæ ad meliorem frugem reducat, aut ad majorem illorum confusionem cedere permittat.

Epidemiâ laborantes hac aqua relevat.

73. ET in Epidemiæ lue salutarem huius fontis undam experti sunt Czestochovienses. Consulis Czestochoviensis *Iacobi Zaiaczkowicz* Domum occupavit hæc pestilens affectio. Mortuali langvebat symptomate in hoc malo filia, cui relevandæ nullæ artes auxilium dederunt. Ad Fontem recurrit Pater. Filiam hausta illius vnda abluit, & Contribulibus in simili periculo constitutis ad miraculũ stupentibus sanitate donatã accipit. Certatim ergo Cives in illa malignitate gementes ad fontem properãt, aquam hauriunt, potant, hac lustrantur, & meritis Mariæ, quæ ex Imaginis Thaumaturgæ ablutione tantam virtutem inanimi indidit elemento, illud grassans incendium extingvunt. Relatæ supplicum gratiæ cum testimonio. Dum mortales, Miserationes MARIÆ accipimus in beneficijs exhibitis, quid aliud agimus, quàm Vberum Misericordiæ Matris lac sugimus? gratijs nutrimur, sanamur, reconciliamur, Matris plenæ gratiâ. Diviné Richardus de S. Victore. *Quid mirum, si Beata Virgo & peccatoribꝰ reconciliationũ, & pijs gratiæ lac fundit, quæ mundum reconciliavit, & ipsam gratiam peperit, imò ipsum Fontem Gratiæ? meritò igitur Misericordia ejus, cursui hinnulorum cõparatur: quia velociùs occurrit eius pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat. Hæc autẽ sunt vbera Tua, ô Beata! quibus miseros lactas, dum misericordiam eis impetras. Lactas miseros, & ab ipsa Misericordia lactarũ; ab ipsa recipis, quod refundis. Carnalia in Te Christus vbera suxit, ut per Te nobis spiritualia fluerent.*

D. Richard. de S. Victor.

CORONIS

HVcusq; ad Te, pro Te, nec extra Te cursus meus cum Analectis Mensæ Tuæ ô MARIA! Ratum, & quamvis non merear tantum, gratum habe, & fac, obsequium meum: Cum Tuis Clientibus, Tuæ Majestatis pedibus advoluor, ut inter illorũ vota, & gratæ mẽtis symbola, tenuitas obsequij mei, nec ut par erat præstiti laboris, aliquale pondus apud Te habeat, Addo & Votum meum, in æternũ anathema, affectus mei. Cor, & calamũ, ulteriori ad promovendũ Honorem Tuum, labori consecratum,
ad Aram Tuam appendo.

Toti-

TOTIVS OPERIS SYNOPSIS.

Analectorum Mensæ Reginalis,

Vu CAPVT

CAPVT III.

Honores huic Sacræ Imagini ab Imperatoribus Byzantinis præstiti.

CAPVT IV.

Nonnulla memorabia Bizantij.

CAPVT V.

Iconomachiæ tempore Constantinopoli Sacra Imago mirabiliter conservatur.

CAPVT VI.

Sacram Imaginem Constantinopoli Carolus Magnus in munus accipit, Leoni deinde Russiæ Principi donat, quàm ille in Arce Belzensi in Russiá collocat.

CAPVT VII.

Sacra Imago ex Russia in Poloniam translata, Fratribus Eremitis Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ in custodiã traditur.

PARTITIO III.

Montem clarum, Ecclesiã, sacram Imaginẽ, cultum quo à Regibus, Principibus, diversisq; Statib9, tam Ecclesiasticis, quàm secularib9 honoratur, describit.

CAPVT I.

Montis Clari, & Monasterij descriptio.

CAPVT II.

Fundatorem Sacelli Mariani, ipsumque Sacellum, proponit.

CAPVT III.

Altare, Fundatorem ejus, & triumphalem Sacræ Imaginis Translationem prosequitur.

CAPVT IV.

Sacræ Imaginis descriptio.

CAPVT V.

De Stigmatibus in vultu sacræ Imaginis, de evocato prodigiosè Fonte ex arida, & sacræ Imaginis reparatione.

CAPVT VI.

Memorabilia hic, & Mirabilia nonnulla.

CAPVT VII.

Summorum Pontificum, Eminentissimorũ S. R. E. Cardinaliũ, Legatorum à Latere, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, aliarumq; dignitatis Ecclesiasticæ Personarum erga locum sacrum pia animi affectio.

CAPVT VIII.

Reges, & Principes Locum sacrum venerantur.

CAPVT IX.

Illustrium è Seculari Statu Personarum, Virorumq; Ordinis Equestris, erga Divam Claromontanam Religio.

CAPVT X.

Civitates, Oppida, Sodalitia, pagi, & promiscua è varijs Regnis multitudo sacram Imaginẽ, locumq; venerantur.

PARTITIO IV.

Sacræ Imaginis Odigitriæ Prototypa miraculis illustria; Apparitiones tum sanctissimæ Virginis, tum Imaginis; Auspicijs eius Regum partas victorias, à Turcarũ, Moschorũ, Tartarorũq; captivitate Clientes vindicatos proponit.

CAPVT I.

De Imaginibus, quæ Originem ab Odigitria Imagine deducentes, tum in Polonia, tum alibi memorabili veneratione coluntur.

CAPVT II.

Clientibus apparens Claromontanam peregrinationem imperat MARIA.

CAPVT III.

Apparitiones Sacræ Odigitriæ Imaginis referuntur.

CAPVT IV.

Auspicijs Claromontanæ Virginis de Hostibus relatæ Regum, Principum, Heroumq; victoriæ memorantur.

CAPVT V.

Votis Divam Claromontanam appellantes, ex Moschorũ, Tartarorum, Turcarumq; captivitate liberantur.

CAPVT VI.

Prodigiosas MARIÆ supplicum è vinculis, & carceribus eliberationes prosequitur.

CAPVT VII.

Sacerdotalis dignitatis Personæ ab hostibus circumventæ, invocatione Divæ Claromont: superant, evaduntq́ pericula.

CAPVT VIII.

Imagine Virginis Odigitriæ sua protegentes pectora tum in acie, tum in alijs occasionibus prodigiosè ab armorum ictibus, & vitæ periculis illæsi.

PARTITIO V.

Pericula ab Elementis provenientia Clientes cum Diva Claromontana triumphant.

CAPVT I.

Ruinis terræ oppressos, profundisq́ foveis illapsos desperato casu, MARIA viribus, vitæq́ restituit.

CAPVT II.

Ex Ædificiorum, Arborumq́ summitatibus prolapsos, ferocientibus equis excussos, letaliterq́ collisos, vocata Claromontana Virgo, pristinæ vitæ, viribusq́ restituit.

CAPVT III.

Marianam Clari Montis Tabulam votis apprehendentes, marina superant pericula.

CAPVT IV.

Ope invocata MARIÆ è Fluminum periculis erepti.

CAPVT V.

Aquis præfocati imperio MARIÆ vitæ restituuntur.

CAPVT VI.

Aêre pestifero contacti, ac Epidemiæ lue laborantes, patrocinio MARIÆ vitæ discrimina evadunt.

CAPVT VII.

Mons Clarus, Vrbes integræ, Oppida, Pagi, singulari Mariæ patrocinio à lue pestifera præservantur.

CAPVT

CAPVT VIII.

Flammarum, & Fulminum incendia compescit, & extingvit MARIA.

CAPVT IX.

Febrium æstus malignos temperat, & extingvit MARIA.

CAPVT X.

In purgantibus flammis detentos, ab incendijs protegit, liberatque MARIA.

PARTITIO VI.

Mortuos, Moribundos, Desperatos Diva Virgo Claromontana vitæ restituit.

CAPVT I.

Natos exanimes animat Diva Claromontana MARIA.

CAPVT II.

Pueros vitâ functos ad vitam revocat MARIA.

CAPVT III.

Puellis mortuis vitam reddit MARIA.

CAPVT IV.

Adulti sexûs utriusq́ mortui, vivunt per MARIAM.

CAPVT V.

Mortificati, Moribundi huc per Amicos oblati, vitæ, & sanitati restituuntur.

CAPVT VI.

Jllustriores Personæ ex ignotis, desperatisq́ morbis in vitæ spem, vitamq́ relevantur.

CAPVT VII.

Jnsigniores Personæ in desperatis casibus vitâ periclitantes, vitam, sanitatemq́ deploratam recuperant.

CAPVT VIII.

Status diversi, sexusq́ promiscui desperati Clientes MARIÆ patrocinantis experiuntur auxilium.

PARTITIO VII.

Cœcos, Surdos, Mutos, Claudos, è pluribus insimul

Morbis,

morbis, & casibus vitâ periclitatos, ope Divæ nostræ ad pristinam videndi, audiendi, loquendi, ambulandi, vivendiq; gratiā revocatos proponit.

CAPVT I.
Dignitatis Ecclesiasticæ, & Illustriores sexûs utriusq; Personæ orbatæ lumine, ope MARIÆ videndi gratiā recipiunt.

CAPVT II.
Vrbium, ac Oppidorum incolis præstita visûs gratia per MARIAM.

CAPVT III.
Alienigenæ, sortisq; plebeiæ Clientes per MARIAM visûs gratiâ potiuntur.

CAPVT IV.
Cæci dum ad Clarum Montem peregrinationem festinant, lucis usurâ in via donantur.

CAPVT V.
Cæci in Sacello illuminati Divæ vident Imaginem.

CAPVT VI.
Surdis Auditus; Mutis lingva solvitur ope MARIÆ.

CAPVT VII.
Claudos, & Mancos diversæ conditionis curat MARIA.

CAPVT VIII.
Pluribus insimul morbis, ac defectibus laborantes à MARIA relevantur.

CAPVT IX.
Clientum recitat authographa, in quibus superata complura vitæ discrimina referuntur.

PARTITIO VIII.

Paralytici, Podagrici, Hydropici, Leprosi, Vlcerosi, Caduco morbo, plicâ, spâsmo, Calculo vexati, votis ad sarcam Imaginem nuncupatis vigori pristino, vitæque restituuntur.

CAPVT I.
Paralyticos relevat MARIA.

CAPVT II.
Podagricos, & Hydropicos sanat MARIA.

CAPVT III.
Leprosis, ac vlcerosis medetur MARIA.

CAPVT IV.
Morbum Herculeum, seu Caducum compescit MARIA.

CAPVT V.
Calculi dolores lenit, curatque MARIA.

CAPVT VI.
Plicâ, Gozdziec vulgò, Spasmo, seu membrorum contractione divexatos sanat, restâuratque MARIA.

PARTITIO IX.

Periculosè parturientibus, infecundis; sontibus, ac insontibus ad supplicia damnatis; Hæreticis, Schismaticis, Arrianis, Machometanis hinc vocata patrocinatur MARIA.

CAPVT I.
In partu gravi periclitantes salvat MARIA.

CAPVT II.
Cum fecunditatis munere, gratiæ post partum Matribus præstita.

CAPVT III.
Innocentibus ad pœnas damnatis patrocinatur MARIA.

CAPVT IV.
Nocentes ad pœnas damnatos absolvit MARIA.

CAPVT V.
Hæreticis, Schismaticis, Arrianis, Machometanis votis vocata subvenit MARIA.

PARTITIO X.

Defectibus, variis casibus, & Paroxysmis afflicti, ad invocationem Mariæ, salutis gratiam consequuntur.

CAPVT I.
Amentes, & Fanaticos, usui rationis, & sanitati reddit MARIA.

CAPVT II.
Possessos, obsessosq; à dæmonibus liberat MARIA.

CAPVT

CAPVT III.

Imposturâ, Maleficijs, Præstigijs, Venenis absolvit MARIA.

CAPVT IV.

In vulneribus, & sangvinis profluvio desperatis vitam donat MARIA.

CAPVT V.

In diversis necessitatibus alijs hinc devocata subvenit Clientibus MARIA.

CAPVT VI.

Huc accedentia.

PARTITIO XI.

Obsidionis Claromontanæ per Svecos & alios Hæreticos seriem Divæ prodigiis illustratam, & solutionem complectitur.

CAPVT I.

Obsidionis Claromontanæ præsagia nonnulla, & occasio.

CAPVT II.

Hostium assultus, & oppugnatio.

CAPVT III.

Propugnatur Mons Clarus.

CAPVT IV.

Quæ memorabilia tum in Castris hostilibus, tum alibi Sveticæ Obsidionis tempore ostenderit MARIA.

CAPVT V.

Quæ memorabilia intra Virginis mœnia obsidionis tempore.

CAPVT VI.

Miraculosa Montis Clari ab obsidione solutio, & memorabilia nonnulla eandem subsequentia.

PARTITIO XII.

Miscellanea.

CAPVT I.

Votorum rei dum proposita negligunt, à terribili Maria castigantur.

CAPVT

CAPVT II.

Idem Argumentum continuatur.

CAPVT III.

Ex Laminis aureis, ac argenteis Mariæ gratiarum, & Liberalitatis vota solventium Symbola.

CAPVT IV.

Superioribus similia referuntur.

CAPVT V.

Ex Marmore, alijsq́ tabulis desumpta Divæ Nostræ Gratiarum, & Magnalium Synopsis.

CAPVT VI.

Ex Opusculo Petri de Rozprza vetustiora beneficia Divæ Virginis Nostræ MARIÆ.

CAPVT VII.

Ex eodem Petro de Rozprza impudentis puellæ in hoc loco pœna senarijs illigata.

CAPVT VIII.

Pro obtinendis, obtentisq́ gratijs, sub Auspicijs Divæ Nostræ Virginis Claromontanæ, Literaria gratitudo.

CAPVT IX.

Votiva Poësi in Typo, & Argento solutæ Divæ Nostræ pro beneficijs gratiæ.

CAPVT X.

Varijs in hoc loco, variorum Statuum, muneribus colitur, & affectibus MARIA.

CAPVT XI.

Ulteriorem aliarum Familiarum Liberalitatem, & affectum erga Locum Sacrum continet.

CAPVT XII.

Varia ad complementum Collectanea.



Hist. Polon
6. spec

